LITURGIA,

SEU LIBER

PRECUM COMMUNIUM,

Et Administrationis

SACRAMENTORUM,

Aliorúmque

Rituum atque Ceremoniarum Ecclesiæ

JUXTA USUM

ECCLESIÆ ANGLICANÆ:

John Slinger of Studfold House 1895.

UNA CUM

PSALTERIO

SEU

PSALMIS *DAVIDIS*,

Ea Punctatione distinctis, qua Cantari aut Recitari debent in ECCLESIIS.

Itémque

Forma & Modus Faciendi, Ordinandi & Consecrandi *Episcopos, Presbyteros, Diaconos.*

LONDINI,

Excudebat *E. Jones*, Impensis *A. Swall* & *T. Childe*.
Prostant apud *Jacobum Knapton* ad insigne Coronæ in
Cœmeterio D. Pauli, MDCXCVI.

LITURGIA,

SEU LIBER

PRECUM COMMUNIUM,

Et Administrationis

SACRAMENTORUM,

Aliorumque

Rituum atque Ceremoniarum Ecclesiæ

JUXTA USUM

ECCLESIÆ ANGLICANÆ:

UNA CUM

PSALTERIO

SEU

PSALMIS DAVIDIS,

Ea Punctatione distinctis, qua Cantari aut Recitari debent in ECCLESIIS.

Itémque

Formæ & Modus Faciendi, Ordinandi, & Consecrandi Episcopos, Presbyteros, Diaconos.

LONDINI,

Excudebat E. Jones, Impensis A. Swall, & C. Childe, & Prostant apud Joannem Kimpton, ad Insigne Coronæ in Cœmeterio D. Pauli, MDCXCVI.

Statutum pro Uniformitate Precum Communium, Cultuſque in Eccleſiâ, atque Adminiſtrationis Sacramentorum, Anno Primo Eliz.

QUandoquidem eo tempore quo obiit Supremus Dominus noſter *Edvardus* Rex Sextus, Uniformis ordo Cultus Publici, Precum, Adminiſtrationis Sacramentorum, Rituum & Ceremoniarum obtinuit in Eccleſia Anglicana; qui quidem prodiit unico volumine quod inſcribitur, *Liber Precum Communium, & Adminiſtrationis Sacramentorum, aliorumque Rituum & Ceremoniarum in Eccleſia Anglicana*, authoritate Parlamenti quod annis 5. & 6. Regni ejuſdem Supremi Domini noſtri *Edvardi* Regis Sexti, habitum eſt, munitus, vi decreti, cujus titulus, *Statutum pro Uniformitate Precum Communium & Adminiſtrationis Sacramentorum*; quod quidem abrogatum atque reſciſſum fuit Decreto Parlamenti, an. 1 Regni Supremæ Dominæ noſtræ *Mariæ* Reginæ; unde Gloria Deo debita, multum imminuta eſt; eorumque animi qui Veritatem Chriſtianæ Religionis profitentur, admodum dejecti ſunt.

His de cauſis Decretum eſt Authoritate hujuſce Parlamenti quod prædictum abrogativum Statutum & ſingula in eo contenta, quæ quidem referuntur ad eundem librum & cultum, Adminiſtrationem Sacramentorum, Ritus & Ceremonias, eo libro contentas aut præſcriptas, reſciſſa erunt, nulliuſque prorſus virtutis à Feſto Natalis S. *Johan.* Baptiſtæ proximè futuro & deinceps: Quodque præfatus liber cum ordine Cultus, & Adminiſtrationis Sacramentorum, Rituum, & Ceremoniarum, cum alterationibus & additionibus in eum inſertis & per hoc Statutum præſcriptis, à prædicto Feſto Natalis S. *Johan.* Baptiſtæ & deinceps, obtinebit, plenariumque effectum ſortietur juxta tenorem & effectum hujuſce Statuti: nihil quod in prædicto Abrogativo Statuto contineatur, quicquam obſtante.

Ad hæc Decretum eſto à Reginæ Majeſtate Aſſentientibus Proceribus & Plebe in hoc Parlamento congregatis, & illius authoritate, quod omnes & ſinguli omnium & ſingularum tum Cathedralium, tum Parochialium Eccleſiarum, aut alius cujuſcunque loci intra hoc Regnum *Angliæ, Walliam*, & illius limites, aut alias Reginæ ditiones, Miniſtri, à Feſto Natalis S. *Johan.* Baptiſtæ proximè futuro, ac deinceps, Matutinas & Veſpertinas Preces, celebrationem cœnæ Domini & utriuſque Sacramenti Adminiſtrationem, aliaſque omnes ſuas Communes ac Publicas Preces recitare & uſurpare tenebuntur juxta Ordinem & Formam prædicti libri authoritate Parlamenti prædicti An. 5. & 6. Regni

Edvardi Sexti, ſic muniti, cum unica alteratione ſeu additione quarundam Lectionum prælegendarum ſingulis Dominicis per totum annum, & mutata & emendata Litaniæ forma, & adjectis duabus tantummodo ſententiis, dum Sacramentum Communicantibus porrigitur recitandis, nulla autem alia præterea nequit alio modo. Et quod ſiquis Rector, Vicarius, aut alius quicunque Miniſter, qui debet aut deberet cantare aut recitare Communes Preces quarum mentio fit in prædicto libro; aut Sacramenta adminiſtrare à Feſto Natalis S. *Johan.* Baptiſtæ proximè futuro & deinceps, noluerit prædictas Communes Preces uſurpare, aut Sacramenta adminiſtrare, in ea Cathedrali, aut Parochiali Eccleſia aut aliis locis, in quibus ea adminiſtrare deberet, juxta ordinem ac formam prædicti libri; aut ſiquis ex propoſito aut in eo pergens animo obſtinato uſurpaverit alium Ritum, Ceremoniam, Ordinem, Formam aut Modum celebrandæ Cœnæ Domini publicè aut privatim, aut Matutinas & Veſpertinas Preces, Adminiſtrationem Sacramentorum aut alias Preces Publicas, præter eas quæ præſcriptæ ſunt & editæ in dicto libro, [*per Communes Preces in hoc Statuto ubicunque earum mentio occurrit, intelliguntur Preces quæ fiunt ut iis alii interſint eaſque audiant ſeu in Eccleſiis publicis ſeu privatis Sacellis, aut Oratoriis, vulgo dictæ Sacra ſeu Divina Officia*] aut pro concione aut alio modo declaraverit aut locutus fuerit quidpiam quo derogetur prædicto libro aut corrumpatur, aut res ulla in eo contenta aut quævis illius pars, atque illius delicti reus ritè peractus fuerit juxta Leges hujuſce Regni ex judicio Duodecim, aut ex ipſius confeſſione, aut ex manifeſta evidentia facti: in pœnam primi illius delicti amittet reditus omnium beneficiorum aut promotionum ſpiritualium anni integri eam convictionem proximè ſequentis; qui quidem Reginæ ejuſque hæredum & ſucceſſorum Fiſco addicentur: quodque etiam qui ſic reus peractus fuerit in ulteriorem delicti ſui pœnam per ſex menſes carcere detinebitur abſque ſponſione aut fidejuſſione quacunque. Siquis autem qui jam ſemel hac in parte reus peractus fuerit, poſt primam convictionem in ſimilem culpam rurſus inciderit, ejuſque legitimo judicio quemadmodum ſupradictum eſt, reus peractus fuerit, tum in ſecundi delicti pœnam in carcerem conjicietur, eoque detinebitur per annum integrum; quodque ob idem delictum ſpoliabitur ipſo facto omnibus & ſingulis ſpiritualibus ſuis promotionibus: Et quod licebit omnibus Patronis & Donatoribus omnium & ſingularum illarum ſpiritualium promotionum aut illarum cujuſcunque, ad eam præſentare aut eandem conferre perinde ac ſi perſona vel perſonæ ſic delinquentes obiiſſent: & quod ſi quis qui bis modo ſupradicto reus peractus fuerit, tertia vice circa præmiſſas deliquerit, ejuſque delicti modo ſupra dicto legitimè convictus fuerit tertiâ vice, privabitur ipſo facto omnibus ſuis ſpiritualibus promotionibus, & præterea carceris pœnam per totam vitam ſubibit. Si is autem qui deliquerit & convictus fuerit modo ſupradicto circa ullam præmiſſarum, nullo beneficio aut ſpirituali promotione

tione gaudeat, tum ſic delinquens ſicque convictus in pœnam primi delicti in carcerem conjicietur, eoque detinebitur per annum integrum convictionem illius proximè ſequentem abſque ſponſione aut fidejuſſione quacunque ; & ſiquis qui omni ſpirituali promotione careat, poſt primam convictionem rurſus ulla in re deliquerit circa præmiſſas & modo ſupradicto delicti legitimè convictus fuerit ; tum ille in pœnam ſecundi delicti in carcerem conjectus eo per totam vitam detinebitur.

Præterea conſtitutum decretùmque eſt Authoritate ſupradicta, quod ſiquis poſt prædictum Feſtum Natalis Sancti *Johannis* Baptiſtæ proximè futurum in ullis hiſtrionicis aliiſve ludis, cantionibus, rythmis, aut alia voce publica quidquam declaraverit aut locutus fuerit, quo liber ille corrumpatur aut ulla res in eo contenta, aut illius pars aliqua, aut quo ei derogetur, aut contemptus concilietur ; aut ſi opere, facto aut interminatione publica Rectorem ullum, Vicarium aut alium Miniſtrum coegerit aut quocunque modo procuraverit, ut in ulla Cathedrali aut Parochiali Eccleſia, aut Sacello, aut ullo alio loco cantet aut recitet ullas Communes aut Publicas Preces, aut ut Adminiſtret ullum Sacramentum aliter aut ullo alio modo aut forma quam quæ præſcribitur, aut eum ſic facientem protexerit : aut qui ulla ſupradicta via ac Ratione Rectorem, Vicarium aut alium Miniſtrum in ulla Cathedrali aut Parochiali Eccleſia, aut Sacello, aut alio quocunque loco illegitimè interturbaverit, aut impediverit ne Communes ac Publicas Preces cantet aut recitet, aut Sacramenta aut eorum alterutrum adminiſtret juxta modum & Formam in dicto libro expreſſam, tum quicunque ejus rei modo ſupradicto legitime reus peractus fuerit, Reginæ Supremæ Dominæ noſtræ illiuſque Hæredibus ac Succeſſoribus in pœnam primi hujuſce delicti pendent centum Marcas : & ſiquis, qui ſemel hujuſmodi delicti reus peractus fuerit, in ullum delictorum poſtremo loco memoratorum rurſus inciderit, ejuſque modo prædicto legitimè convictus fuerit, tum ſic delinquens, ſicque convictus Reginæ Supremæ Dominæ noſtræ, illiuſque Hæredibus ac Succeſſoribus in pœnam ſecundi delicti pender Quadringentas Marcas : Quod ſiquis qui bis modo ſupradicto ullius delicti convictus fuerit, circa poſtremo loco memorata delicta, tertia vice deliquerit, ejuſque modo ſupradicto fuerit reus peractus, tum ſic delinquens ſicque convictus in pœnam tertii delicti amittet Reginæ Supremæ Dominæ noſtræ omnia bona ſua mobilia & immobilia, & in carcerem conjectus per totam vitam eo detinebitur. Siquis autem qui ob primum delictum circa præmiſſas, modo ſupradicto convictus fuerit, ſummam virtute convictionis ſolvendam non pependerit, eo modo ac forma quibus pendi debet, intra ſex ſeptimanas illius convictionem proxime ſequentes ; tum quicunque ſic convictus, & qui ſic non pependerit, in pœnam primi illius delicti, vice mulctæ, per ſex menſes carcere detinebitur abſque ſponſione aut fidejuſſione quacunque : Et ſiquis, qui ob ſecundum delictum circa præmiſſas, modo ſu-

prædicto, convictus fuerit, ſummam virtute illius convictionis necnon vi hujuſce Statuti ſolvendam non pependerit, eo modo ac forma quibus pendi debet, intra ſex ſeptimanas ipſius ſecundam convictionem proxime ſequentes, tum quicunque ſic convictus fuerit & qui ſic non pependerit, in pœnam ſecundi dicti, vice dictæ mulctæ, in carcerem conjectus eo per annum integrum detinebitur, abſque ulla ſponſione aut fidejuſſione quacunque. Et quod à dicto Nativitatis S. *Johan.* Baptiſtæ Feſto proxime ſequenti ac deinceps, omnes & ſinguli hujuſce Regni aut alius cujuſcunque regionis intra Regiæ Majeſtatis ditiones incolæ diligentem ac fidelem dabunt operam (niſi legitimam ac rationi conſentaneam abſentiæ ſuæ cauſam habuerint) ut ſe conferant quiſque in ſuam Eccleſiam Parochialem aut conſuetum Sacellum, aut impedimento legitimo prohibente, in alium locum conſuetum, in quo Preces Communes & ejuſmodi cultus numinis peraguntur, quo tempore ſic prohibebuntur, ſingulis diebus Dominicis & aliis ex inſtituto & uſu Feſtis diebus; ibidemque maneat cum ea cum qua per eſt, decentia ac gravitate, dum aut recitantur Preces Communes, aut habetur ſacra Concio, aut pars alia Cultus numinis ibi celebranda aut adminiſtranda, peragitur; ſub pœna tum cenſuræ Eccleſiaſticæ, tum mulctæ duodecim denariorum à quolibet hac in parte delinquente ſolvendorum. Quam quidem ſummam ipſi ejus Parochiæ in qua ejuſmodi delictum fuerit, Oeconomi in uſum tantum ejuſdem Parochiæ procurabunt ex bonorum mobilium prædiorum ac ædium ejus qui hac in parte deliquerit, ſequeſtratione ac diſtractione.

Quo autem iſta debitæ executioni mandentur, Excellentiſſima Reginæ Majeſtas, Domini Temporales atque Plebs univerſa in hoc Parlamento coacti, in Dei nomine Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque Ordinarios ſerio atque enixe obteſtantur, iiſque præcipiunt ut omnem operam pro viribus adhibeant quiſque intra ſuam Dioceſim ac diſtrictum ut debite ac ſincere obſerventur, prout rationem omnium malorum ac plagarum quibus juſte Deus populum ſuum ob neglectam bonam adeo atque ſalutarem legem, afflixerit, coram ipſo Deo reddituri ſunt. Atque ut authoritate ſufficienti, hac in parte muniantur; Anthoritate prædicta Decretum eſto, quod omnes & ſinguli Archiepiſcopi, Epiſcopi, & omnes alii eorum officiarii Eccleſiaſtica Juriſdictione gaudentes tam in locis exemptis quam non exemptis intra eorum Dioceſes plenam poteſtatem atque authoritatem vi hujuſce Statuti habebunt Reformandi, Corrigendi ac Cenſuris Eccleſiaſticis ſubjiciendi omnes & ſingulos quotquot intra eorum Juriſdictionem aut Dioceſin, poſt prædictum Nativitatis S. *Johan.* Baptiſtæ Feſtum proxime ſequuturum, contra hocce Decretum ac Statutum deliquerint; alia quacunque Lege, Statuto, Privilegio, Libertate, aut Cautione antehac in contrarium adhibitis, aut permiſſis nihil quicquam obſtantibus.

Atque

Atque prædicta authoritate Decretum Statutumque eſto, quod omnes & ſinguli Judices, quos vocant de *Oyer & Determiner*, vel Judices de *Aſſize*, pro tribunali ſedentes, poteſtatem & authoritatem habebunt inquirendi, audiendi & determinandi omnia cujuſcunque generis delicta quæ admittentur aut perpetrabuntur contra ullum Articulum in hoc Decreto contentum, intra limites ipſis conceſſæ Commiſſionis & proceſſum faciendi pro executione eorundem juxta formulam juris procedendi in debitis pœnis illis infligendis; prout fas eſt ipſis facere contra quemcunque qui coram ipſis alicujus delicti poſtuletur, aut criminis legitimo judicio reus peractus ſit. Cautum vero ſemper ſit atque prædicta authoritate decretum, quod omnibus & ſingulis Archiepiſcopis atque Epiſcopis fas erit, quotieſcunque prout ipſis viſum fuerit, vi hujuſce Statuti prædictis Judicibus de *Oyer & de Terminer*, aut de *Aſſize* publice in quocunque loco intra Diœceſin pro tribunali ſedentibus aſſidere, iiſque ſociam operam commodare, ad inquirendum, audiendum ac determinandum delicta ſupra memorata.

Cautum quoque eſto atque prædicta authoritate Decretum, quod Sacrorum prædictorum libri propriis Parochianorum cujuſvis Parochiæ & Eccleſiæ Cathedralis ſumptibus comparabuntur ante dictum Feſtum Nativitatis S. *Johan.* Baptiſtæ proxime ſequuturum; & quod quælibet Parochia & Eccleſia Cathedralis aut alia loca, quæ dictos libros ſibi comparaverint ante dictum Nativitatis S. *Johan.* Baptiſtæ Feſtum, intra tres ſeptimanas poſt prædictos libros comparatos proxime ſequentes, Sacra prædicta uſurpabunt eaque uſu quotidiano celebrabunt juxta hocce Statutum. Inſuper prædicta authoritate Decretum eſto neminem unquam poſthac in jus vocatum ac criminis poſtulatum fore, aut ullam moleſtiam paſſurum ob ulla delicta ſupra memorata, in poſterum contra hoc Statutum admittenda aut patranda, niſi ſic delinquens eo nomine poſtulatus fuerit in generali Seſſione proxime futura coram memoratis Judicibus de *Oyer & de Terminer* aut Judicibus de *Aſſize*, poſt quodcunque delictum admiſſum aut patratum contra tenorem hujuſce Statuti.

Cautum ſemper, Decretumque atque Statutum eſto prædicta authoritate, quod omnes & ſinguli Parlamenti Proceres pro tertio delicto ſuperius memorato, à ſuis Paribus judicabuntur. Cautum etiam, Decretumque atque Statutum eſto prædicta authoritate, Quod Prætor *Londinenſis*, aliiſque omnes Prætores, Balivi, atque alii Magiſtratus præcipui omnium ac ſingularum Civitatum, municipiorum ac urbium corporatarum, quas vocant intra hoc Regnum *Walliam* & illius Marchias ſeu limites, in quas ſe conferre non conſueverunt Judices de *Aſſize*, plenam poteſtatem atque authoritatem habebunt virtute hujuſce Statuti, quotannis inquirendi, audiendi, ac finiendi omnia ac ſingula delicta ſupra memorata, intra duas ſeptimanas a Feſtis *Paſchatis* & Sancti *Michaelis* Archangeli proxime ſequentes, eo modo eaque forma quibus ſolent Judices *de Aſſize*, & *de Oyer & de Terminer*.

Cautum ſemper, Decretumq, atque Statutum eſto authoritate prædicta, quod omnes Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & ſinguli eorum Cancellarii, Commiſſarii, Archidiaconi, aliique Ordinarii quotquot gaudent peculiari Juriſdictione, plenam poteſtatem & authoritatem habebunt virtute hujuſce Statuti, tam inquirendi in ſuis Viſitationibus, Synodis, & alibi intra Juriſdictionem ſuam alio quovis tempore, & loco; admittendi Accuſationes & Informationes omnium & ſingularum rerum ſupra memoratarum, quotquot evenerint atque admiſſæ & perpetratæ fuerint, intra limites eorum Juriſdictionis & Authoritatis, quàm eas puniendi, admonitione, excommunicatione, ſequeſtratione aut deprivatione, aliiſque cenſuris & proceſſibus, eadem forma quæ antea conſuevit in ſimilibus caſibus juxta Reginæ Leges Eccleſiaſticas.

Cautum ſemper, atque Statutum eſto, ut quiſquis in præmiſſis deliquerit, atque ob delictum Ordinarii cenſuram primum ſubierit, cenſuræque teſtimonium ejuſdem Ordinarii manu munitum habuerit, non amplius ejuſdem delicti reus peragetur coram Judicibus: Et ſimiliter, ſi ei pœna ob delictum à Judicibus primum irrogata fuerit, non amplius ob idem delictum ab Ordinario cenſuræ ſubjicietur. Nihil, quod in hoc Statuto contineatur, quicquam obſtante.

Cautum ſemper, atque Decretum eſto, Quod eadem Eccleſiæ ejuſq; Miniſtrorum ornamenta, quæ authoritate Parlamenti habiti anno ſecundo Regni *Edwardi* Regis Sexti uſu recepta erant in hac Eccleſia Anglicana, retinebuntur & uſurpabuntur, donec alia ratio hac in parte inita fuerit Regiæ Majeſtatis authoritate, Reginæ Commiſſariis ad cauſas Eccleſiaſticas, Magni Angliæ Sigilli authoritate munitis, aut hujuſce Regni Metropolitano in conſilium adhibitis: Atque etiam, quod ſi aliquis contemptus, aut quid contra debitam reverentiam circa Ceremonias, aut alios Eccleſiæ Ritus, Regularum in hoc libro poſitarum abuſu, acciderit, fas erit Reginæ iiſdem Commiſſariis aut Metropolitano in conſilium adhibitis, eas inſuper Ceremonias aut Ritus inſtituere atque edicere quæ ad incrementum gloriæ Dei, ad Eccleſiæ ædificationem, & ad ſanctorum Chriſti Myſteriorum & Sacramentorum debitam reverentiam maximè conducibiles fuerint.

Denique Decretum eſto authoritate prædicta, quod omnes Leges, Statuta, & Ordinationes in quibus, aut quarum authoritate, ullus alius cultus, Sacramentorum Adminiſtratio, aut Preces Publicæ, limitantur, conſtituuntur aut eduntur in uſum publicum intra hoc Regnum aut alias Reginæ ditiones, abhinc abrogabuntur & fient plene irrita.

Statutum

John Slinger
Studfold House
1895.

Statutum pro Uniformitate Precum Communium, & Administrationis Sacramentorum, aliorumque Rituum atque Ceremoniarum: & pro constituenda Forma Faciendi, Ordinandi & Consecrandi Episcopos, Presbyteros & Diaconos in Ecclesiâ Anglicana.

XIV *CAROL.* II.

QUandoquidem anno primo *Elizabethæ* Reginæ Uniformis ordo cultus Publici & Precum, & Administrationis Sacramentorum, Rituum & Ceremoniarum in Ecclesia Anglicana obtinuit; isque Verbo Dei atque Ecclesiæ Primitivæ Usui consentaneus, à Reverendis Episcopis & Clero compositus in uno libro editus, cui Titulus, *Liber Precum Communium & Administrationis Sacramentorum, aliorumque Rituum atque Ceremoniarum in Ecclesia Anglicana*, & usui publico commendatus Parlamenti anno primo Regni jam memoratæ Reginæ habiti Decreto, cui Titulus, *Statutum pro Uniformitate Precum Communium, & Cultûs in Ecclesia, & Administrationis Sacramentorum*, piis omnibus quotquot Christianis moribus delectantur suavis admodum, atque utilissimus Statuti hujusce Regni, in quod misericordia, Favor, atque Benedictio Dei Omnipotentis nulla ratione citius atque uberius effunduntur, quam fusis ad Deum Publicis Precibus, debito Sacramentorum usu, & frequente Evangelii prædicatione, quæ cum Auditorum devotione excipiatur: Quæ cum ita sint nihilominus ingens hominum numerus in variis hujusce Regni partibus, qui pravis affectibus indulgentes, in ignorantia vitam transigentes, & procul amoto Dei timore, obstinato Schismaticoque animo absunt ab Ecclesiis Parochialibus & aliis locis Publicis in quibus habentur Preces Publicæ, Administrantur Sacramenta, & Verbum Dei prædicatur, Dominicis aliisque diebis Festis, & in ea loca se conferre renuunt: Ac quandoquidem ingentia mala atque incommoda tempore nuperorum infelicium motuum magno ac scandaloso Ministrorum neglectu circa ordinem, sive Liturgiam eo modo quo supra editam ac præscriptam, acciderunt, multique in Factiones ac Schismata inducti sunt, unde Religio Reformata quam Ecclesia Anglicana profitetur, magnum detrimentum ac scandalum passa est, & periclitatæ sunt multorum animæ: Quæ mala atque incommoda ut præcidantur in posterum, ut Ecclesiæ pax firmetur, & ut varii animorum morbi, temporum intemperie contracti quibus jam laborant, sedentur, Regia Majestas (juxta declarationem die 25 *Octobris* promulgatam Anno 1660.) multis Episcopis aliisque Theologis Commissionem

onem ſuam magno Angliæ Sigillo munitam conceſſit, ut recenſerent Librum Precum Publicarum, utque eas mutationes atque Additiones præpararent; quæ Ipſis proponendæ viderentur: & poſtea Synodis Utriuſque Provinciæ, Cantuarienſis ſcilicet ac Eboracenſis à Rege convocatis, & jam ſedentibus, placuit Regiæ Majeſtati authoritatem concedere ac mandare prædictarum Synodorum Præſidibus aliiſque Epiſcopis & Clero in iiſdem ſedentibus, recenſendi jam memoratum librum Precum Publicarum, itemq; librum & Formam atque Modum Faciendi, ac Conſecrandi Epiſcopos, Presbyteros ac Diaconos; & ut re mature penſitata, ea mutarent atque adderent in utroque libro, quæ ipſis mutanda ac addenda viderentur; eaque in ſcriptis ſuæ Majeſtati exhiberent, ut ab ea approbarentur ſeu confirmarentur; ex quo tempore re accurate ac mature penſitata, prædicti Præſides, Epiſcopi ac Clerus utriuſque Provinciæ prædictos libros pro demandata ſibi provincia recenſuerunt, & quædam in iis immutarunt quæ in eos cenſent inferenda, & novas quaſdam Precationes certis quibuſdam temporibus ac pro data occaſione uſurpandas libro Liturgico addiderunt; eaque omnia in ſcriptis Regiæ Majeſtati exhibuerunt in uno libro, cujus titulus, *Liber Precum Communium & Adminiſtrationis Sacramentorum, aliorumque Rituum atque Ceremoniarum Eccleſiæ, juxta uſum Eccleſiæ* Anglicanæ, *una cum Pſalterio ſeu Pſalmis* Davidis, *ea Punctatione diſtinctis qua Cantari aut Recitari debent in Eccleſiis: Itemque Forma ac Modus Faciendi, Ordinandi, ac Conſecrandi Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos.* Quæ omnia à Regia Majeſtate poſt debitam conſiderationem approbata ſunt & rata habita, & præſenti huic Parlamento commendata, ut prædictus liber Precum Communium, & Formæ Ordinandi & Conſecrandi Epiſcopos, Presbyteros ac Diaconos, cum mutationibus & additionibus quæ factæ & Regiæ Majeſtati exhibitæ ſunt à memoratis Synodis prout ſupra expoſitum eſt, ſit liber ille quem uſurpare tenebuntur quotquot ſacra celebrabunt in omnibus Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis & Sacellis; atque in omnibus utriuſque Academiæ Collegiorum & Hoſpitiorum Sacellis, & in *Etonienſi* ac *Wintonienſi* Collegiis, & in omnibus Eccleſiis Parochialibus & Sacellis intra hoc Regnum *Angliæ*, Principatum *Walliæ*, & Oppidum *Barwick* ad *Tweedam*, & ab iis omnibus qui Faciunt aut Conſecrant Epiſcopos, Presbyteros aut Diaconos, in ullo eorum locorum, ſub iis ſanctionibus ac pœnis, quæ utrique Parlamenti conſeſſui æquæ videbuntur. Jam vero quoniam nihil eſt conducibilius ad firmandam hujuſce gentis pacem (quam boni omnes in votis habent) aut Religionis noſtræ honorem, ejuſque propagationem, quam univerſus conſenſus in celebrando Dei omnipotentis cultu publico; atque ut quilibet intra hoc Regnum poſſit plane perſpectam habere Regulam quam ſequi debet in cultu publico, Adminiſtratione Sacramentorum, aliorumque Rituum atque Ceremoniarum Eccleſiæ *Anglicanæ*; Et modum juxta quem, & à quibus Epiſcopi, Presbyteri ac Diaconi fiunt, Ordinantur & Conſecrantur, atque fieri, ordinari ac conſecrari debeat. De-

Decretum eſto ab Excellentiſſima Majeſtate Regia, ex conſilio & cum conſenſu Dominorum Spiritualium ac Temporalium, itemque univerſæ Plebis in hoc præſenti Parlamento congregatorum, illiuſque authoritate, Quod omnes & ſinguli Miniſtri in quacunque Cathedrali, Collegiata aut Parochiali Eccleſia aut Sacello aut alio loco Cultus Publici intra hoc Regnum *Angliæ*, Principatum *Walliæ*, & Oppidum *Barwick* ad *Tweedam*, tenebuntur recitare & uſurpare Matutinas & Veſpertinas Preces, utriuſq; Sacramenti celebrationem, & Adminiſtrationem, & reliquas omnes Publicas & Communes Preces eo ordine, eaque forma quibus habentur in prædicto libro qui huic Statuto annexus ſubjungitur, cujuſque titulus eſt, *Liber Precum Communium & Adminiſtrationis Sacramentorum, aliorumque Rituum atque Ceremoniarum Eccleſiæ, juxta uſum Eccleſiæ* Anglicanæ; *una cum Pſalterio ſeu Pſalmis* Davidis, *ea Punctatione diſtinctis qua Cantari aut Recitari debent in Eccleſiis: Itemque Forma & Modus Faciendi, Ordinandi & Conſecrandi Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos.* Quodque Preces Matutinæ ac Veſpertinæ in eo contentæ qualibet die Dominica aliiſque omnibus diebus, & datis occaſionibus, temporibuſque in eo præſtitutis apertè, & ſolenni modo prælegentur ab omnibus, & ſingulis Miniſtris ſeu Curatis in unaquaque Eccleſia, Sacello aut alio loco Cultus Publici intra hoc Regnum *Angliæ* & loca ſuperius memorata. Ut autem Uniformitas in publico numinis cultu (quæ tam ardentibus votis expetitur) quantocius obtineat, inſuper Decretum eſto authoritate prædictâ quod quilibet Parochus, Vicarius aut alius quicunque qui jam gaudet ullo Eccleſiaſtico Beneficio aut Promotione, intra hoc Regnum *Angliæ* aut prædicta loca, in Eccleſia aut Sacello, aut loco Cultus Publici ad prædictum illius Beneficium aut Promotionem pertinente, Dominica quadam aut Feſto die aliquo ante Feſtum S. *Bartholomæi* quod futurum eſt anno 1662. aperte, publice & ſolenniter recitabit Matutinas & Veſpertinas Preces, per & juxta prædictum librum Precum Communium, recitandas horis præſtitutis, & quod poſt ejuſmodi illarum recitationem aperte, & publice coram cœtu ibi congregato aſſenſum & conſenſum ſuum haud fictum uſui rerum omnium prædicto libro contentarum aut præſcriptarum, in hæc verba non in alia, declarabit:

EGO *A. B.* hic Declaro aſſenſum ac conſenſum meum haud fictum iis omnibus ac ſingulis quæ in libro, cui Titulus, *Liber Precum Communium & Adminiſtrationis Sacramentorum, aliorumque Rituum atque Ceremoniarum Eccleſiæ* Anglicanæ; *una cum Pſalterio ſeu Pſalmis* David, *ea Punctatione diſtinctis qua Cantari aut Recitari debent in Eccleſiis. Itemque Forma & Modus Conſecrandi, Ordinandi ac Faciendi Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos,* continentur aut juxta illum preſcribuntur.

Et quod omnes & ſinguli, qui (abſque legitimo impedimento ab Ordinario loci approbando) id præſtare neglexerint aut de-

trectaverint intra tempus prædictum, aut (cum adfuerit ejuſmodi impedimentum) intra unius menſis ſpatium poſtquam remotum fuerit ejuſmodi impedimentum, omnibus ſuis Promotionibus Spiritualibus *ipſo facto* ſpoliabitur; Et quod ab eo tempore fas erit omnibus Patronis & Donatoribus omnium & ſingularum prædictarum Promotionum Spiritualium, aut ullius illarum, pro ſuo cuique jure ac Titulo, ad illas ſeu per collationem ſeu alia ratione præſentare; perinde ac ſi is aut ii qui ſic deliquerint aut neglexerint, diem ſuum obiiſſent.

Præterea Decretum eſto Authoritate prædicta, quod quiſquis poſthac ad ullum Beneficium Eccleſiaſticum aut Promotionem ſeu collatione ſeu alia quacunque ratione Præſentabitur, & in illud inductus fuerit, intra hocce Regnum Angliæ & loca ſuperius memorata, in Eccleſia, Sacello, aut loco Cultus Publici ad prædictum illius Beneficium ſeu Promotionem pertinente, intra duos menſes proxime ſequuturos poſtquam actualem poſſeſſionem prædicti Eccleſiaſtici Beneficii ſeu Promotionis adeptus fuerit, aliqua die Dominica, aperte, publice & ſolenniter recitabit Matutinas & Veſpertinas Preces, juxta prædictum Librum Precum Communium recitandas, horis per & juxta illum præſtitutis: Et poſt ejuſmodi illarum recitationem, aperte, & publice coram cœtu ibidem congregato declarabit aſſenſum & conſenſum ſuum haud fictum uſui rerum omnium inibi contentarum & præſcriptarum juxta formulam ſupra conſtitutam; Et quod omnes & ſinguli, qui (abſque aliquo legitimo impedimento ab Ordinario loci approbando) id præſtare neglexerint aut detrectaverint in prædictum tempus, aut (ſi adfuerit ejuſmodi impedimentum) intra unius menſis ſpatium, poſtquam remotum fuerit ejuſmodi impedimentum omnibus prædictis Eccleſiaſticis Beneficiis & Promotionibus ipſo facto ſpoliabitur; Et quod ab eo tempore fas erit omnibus Patronis & Donatoribus omnium & ſingulorum prædictorum Eccleſiaſticorum Beneficiorum, & Promotionum, aut ullius eorum (pro ſuis cuique Juribus & Titulis) ſeu per collationem ſeu alia quavis ratione ad ea præſentare, perinde ac ſi is ſive qui ſic deliquerint aut neglexerint, diem ſuum obiiſſent.

Atque Decretum inſuper eſto Authoritate prædicta, quod in omnibus locis, in quibus proprius incumbens, ſeu poſſeſſor cujuſcunque Rectoriæ, Vicariæ, aut Beneficii Curati, reſidet in proprio Beneficio & ſubſidiaria alterius Miniſtri opera utitur, Incumbens ipſe (nullo legitimo impedimento ab Ordinario loci approbando detentus) ſemel, ut minimum intra quemlibet menſem aperte & publice recitabit Preces Communes & ſacra officia in prædicto libro & per prædictum librum præſcripta, & (ſi dabitur occaſio) adminiſtrabit utrumque Sacramentum, & alios Ritus Eccleſiæ, in Eccleſia Parochiali, aut Sacello ejuſdem Rectoriæ, Vicariæ aut Beneficii ad illam pertinente, eo ordine, modo, & forma quæ in eodem libro & per eundem librum præſcribuntur, ſub pœna mulctæ quinque librarum in uſum illius Parochiæ, pro unoquoque delicto, ſi vel confitentem reum ſeſe exhibuerit, aut ſi duorum

rum teſtium jurejurando crimen probatum fuerit coram duobus Eirenarchis Comitatus, Civitatis aut Municipii, ubi delictum admiſſum fuerit (quod quidem jusjurandum deferendi poteſtas prædictis Eirenarchis hocce Statuto conceditur.) Et ſi prædicta mulcta ſoluta non fuerit intra decimum diem, tum ſequeſtratione & diſtractione bonorum mobilium delinquentis, juſſu & reſcripto prædictorum Eirenarcharum, ab Eccleſiæ Oeconomis ſeu Pauperum ejuſdem Parochiæ Curatoribus procurabitur; ſiquid autem ex diſtractione ſupererit, delinquenti reſtituetur.

Atque inſuper Decretum eſto Authoritate prædicta, quod quilibet Decanus, Canonicus & Præbendarius unjuſcuſque Eccleſiæ Cathedralis aut Collegiatæ; & omnes Magiſtri & alii Præpoſiti, Socii, Sacellani, & Inſtitutores cujuſcunque Collegii, Studioſorum Hoſpitii, Gymnaſii. aut Ptochotrophii aut qui in iis vivunt; & quivis Profeſſor Publicus & Prælector in alterutra Academia, & in unoquoque Collegio alibi: Et omnis Rector, Vicarius, Miniſter qui ſubſidiariam Rectori aut Vicario commodat operam, Prælector, & alius quivis ſacris ordinibus initiatus, & unuſquiſque Ludimagiſter qui Ludo literario ſeu publico ſeu privato præeſt; Et alius quivis, qui pueris inſtituendis & docendis intra cujuſquam ædes privatas Inſtitutoris ſive Præceptoris nomine, qui prima die Menſis *Maii* qui futurus eſt Anno 1662. aut qui poſthac quocunque tempore, ullo Decanatu, Canonicatu, Præbenda, Præfectura, Præpoſitura, Societate, Profeſſoris aut Prælectoris munere, Rectoria, Vicaria, aut alia quacunque Eccleſiaſtica dignitate, ſeu Promotione gaudebit, aut ſubſidiarii Miniſtri aut Prælectoris officio certo loco fungetur, aut Ludo literario præfuerit; aut Pueros inſtituet aut docebit intra cujuſquam ædes Privatas Inſtitutoris ſeu Præceptoris nomine, ante Feſtum S. *Bartholomæi* quod futurum Anno Dom. 1662. aut cum admittentur aut antequam admittantur ad Dignitatem, Promotiones, Beneficia aut munera ſupradicta & in eorum poſſeſſionem mittantur, ſequenti Declarationi ſeu Profeſſioni manu propria ſubſcribant, *ſcilicet*:

EGO A. B. *Declaro, Quod non licet quocunque Prætextu Arma gerere adverſus Regem; quodque Deteſtor proditoriam illam poſitionem, ſcilicet, poſſe Regia Authoritate Arma geri contra Regis perſonam, & contra eis qui Regio mandato præſunt Rei Bellicæ; atque quod conformem me præſtabo Liturgiæ Eccleſiæ* Anglicanæ, *prout jam Lege conſtituta eſt. Præterea ego declaro, me in ea eſſe ſententia neque me neque alium quenquam, virtute illius juramenti, quod* Solennis Liga & Fœdus *vulgo dicitur; obligari ad procurandam ullam mutationem ſive alterationem Eccleſiaſtici ſeu Politici Regiminis; Imò illud ipſum Juramentum fuiſſe ex ſe illicitum, atque hujuſce Regni Subditis impoſitum contra notas leges & libertates hujus Regni.*

Cui Declarationi ac Profeſſioni ſubſcribent ſinguli Magiſtri aliique Præpoſiti, Socii, Sacellani & Inſtitutores, uniuſcujuſque Collegii

Collegii aut ibi degentes, ſtudioſorum Hoſpitii, aut Gymnaſii, aut qui in iis vivunt; & ſinguli Publici Profeſſores & Prælectores in Alterutra Academia quiſque coram Vicecancellario illius Academiæ in quâ vixerint, pro tempore exiſtente aut Vicecancellarii Delegato. Eidem Declarationi ſeu Profeſſioni ſubſcribent, quiſque coram ſuo Archiepiſcopo, Epiſcopo aur Ordinario Diœceſeos, ſinguli qui hocce Statuto jubentur eidem ſubſcribere; Hæc autem erit eorum omnium pœna qui prædictam ſubſcriptionem neglexerint aut detractaverint; quod mulctabuntur ſuo quiſque Decanato, Canonicatu, Collegii Præfectura, Præpoſitura, Societate, Profeſſoris, Prælectoris munere, Rectoria, Vicaria, Eccleſiaſtica Dignitate ſeu Promotione, Subſidiarii Miniſtri, aut Prælectoris officii, ac Scholarcatu, *ipſoque facto* ejuſmodi Dignitatis, Promotionis, Beneficii, muneris, officii omnino incapax evadet, eoque ſpoliabitur; & quod unuſquiſque ejuſmodi eorum Decanatus, Canonicatus, Præbenda, Præfectura, Præpoſitura, Societas, Profeſſoris, Prælectoriſque munus, Rectoria, Vicaria, Eccleſiaſtica Dignitas aut Promotio, Subſidiarii Miniſtri, Prælectoriſque officium & Scholarcatus vacabit, perinde ac ſi ii qui ſic deliquerint, diem ſuum naturaliter obiiſſent.

Quod ſi ullus Ludimagiſter aut alius quiſquam qui pueris docendis operam navarit intra cujuſdam ædes Privatas Inſtitutoris, aut Præceptoris nomine, ullos pueros inſtituerit, antequam impetraverit licentiam à ſuo quiſque Archiepiſcopo, Epiſcopo, aut Ordinario Diœceſeos, juxta Leges & Statuta hujuſce Regni (pro qua ſolvet tantum duodecim denarios) & ſubſcripſerit atque profeſſus fuerit, prout ſupradictum eſt; tum ſinguli Præceptores aliive qui pueros inſtituerint aut docuerint ut ſupradictum eſt, pro primo delicto per integrum trimeſtre carcere detinebuntur abſque ulla ſponſione aut fidejuſſione; & pro ſecundo & alio quocunque delicto ejuſmodi, per integrum trimeſtre carcere detinebuntur abſque ulla ſponſione aut fidejuſſione, & ſummam quinque librarum Regiæ Majeſtati pendent pœna nomine.

Ejuſmodi autem facta ſubſcriptione, omnes & ſinguli Rectores, Vicarii, Miniſtri ſubſidiariam operam aliis commodantes, & Prælectores procurabunt literas Teſtimoniales quiſque à ſuo Archiepiſcopo, Epiſcopo, aut Ordinario Diœceſeos, (qui hocce Statuto jubentur ac requiruntur eas expedire atque exhibere) illius propria manu ſubſcripta & ſigillo munitas: eaſque publice & aperte prælegent una cum Declaratione aut Profeſſione, aliqua die Dominica, intra tres menſes proxime ſequentes, in ſua quiſque Eccleſia Parochiali, in qua tenentur Sacra Officia celebrare, coram cœtu ibi congregato, inter ſacrorum ſolennia; Quiſquis autem hac in parte officio ſuo defuerit, Rectoriæ, Vicariæ, aut Beneficii Subſidiarii Miniſtri aut Prælectoris muneris jactura mulctabitur, & illius omnino incapax evadet, illoque ſpoliabitur, ipſo facto: vacabitque prædicta Rectoria, Vicaria, aut Beneficium, Subſidiarii Miniſtri aut Prælectoris munus, perinde ac ſi diem ſuum naturaliter obiiſſet.

Cautum

Cautum verò ſemper eſto, quod à die 25 Menſis *Martii* qui futurus eſt Anno Domini 1662. ac deinceps, omittentur in prædictâ Declaratione aut Profeſſione ut ſupradictum eſt, ſubſcribenda ac prælegenda, verba ſequentia, *ſcilicet.*

PRæterea ego declaro, me in ea eſſe ſententia neque me neque alium quemquam, virtute illius juramenti, quod Solemnis Liga & Fœdus *vulgo dicitur, obligari ad procurandam ullam mutationem ſive alterationem Eccleſiaſtici ſeu Politici Regiminis; Imo illud ipſum Juramentum fuiſſe ex ſe illicitum, atque hujuſce Regni Subditis impoſitum contra notas leges & libertates hujus Regni.*

Adeo ut nullus ſupramemoratorum exinde tenebitur ei parti præfatæ Declarationis aut Profeſſionis ſubſcribere, eamve prælegere.

Cautum ſemper, atque Decretum eſto, quod à Feſto S. *Bartholomæi* quod futurum eſt, Anno Domini 1662. ac deinceps, nemo qui nunc gaudeat ulla Rectoria, Vicaria, aut Beneficio, quique jam ſacris ordinibus manibus Epiſcopalibus nondum ſit initiatus, aut qui ante dictum S. *Bartholomæi* Feſtum Presbyter aut Diaconus non fuerit ordinatus, juxta formulam Epiſcopalis ordinationis, habebit, tenebit, poſſidebit prædictam Rectoriam, Vicariam, Beneficium cum Cura animarum, aut ullam aliam Eccleſiaſticam Promotionem intra hoc Regnum *Angliæ*, aut Principatum *Walliæ*, aut *Barwicum* Oppidum ad *Tweedam*: ſed illius omnino incapax evadet, eoque ſpoliabitur ipſo facto: atque omnes illius Eccleſiaſticæ Promotiones vacabunt perindè ac ſi diem ſuum naturaliter obiiſſet.

Itemque Decretum eſto authoritate prædicta, quod nemo exinde futurus eſt habilis qui admittatur ad ullam Rectoriam, Vicariam, Beneficium, aut ullam aliam cujuſcunque generis Eccleſiaſticam Promotionem aut Dignitatem, neque præſumat Conſecrare aut Adminiſtrare Sanctum Sacramentum cœnæ Dominicæ, priuſquam Presbyter Ordinatus fuerit juxta Formam & Modum in dicto libro ac juxta illum præſcriptum, niſi antea Presbyter creatus fuerit Epiſcopali ordinatione; ſub pœna pro unoquoque delicto centum librarum, quarum pars dimidia Regio fiſco pendetur; pars quarta pauperibus Parochiæ in qua commiſſum fuerit delictum, itemque quarta pars ei aut iis qui jure agere cum delinquente voluerint Actione debiti, ſcedulæ, querelæ, aut delatoria in quacunque Curiarum Regiarum * *Recordi* quas vocant, in qua nulla dilatio, protectio aut Pignoris depoſitio, admittetur; eritque incapax qui Presbyter ordinetur per annum integrum proxime ſequentem.

* *Earum Acta authentica ſunt ad fidem faciendam.*

Sub hac cautione, quod pœnæ hoc Statuto decretæ non infligentur Exteris ſeu alienigenis Eccleſiarum Reformatarum, approbatarum

probatarum aut approbandarum à Regia Majeſtate, illiuſque Hæredibus ac Succeſſoribus.

Cauto ſemper quod nullum jus ad conferendum aut Præſentandum per lapſum, acquiretur ulla vacantia aut Deprivatione ex *ipſo facto*, virtute hujus Statuti, niſi poſt ſex menſes, ex quo Ordinarius de ejuſmodi vacantia aut Deprivatione certiorem fecerit Patronum; aut niſi ejuſmodi Deprivationis ſententia aperte & publice recitata fuerit in Eccleſia Parochiali Beneficii, Rectoriæ, aut Vicariæ, quæ vacaverit aut cujus incumbens deprivabitur virtute hujus Statuti.

Ac præterea Decretum eſto authoritate prædicta, Quod nulla Forma aut Ordo Precùm Communium, Adminiſtrationis Sacramentorum, Rituum, aut Ceremoniarum, aperte uſurpabitur in ulla Parochia, Sacello, aut alio loco Publico; aut in ullo Collegio, aut ſtudioſorum Hoſpitio in alterutra Academia, aut in *Weſtmonaſterienſi*, *Wintonienſi*, aut *Etonienſi* Collegiis, aut ullo eorum, diverſus ab eo qui præſcribitur & jubetur uſurpari. Et quod quilibet Rector ſeu Præfectus qui nunc præeſt ulli Collegio, aut Studioſorum Hoſpitio, in alterutra Academia, aut ulli dictorum Collegiorum *Weſtmonaſt. Winton.* aut *Eton.* intra unius menſis ſpatium proximè ſequuturi poſt Feſtum S. *Barthol.* quod futurum eſt Anno 1662: & omnes & ſinguli Rectores ſeu Præfecti cujuſcunque prædictorum Collegiorum ac Hoſpitiorum, in poſterum eligendi aut præficiendi, intra unius menſis ſpatium poſt Electionem aut Collationem & Admiſſionem ad eandem Præfecturam aut Præpoſituram, aperte & publice in Eccleſia, Sacello, aut alio loco Publico ejuſdem Collegii, aut Hoſpitii præſentibuſque ejuſdem Sociis ac Studioſis aut ibi tum Reſidentium parte majore, ſubſcribit 39 Articulis Religionis, quorum mentio fit in Statuto Anni 13 *Eliſabethæ* Reginæ; & prædicto libro; atque declarabit aſſenſum ac conſenſum ſuum haud fictum, prædictis Articulis, & prædicto libro, & uſui Precationum Rituum, & Ceremoniarum, Formularum, & Ordinum in prædicto libro præſcriptorum & contentorum, & eorum approbationem juxta Formam prædictam: Et quod omnes prædicti Rectores ſeu Præfecti prædictorum Collegiorum ac Hoſpitiorum, aut quotquot eorum jam ſunt Sacris ordinibus initiati, aut poſthac initiati fuerint, ſemel ut minimum intra quodlibet trimeſtre cujuſvis anni, non obſtante legitimo impedimento, aperte & publice recitabunt Preces Matutinas & Sacra in dicto libro & ex illius præſcripto recitanda in Eccleſia, Sacello, aut alio loco publico ejuſdem Collegii aut Hoſpitii ſub pœna amiſſionis per integrum ſemeſtre omnium beneficiorum atque emolumentorum ad eandem Præfecturam aut Præpoſituram ſpectantium, à quibus percipiendis ſuſpenſione prohibebitur à Viſitatore aut viſitatoribus ejuſdem Collegii aut Hoſpitii. Et ſi ullus Rector aut Præpoſitus ullius Collegii aut Hoſpitii eo modo ſuſpenſus eo quod non ſubſcripſerit prædictis Articulis & libro; aut eo quod non recitaverit Preces Matutinas & Sacra, prout ſupradictum eſt, ſtatim

poſt,

poſt, aut ante elapſos ſex menſes prædictam ſuſpenſionem proximè ſequentes, prædictis Articulis atque libro non ſubſcripſerit, & non declaraverit conſenſum ſuum ut ſupradictum eſt, aut non recitaverit Preces Matutinas & Sacra, prout ſupra dictum eſt, tum vacabit ipſo facto ejuſmodi Præfectura ſeu Præpoſitura.

Cautum ſemper eſto, Quod fas erit Preces Matutinas & Veſpertinas aliaſque Preces atque Sacra in libro prædicto ac per eum præſcripta Latine uſurpare in Sacellis aut aliis locis publicis uniuſcujuſque Collegii & Hoſpitii in utraque Academia, *Weſtmonaſterienſi*, *Wintonienſi*, & *Etonienſi* Collegiis, & in Convocationibus Cleri utriuſque Provinciæ, nihil quod in hoc Statuto contineatur quicquam obſtante.

Itemque Decretum eſto authoritate prædicta quod nemo admittetur ut Prælector aut permittetur, tolerabitur, aut ſinetur concionari tanquam Prælector; aut concionem habere aut Prælectionem prælegere in ulla Eccleſia, Sacello aut alio loco Cultus Publici, intra hoc Regnum *Angliæ*, aut Principatum *Walliæ*, & Oppidum *Berwick* ad *Twedam*, niſi antea approbatus ab Archiepiſcopo Provinciæ, aut Epiſcopo Diœceſeos (aut ſede vacante) a Cuſtode Spiritualitatum, & impetrata illius licentia ſigillo ipſius munitâ; Et niſi coram eodem Archiepiſcopo, aut Epiſcopo aut cuſtode legerit 39 Articulos Religionis quorum mentio fit in Statuto 13 *Elizabethæ* quondam Reginæ, cum Declaratione Aſſenſus iiſdem haud ficti; Et quod omnes & ſinguli qui jam impetrarunt, aut impetraturi ſunt licentiam ut ſint Prælectores, quibuſque Prælectoris munus demandatum fuerit, ut concionentur feria aliqua ſeptimanæ in quacunque Eccleſia, Sacello aut loco Cultus Publici intra hoc Regnum *Angliæ*, aut loca ſupra memorata, quum primam habent concionem, antequam incipiant concionari, aperte, publice & ſolenni ritu recitabunt Preces Communes & Sacra in dicto libro & per eum præſcripta atque ea hora diei recitanda; Et tunc ibi publice & aperte declarabunt aſſenſum ſuum prædicto libro ejuſque approbationem; atque uſui omnium Precum, Rituum & Ceremoniarum, Formularum atque ordinum illic contentorum ac præſcriptorum, juxta formulam ſuperius in hoc Statuto præſcriptam. Itemque exinde primo quoque die cujuſvis menſis quo habent concionem, quamdiu ibi prælectoris ſeu Concionatoris munere funguntur loco deſignato prædictæ Prælectioni ſeu concioni habendæ, ante prædictam ſuam prælectionem ſeu Concionem, aperte, publice, & ſolenni Ritu, recitabunt Preces Communes & Sacra in prædicto libro & per eum præſcripta ac ea hora diei recitanda, qua habenda eſt Prælectio aut Concio, & poſt ejuſmodi eorum recitationem, aperte ac publice coram cœtu illic congregata declarabunt aſſenſum & conſenſum haud fictum prædicto libro ejuſque approbationem, itemque uſui omnium Precum, Rituum & Ceremoniarum, Formularum & ordinum inibi contentorum ac præſcriptorum juxta prædictam Formulam; Et quod omnes & ſinguli ejuſmodi Concionatores ac Prælectores qui neglexerint aut detra-

detractaverint illud præstare, ab eo tempore fient inhabiles ad habendam prædictam aut ullam aliam quamcunque concionem aut Prælectionem, in prædicta aut alia quacunque Ecclesia, Sacello aut loco Cultus Publici; donec aperte, publice & solenni ritu recitaverint Preces Communes, & Sacra per dictum librum injuncta ac præscripta, juxta propositum, verum scopum ac sensum hujusce Statuti.

Cauto semper, Quod si prædicta Concio aut Prælectio habenda aut Prælegenda sit in aliqua Ecclesia Cathedrali aut Collegiata, aut aliquo Sacello, satis erit prædicto Prælectori si aperte hora prædicta declaraverit assensum ac consensum omnibus contentis in dicto libro, juxta prædictam formulam.

Itemque decretum esto authoritate prædicta: Quod siquis qui virtute hujus Statuti inhabilis fuerit ad habendam ullam Prælectionem aut Concionem, quamdiu inhabilis ut supradictum est, remanserit, ac ullam Concionem aut Prælectionem habuerit; tum pro unoquoque ejusmodi delicto, quotquot sic deliquerint in carcerem publice conjicientur in quo per integrum trimestre detinebuntur absque sponsione aut ulla fidei jussione; & quod duo Eirenarchæ, quicunque tandem fuerint, ullius Comitatus hujusce Regni aut locorum prædictorum: Itemque Prætor ullius civitatis aut Municipii intra idem Regnum; viso Ordinarii loci Testimonio admissi Delicti illi, aut illis exhibito, conjicient sic delinquentem aut delinquentes in carcerem publicum Comitatus, Civitatis aut Municipii prout contigerit; idque præstare jubentur hocce Statuto.

Cauto semper, estoque insuper Decretum authoritate prædicta, Quod quoties habenda est Concio aut Prælectio, Preces Communes & sacra quæ in prædicto libro, & juxta Regulas in eo contentas ea hora diei recitanda sunt, aperte, publice & solenni ritu recitabuntur ab aliquo Presbytero, aut Diacono in Ecclesia, Sacello, aut loco Cultus Publici, in quo prædicta Concio aut prælectio habenda fuerit, antequam ejusmodi Concio aut Prælectio habeatur; & quod Prælector qui tunc concionaturus est, aderit dum recitabuntur.

Cauto tamen, quod hocce Statutum non extendetur ad Ecclesias Academicas in Academiis hujusce Regni aut earum alterutra, quando aut quo tempore ulla Concio aut Prælectio habebitur aut prælegetur in prædictis Ecclesiis, aut ulla earum, ut publica Academiæ Concio aut Prælectio; Sed Publicæ illæ Conciones & Prælectiones poterunt haberi ac Prælegi prout olim consueverunt; Hoc Statuto, aut quicquid in eo continetur in contrarium nihil quicquam obstante.

Itemque Decretum esto authoritate prædicta, Quod singulæ illæ bonæ Leges & Statuta hujusce Regni, quæ olim sancita sunt, quæque vim legis habent pro Uniformitate Precum & Administrationis Sacramentorum intra hoc Regnum *Angliæ*, & loca supra memorata omnino obtinebunt, & singulos suos quosque effectus plene sortientur, ad constituendum & confirmandum

prædictum

prædictum librum cujus Titulus eſt, *Liber Precum Communium & Adminiſtrationis Sacramentorum, aliorumque Rituum atque Ceremoniarum Eccleſiæ, juxta uſum Eccleſiæ* Anglicanæ ; *una cum Pſalterio ſeu Pſalmis* Davidis, *ea punctatione diſtinctis qua Cantari aut Recitari debent in Eccleſiis. Itemque Forma & Modus Faciendi, Ordinandi & Conſecrandi Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos,* in hoc Statuto ſupramemoratum, qui quidem liber huic Statuto conjungendus atque annectendus eſt ; eaque applicabuntur, in praxim redigentur, & uſurpabuntur ad punienda prædicta omnia delicta prædictis legibus prohibita, quatenus ad prædictum librum & non alium referuntur.

Cauto ſemper atque Decretum eſto authoritate prædicta, Quod in omnibus Orationibus, Litaniis & Collectis, quæ quocunque modo referuntur ad Regem, Reginam, & ſtirpem Regiam identidem nomina mutentur, & prout tulerit occaſio adaptentur, ex mandato ſuperiorum.

Cautum etiam, atque Decretum eſto authoritate prædicta, Quod verum exemplar typis editum prædicti libri, cujus Titulus eſt ; *Liber Precum Communium & Adminiſtrationis Sacramentorum, aliorumque Rituum atque Ceremoniarum Eccleſiæ, juxta uſum Eccleſiæ* Anglicanæ, *una cum Pſalterio ſeu Pſalmis* Davidis, *ea Punctatione diſtinctis qua Cantari aut Recitari debent in Eccleſiis : Itemque Forma ac Modus Conſecrandi, Ordinandi ac Faciendi Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos,* comparabitur propriis expenſis Parochianorum uniuſcujuſque Eccleſiæ Parochialis, & Sacelli, Eccleſiæ Cathedralis, Collegii & Hoſpitii Studioſorum, ante Feſtum S. *Bartholomæi* Anno Domini 1662. ſub pœna multæ trium librarum ſolvenda ſingulis menſibus, ab unaquaque Parochia, Sacello, Cathedrali Eccleſia, Collegio ac Hoſpitio Studioſorum.

Cautum ſemper, atque Decretum eſto authoritate Prædicta, Quod *Hereforden ſis, Menevenſis, Aſaphenſis, Bangorenſis,* & *Landavenſis* Epiſcopi, & eorum Succeſſores, ita mutuam operam inter ſe conferent, pro ſalute animarum curæ ſuæ commiſſarum intra *Walliam*, ut fiat vera atque accurata verſio libri huic Statuto annexi in linguam *Britannicam* ſeu *Wallicam* ; & quod idem liber ſic verſus, & ab iis recenſus, perlectus, & approbatus typis edetur ; totque ſaltem ſint ejus exemplaria, ut quælibet Eccleſia Cathedralis, Collegiata, Parochialis & Sacellum Eccleſiæ Parochiali annexum, in unaquaque Diœceſi & locis *Walliæ*, in quibus lingua *Wallica* in uſu communi eſt, unum ſibi comparare poſſit ante primum diem menſis *Maii*, Anno Domini 1665. Et quod ex quo typis editus fuerit prædictus liber ſic verſus ut ſupradictum eſt, & in vulgus emiſſus fuerit ; omnia Divina Officia lingua *Britannica* ſeu *Wallica* uſurpabuntur à Miniſtris & Curatis per Univerſam *Walliam* intra prædictas Diœceſes, in quibus vulgo utuntur ſermone *Wallico*, eo modo atque forma quibus uſurpari ac recitari debent juxta Regulas libri huic Statuto annexi lingua *Anglica* uſurpandi, nihil quicquam diſcrepantia

pantia in ullo ordine aut Forma à libro *Anglico*; Quem librum Oeconomi uniuſcujuſque dictarum Parochiarum comparabunt ex pecuniis communibus quæ penes ipſos fuerint, quiſque in uſum ſuæ Parochiæ, quas pecunias in rationes referent; Et quod prædicti Epiſcopi & eorum Succeſſores aut tres quicunque ut minimum ex eorum numero, pretium prædicti libri aſſignabunt: Alius etiam liber Precum Communium *Anglica* lingua comparabitur & habebitur ab unaquaque Eccleſia per univerſam *Walliam* in qua liber Precum communium lingua *Wallica* comparandus eſt virtute hujuſce Statuti, ante primum diem menſis *Maii* 1664; qui libri in locis idoneis intra prædictas Eccleſias ita exponentur, ut qui eos intelligunt, poſſint ad eos accedere quocunque opportuno tempore: utque ii qui linguam *Anglicam* non intelligunt, poſſint utriuſque linguæ collatione, ad illius cognitionem facilius pervenire: Quicquid in hoc Statuto contineatur in contrarium nihil quicquam obſtante: Donec autem exemplaria prædicti libri ſic vertendi typis edita fuerint & comparari poſſint, Formula Precum Communium à Parlamento conſtituta ante Sanctionem hujus Statuti, uſurpabitur ſicut antea in iis partibus *Walliæ*, in quibus non vulgo intelligitur lingua *Anglica*.

Ut autem vera & perfecta exemplaria hujus Statuti, & prædictus liber ei annexus tuto aſſerventur, & perpetuo cuſtodiantur, & ad vitandas omnes controverſias in poſterum; ideo Decretum eſto Authoritate prædicta, Quod Decani & Capitula ſingularum Eccleſiarum Cathedralium aut Collegiatarum, intra *Angliam* aut *Walliam*, propriis impenſis, ante 25 Menſis *Decembris* Anno 1662, impetrabunt quiſque verum ac perfectum exemplar hujuſce Statuti, & prædicti libri ei annexi, Magno *Angliæ* Sigillo munitum, quod à prædictis Decanis & Capitulis eorumque Succeſſoribus tuto aſſervetur ac cuſtodiatur in omne ævum; quodque producatur & exhibeatur in quavis curia *Recordi* quoties ad hoc legitime expoſcetur: Vera quoque ac perfecta exemplaria hujuſce Statuti, nec non ejuſdem libri, in ſingulas Curias *Weſtmonaſterii*, & in Turrim *Londinenſem* inferentur, ut tuto aſſerventur ac cuſtodiantur in omne ævum, inter Acta prædictarum Curiarum, & Acta Turris, inde quoque producenda & exhibenda in quacunque Curia, prout neceſſitas poſtulabit. Quæ prædicti libri exemplaria ſic Magno Sigillo *Angliæ* munienda, examinabuntur ab iis quibus id muneris Diplomate Magno Sigillo *Angliæ* munito à Regia Majeſtate demandabitur, & conferentur cum autographo quod huic Statuto annexum eſt; iiſque poteſtas conceditur corrigendi & emendandi manu propriâ quemcunque errorem à Typographo admiſſum in Editione ejuſdem libri, aut ullius rei in eo contentæ; & ad calcem ejuſdem libri manu propria, adhibito quoque ſigillo, aut tres ex eorum numero teſtabuntur ſe examinaſſe & contuliſſe eundem librum; eumque eſſe verum & perfectum exemplar. Singula autem illa exemplaria ſic collata virtute Magni Sigilli *Angliæ*, prout ſupradictum eſt, habebuntur bona & legitima ad quoſcunque juris effectus, &

eodem

eodem loco habebuntur quo ipſum autographum, huic Statuto annexum, quacunque lege aut conſuetudine in contrarium, nihil quicquam obſtante.

Cauto etiam, Quod neque hoc Statutum, neque quicquid eo contineatur, quicquam oberit Regio Legum Profeſſori in Academia *Oxonienſi* quoad Præbendam *Shipton* in Eccleſia Cathedrali *Sarum*, quæ quidem Præbenda a B. memoriæ *Jacobo* Rege ejuſdem Regii Profeſſoris pro tempore exiſtentis muneri attributa eſt & annexa.

Cauto ſemper, Quod cum Articulus 36 Articulorum 39 de quibus convenit inter Archiepiſcopos & Epiſcopos utriuſque Provinciæ & Clerum univerſum in Synodo, *Londini* Anno 1562. ad tollendam opinionum diſſenſionem & conſenſum in vera Religione firmandum ſequentia verba complectatur.

Libellus de Conſecratione Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, & de Ordinatione Presbyterorum & Diaconorum, editus nuper temporibus Edvardi *Sexti & authoritate Parlamenti illis ipſis temporibus confirmatus, omnia ad ejuſmodi Conſecrationem, & Ordinationem neceſſaria continet, & nihil habet, quod ex ſe ſit, aut ſuperſtitioſum, aut impium: itaque quicunque juxta ritus illius libri Conſecrati, aut Ordinati ſunt, ab anno ſecundo prædicti Regis* Edvardi *uſque ad hoc tempus, aut in poſterum juxta eoſdem ritus Conſecrabuntur, aut Ordinabuntur, rite & ordine, atque legitime, ſtatuimus eſſe, & fore Conſecratos & Ordinatos.*

Decretum ſit, atque ideo Decretum eſto Authoritate prædictâ, Quod omnes in poſterum ſubſcriptiones prædictorum Articulorum, à quocunque Diacono, Presbytero, aut Eccleſiaſtico, aut alio quovis, qui hocce Statuto aut alia quavis lege nunc obtinente jubetur ſubſcribere prædictis Articulis, reputabuntur & habebuntur quaſi factæ (quoad Articulum 36) libro complectenti Formam & Modum Faciendi, Ordinandi & Conſecrandi Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos, de quibus mentio fit in hoc Statuto, eique applicabuntur quemadmodum antehac libro Edito Regnante *Edvardo* Rege Sexto, de quo mentio fit in prædicto Articulo 36; Quicquid in prædicto Articulo, aut ullo Statuto, Decreto aut Canone antehac in contrarium ſancito aut conſtituto contineatur, nihil quicquam obſtante.

Cauto etiam, Quod Liber Precum Communium & Adminiſtrationis Sacramentorum, & aliorum Rituum & Ceremoniarum hujus Eccleſiæ *Anglicanæ*, una cum Forma & Modo Ordinandi & Conſecrandi Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos, qui antehac in uſu fuit quique Parlamentaria ſanctione conſtitutus eſt Primo & Octavo *Elizabethæ* Reginæ, porro uſurpabitur & obſervabitur in Eccleſia *Anglicana*, uſque ad Feſtum S. *Bartholomæi*, quod futurum eſt Anno Domini 1662.

P R Æ-

PRÆFATIO.

EA fuit Ecclesiæ Anglicanæ prudentia ex quo Publicam Liturgiam suam adornavit, ut medium semper tenuerit inter duo extrema, nimiam scilicet obstinationem in denegando, ne ulla omnino, & nimiam facilitatem in concedendo, ut quælibet fieret in ea immutatio. Quippe cum hinc communis experientia doceat, ex immutatione rerum maturâ deliberatione constitutarum, (nulla id postulante necessitate) varia sequi incommoda, eaque sæpenumero plura atque graviora malis ipsis quibus removendis ea immutatione studebatur: inde vero constet peculiares Cultus Divini Formulas, Ritusque, atque Ceremonias, quæ in eo juxta præscriptum ordinem adhibentur res esse natura sua indifferentes, adeoque mutabiles, idque sit in confesso; æquum est, ut ob causas graves & magni momenti, pro varia temporum ac occasionum exigentia, ejusmodi fiant & admittantur hac in parte immutationes quæ iis, quibus Authoritas publica committa est, subinde necessariæ aut saltem conducibiles atque utiles esse videbuntur. Hinc videmus sub Regnis variorum Beatæ memoriæ Principum qui jam inde à Reformatione floruerunt, in rebus nonnullis eas immutationes, quæ uniuscujusque tempori congruere visæ sunt, justis gravibusque de causis, ab Ecclesia factas; ita tamen, ut Cultus Divini quasi corpus ipsum ac Essentialia (tam quoad materiam ac partes præcipuas, quam quoad Formam & Ordinem) eadem ad hunc usque diem permanserint, & etiamnum permaneant firma & inconcussa; quamvis sæpius impetita vanis conatibus & violentis aggressionibus seditiosorum & levium hominum, qui semper ostenderunt se ejus esse ingenii ut somniis suis plus tribuerent, & privatæ rei magis studerent quam bono publico.

Quibus artibus & quam perniciosis consiliis (nuperis & infelicibus turbis sævientibus) usus sacræ Liturgiæ, hujus regni Statutis, huc usque nunquam abrogatis, sancitus, abierit in desuetudinem, toti terrarum orbi satis superque notum est, neque nobis animus est hic earum rerum renovare memoriam. Quam autem verisimile videretur, post felicem Regiæ Majestatis Restitutionem, Liturgiæ usum etiam inter alia, quasi postliminio Ecclesiæ redditum iri (cum nulla lege fuisset abrogatus) nisi mature obicem ponerent quorundam artes ac diligentia, qui sub nuperis usurpatoribus in hoc maxime incubuerant ut Liturgiæ sacræ odium apud plebem crearent, isti putarunt si famæ & rebus privatis consultum vellent, (nisi forte ingenue fateri vellent se errasse, quod ab ejusmodi ingeniis ægre admodum impetraveris) sibi totis viribus enitendum ne Ecclesiæ redderetur. In hunc finem scriptiunculæ variæ in vulgus emissæ adversus

verſus Liturgiam ſacram, ac veteres objectiones denuo collectæ novis etiam additis, ad augendum & molem & numerum. Poſtremo Sacratiſſima Regia Majeſtas magna cum importunitate rogata eſt ut Liturgia recenſeretur, & ut in ea immutarentur aut etiam adderentur quæ conducere viderentur ad pacificandas conſcientias teneras. Quod quidem à Regia Majeſtate, pro pia illa ſummaque voluntate ſatisfaciendi omnibus ſubditis ſuis cujuſcunque ſententiæ in negotio religionis, (quantum quidem cum ratione expectari potuit) clementer conceſſum eſt.

In quæ recenſione dedimus operam ut eandem Moderationem adhiberemus quam ſuperioribus temporibus videmus adhibitam in ſimili negotio. Itaque ex variis immutationibus quæ nobis propoſitæ ſunt, eæ omnes à nobis rejectæ, unde aliquod periculum oriri poſſet, (nempe quod eam impugnarent aliquod dogma receptum; aut laudabilem conſuetudinem Eccleſiæ Anglicanæ, aut revera totius Eccleſiæ Catholicæ Chriſti) vel quæ nullius erant prorſus momenti ſed plane futiles ac vanæ. Verum quæcunque immutationes quibuſcunque authoribus ac quocunque prætextu, aut ſine nobis ſunt propoſitæ, quæ ullo modo viſæ ſunt requiſitæ aut conducibiles, iis omnibus, nulla coacti argumentorum vi (unde quidem nobis conſtaret neceſſitas quicquam immutandi) ſed lubenter ac ſponte aſſenſum noſtrum præbuimus. Hoc enim perſuaſum habemus, & mentibus noſtris infixum hæret (idque hic coram mundo profitemur) in Liturgia prout erat antea legibus conſtituta, nihil fuiſſe quod verbo Dei aut ſanæ Doctrinæ adverſaretur, aut quod uſurpare, & cui ſe ſubmittere viro pio ſalva conſcientia non liceret; aut quod non, contra quemlibet adverſarium (modo ne denegetur illi juſta ac candida interpretatio, qualem pro communi æquitate, omnibus humanis ſcriptis, iis præſertim quæ authoritate publica muniuntur, imo & accuratiſſimis Scripturæ ſacræ verſionibus indulgeri par eſt) recte defendi queat.

Non fuit igitur in hoc operè nobis propoſitum his aut illis quarumcunque partium hominibus, morem gerere in iniquis ſuis poſtulatis; verum id præſtare quod maxime nobis videretur conducere ad Eccleſiæ pacem & unitatem conſervandam, ad Reverentiam conciliandam, Pietatemque ac Devotionem excitandam in Cultu Dei publico; denique ad præcidendas occaſiones cavillandi diſputandique adverſus Liturgiam Eccleſiæ, iis qui nihil aliud ſtudent. Quod autem attinet ad ea, in quibus Liturgia ſacra, prout nunc prodit, variat à priore qualis extabat antea, ſeu quid immutatum, ſeu quid additum, ſeu quid aliud factum, ſufficiat hæc in genere monuiſſe; maximam partem immutationum ad hæc capita revocari, primo aut ad meliorem directionem eorum qui ſunt ſacra peracturi, in quacunque parte divinorum Officiorum; quod præſtitum eſt maxime in Calendariis & Rubricis; Aut ſecundo ad immutationem quarundam dictionum, aut phraſium obſoletarum, in alias hodierni temporis Sermoni magis accommodatas, & clariorem explanationem aliarum dictionum ac phraſium quæ aut dubiæ erant ſignificationis, aut alioqui pravis interpretationibus obnoxiæ. Aut tertio ad accuratiorem exhibitionem earum ſectionum Scripturæ

Sacræ

Sacræ quæ Liturgiæ inſeruntur, quæ quidem ſectiones præſertim in Epiſtolis ac Evangeliis, & paſſim alibi nunc legendæ ſunt juxta noviſſimam Sacrorum Bibliorum Verſionem. Viſum eſt etiam nonnullas Orationes & Gratiarum Actiones ad ſpeciales quaſdam occaſiones accommodatas propriis locis addere, maxime in gratiam eorum qui Mare navigant, uxo cum Officio pro Baptiſmo Adultorum. Quod quidem Officium etſi minus neceſſarium fuerit cum adornaretur prior Liturgia, nunc tamen incrementis Anabaptiſmi, qui nuperorum temporum licentia apud nos irrepſit, factum eſt neceſſarium, & ſemper poterit Uſurpari ad Baptizanda mancipia alioſque indigenas Coloniarum noſtrarum, & alios ad Fidem converſos. Siquis ſingularum immutationum in quacunque parte Liturgiæ factarum rationem quærat, modo illam qualis nunc extat, conferat cum priore, quin variationis ratio ipſi facile conſtet, nulli dubitamus.

Atque ita Officio noſtro in re tanti momenti pro viribus defuncti tanquam in conſpectu Dei; & ſinceritate noſtra hac in parte quantum in nobis eſt, omnium conſcientiis approbata; quanquam ſcimus in tanta diverſitate ſententiarum, morum & reſpectuum ad rem privatam, impoſſibile eſſe ut omnibus placeamus; nec licet expectare ut hominibus factioſi, moroſi, ac perverſi ingenii quicquam, in eo genere, à quocunque, niſi à ſeipſis profectum, arrideat: attamen non mediocris nobis ſpes affulget ea quæ offeruntur, quæque utriuſque Provinciæ Synodorum diligenti examini ſubjecta ſunt, & ab iis approbata, acceptum etiam & probatum fore omnibus Eccleſiæ Anglicanæ Filiis prudentia, ingenio pacifico & recta conſcientia præditis.

De Divinis Officiis Eccleſiæ.

NIhil unquam fuit ab humana ſapientia tam bene conſtitutum, aut tam firmiter ſtabilitum quod proceſſu temporis non labefactaretur & corrumperetur, uti plane videre eſt inter alia, in Publicarum Precum Eccleſiæ Formulis, quæ vulgo Divina Officia appellantur. De harum origine ſiquis conſulat authenticos Scriptores, inveniet eas non niſi optimo conſilio inſtitutas, nempe ad pietatis incrementum. Nam ſancti Patres ita rem inſtituerunt, ut tota Biblia, aut major eorum pars ſemel in anno prælegeretur, hoc conſilio, ut Clerus & præſertim Eccleſiæ Miniſtri frequenti Lectione ac meditatione Scripturæ, ſeipſos excitarent ad pietatem, & inſtructiores redderentur ad Eccleſiam in ſana doctrina erudiendam, & ad refutandos adverſarios veritatis. Deinde ut populus ex quotidiana verbi divini Lectione in Templis magis ac magis creſceret in vera cognitione Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, & veræ religionis ſtudio & amore accenderetur. Sed multis retro abhinc annis, hæc pia & ſalutaris Patrum conſtitutio, ita neglecta, mutata & corrupta fuit, additione incertarum hiſtoriarum, & legendarum; ut & Reſponſoriorum, verſuum & inutilium repetitionum commemorationum, & Synodalium conſtitutionum multitudine, ut plerumque cum liber Scripturæ ſacræ legi cœpiſſet, poſt trium quatuorve capitum Lectionem, cætera non legerentur. Sic lectio Prophetiæ *Eſaiæ* inchoabatur Dominica prima Adventus, & liber *Geneſeos* Dominica Septuageſimæ: ſed legi tantum cœperant, nunquam perlegebantur, & ſic de cæteris Scripturæ ſacræ libris. Præterea etiamſi S. *Paulo* videatur non niſi lingua vulgari & plebi nota utendum in Eccleſia, ut inde ædificetur; Divina Officia in hac Eccleſia *Anglicana* plebi latine non intelligenti per annos complures latine prælecta ſunt; ut auribus tantum audierint, cor autem, ſpiritus & mens eorum nullum fructum inde perceperint. Ad hæc quamquam Patres Antiqui Pſalterium integrum diviſerunt in ſeptem Partes, quarum unaquæque *Nocturnum* dicebatur: attamen ſuperioribus temporibus quidam Pſalmi tantum iique pauci numero legebantur, cæteris prorſus omiſſis. Deinde tantus erat regularum quas *Picam* vocabant numerus, & tanta difficultas, tantaque Officiorum varietas, ut ſæpenumero plus negotii faceſſeret ipſa libri revolutio ad invenienda ea quæ legenda erant, quam inventorum lectio.

His itaque penſitatis, hic Ordo jam conſtitutus eſt quo ſupra memorata incommoda removentur. Atque ut omnia ſint in promptu, & expedita; præfixum eſt etiam Calendarium planum & intellectu facile in eum finem conſcriptum, in quo (quantum quidem fieri poteſt) Scripturæ ſacræ lectio, ita proponitur ut deinceps omnia ſint recto ordine, abſque hiatu, interruptione, &

unius

unius ejuſdem libri parte ab alia ſeparatione peragenda. Quam ob rem Antiphonæ, Reſponſoria, Invitatoria & ejuſmodi alia quibus continuata Scripturæ ſacræ lectio interrumpebatur, expuncta ſunt.

Attamen quia hoc fieri non poteſt abſque certis quibuſdam Regulis, ideo regulæ hic nonnullæ præmittuntur, quæ ut numero paucæ ita & intellectu facillimæ. Atque ita Ordo precum ac lectionis Scripturæ ſacræ hic jam exhibetur ad antiquorum Patrum mentem ac propoſitum valde accommodatus, & eo qui nuper erat in uſu, longe utilior atque commodior. Utilior eſt quia hic multa expuncta ſunt, quorum alia minus vera, alia incerta, alia denique vana atque ſuperſtitioſa. Nec quicquam jam juxta præſcriptum Ordinem legendum eſt, præter purum incorruptumque Dei verbum, nempe Scripturam ſacram, aut quod cum verbo Dei & Scriptura ſacra plane congruit. Idque idiomate atque ordine ad captum tam lectorum quam auditorum maxime accommodatis. Commodior eſt etiam, cum ob brevitatem, tum ob perſpicuitatem Ordinis, tum etiam quia Regulæ ſunt & numero paucæ & faciles.

Cum autem antea magna fuerit varietas in dicendo & cantando in Eccleſiis hujus Regni; aliis *Sarisburienſem*, aliis *Herefordenſem*, aliis *Bangorenſem*, aliis *Eboracenſem*, aliis *Lincolnienſem* uſum ſequentibus, unus idemque uſus in poſterum totius Regni hujus futurus eſt.

Quia vero nihil adeo perſpicuum eſſe poteſt quin inde in uſu quotidiano ſuboriantur dubitationes, ſi qui ſunt quibus ejuſmodi dubia ſuboriantur, aut quibus res hoc libro contentæ varie accidant, ſeu de ſenſu, ſeu de praxi earum quæſtio habeatur; ad tollendas omnes ejuſdem rei varias acceptiones, & dubia omnia ſolvenda, Diœceſeos Epiſcopum ſemper adibunt qui pro prudentia ſua illis ſopiendis & diſſolvendis operam præſtabit, modo nihil ſtatuatur quod adverſetur iis quæ hoc libro continentur. Sin autem dubius hæreat ipſe Diœceſeos Epiſcopus, rem deferre poterit ad Archiepiſcopum ut ab eo decidatur.

QUanquam conſtitutum eſt, ut omnia dicantur ac cantentur Anglico idiomate in Eccleſia, in hunc finem ut Cœtus inde ædificetur, non tamen hoc ita accipitur, ut ſiquis oret mane aut veſperi, nefas ſit eum lingua ea orare quam ipſe intelligat.

Omnes autem tum Presbyteri tum Diaconi tenentur quotidie ſeu privatim ſeu publice Preces Matutinas & Veſpertinas recitare, niſi aut adverſa valetudine aut alia urgente cauſa prohibeantur.

Sacrorum vero Miniſter in ſingulis Parochialibus Eccleſiis aut Sacellis, cum Domi adeſt nec cauſa legitima impeditur, eaſdem etiam Matutinas ac Veſpertinas Preces recitabit in Eccleſia Parochiali aut Sacello ubi ſacra adminiſtrat; & curabit paulo antequam incipiat, ut campana pulſetur, ut eo ſigno dato populus conveniat ad audiendum verbum Dei, & ad Deum orandum una cum eo.

De Ceremoniis, cur aliæ quidem abrogatæ, aliæ verò retentæ.

CEremoniarum ex humana inſtitutione profectarum, quibus utitur Eccleſia, aliæ primum quidem pio propoſito excogitatæ in vanitatem & ſuperſtitionem tandem degenerarunt. Aliæ in Eccleſiam irrepſere quorundam præpoſtera devotione & zelo ſcientiæ deſtituto, cæteris initio ad eas conniventibus, unde indies magis ac magis in abuſus abierunt. Hæ non tantum quod ſint prorſus inutiles, ſed quia & populum multum obcæcarunt, & Dei gloriam obſcurarunt, dignæ ſunt quæ exſcindantur ac prorſus exterminentur. Aliæ vero ſunt ab hominibus etiam profectæ quas etiamnum retinere viſum eſt, tum propter decorum & σύμβολον, in Eccleſia Dei, qui finis fuit primæ earum inſtitutionis; tum quod ſpectent ad ædificationem, ad quam, docente Apoſtolo, referenda ſunt quæcunque fiunt in Eccleſia.

Et quamvis Ceremoniæ alicujus obſervatio aut prætermiſſio, ſi rem ipſam ſpectes, exigui ſit momenti; temeraria tamen & faſtuoſa publici Ordinis ac Diſciplinæ tranſgreſſio atque violatio, non eſt peccatum leve coram Deo. Omnia honeſte & ſecundum ordinem fiant in vobis, inquit Apoſtolus. Ordinis autem illius conſtitutio non penes eſt homines privatos. Nemini fas eſt igitur, niſi legitime vocato, in ſe ſuſcipere aut ſibi arrogare, ut conſtituat aut immuteat illum publicum ac receptum ordinem in Eccleſia Chriſti.

Quoniam vero hoc noſtro tempore tanta eſt in mentibus hominum varietas, ut aliis vel minimæ Ceremoniarum ſuarum omiſſio piaculum eſſe videatur, adeo depereunt veteres ſuas conſuetudines; alii verò rerum novarum amore ita capiuntur, ut omnia innovata vellent, & tanto odio feruntur in res antiquas, ut nihil niſi novum, ipſis arrideat. Ideo viſum eſt, non tam his aut illis partibus morigerandum quam Deo obtemperandum, & eorum omnium commodo ſtudendum. Nequis autem offendatur qui rectæ rationi liberum apud ſe locum aperit, hic quædam eduntur rationes cur receptarum ceremoniarum aliæ antiquatæ ſint, aliæ vero retineantur & etiamnum obſerventur.

Quædam eliminantur quoniam proximè elapſis temporibus in immenſum creverat earum numerus, adeo ut onus eſſet intolerabile. Qua de re Sanctus *Auguſtinus* jam ſuo ſeculo querebatur, nempe quod in tantum numerum multiplicatæ eſſent, ut deterior foret hac in parte Chriſtianorum quam fuerat olim Judæorum conditio. Ac ſuadebat ut jugum & onus illud, ſi quando commoda daretur occaſio, pacifice & ſine turbis amoveretur. Quid autem dixiſſet S. *Auguſtinus* ſi oculis vidiſſet nuperas ceremonias, quæ apud nos erant in uſu communi. Non fuit enim numerus ceremoniarum temporis illius cum harum noſtrarum multitudine

conferendus. Tanta fuit harum ceremoniarum noſtrarum congeries, & in his plurimæ adeo obſcuræ ut Chriſti beneficia erga nos confunderent atque obſcurarent, potius quam ea nobis exponerent & illuſtrarent. Præterea Evangelium Chriſti non eſt ceremoniale inſtitutum, uti magnam partem, fuit Lex *Moſaica*: ſed Religio eſt ad colendum Deum non in typorum & umbrarum ſervitute, ſed in Libertate Spiritus inſtituta; iis tantum Ceremoniis contenta quæ decoro & εὐταξίᾳ piæque Diſciplinæ conſervandis ſufficiant: & quæ aptæ ſint ad excitandas inſigni ac ſingulari quadam ſignificatione ſtupidas hominum mentes in recordationem Officii ſui erga Deum ad ædificationem, Præterea, abolendarum Ceremoniarum cauſa præcipua fuit, quod partim imperitæ plebis ſuperſtitioſa cœcitate; partim quorundam inexplebili avaritia qui privato quæſtui magis quam gloriæ Dei ſtudebant, earum abuſus in tantum creverat ut recte tolli non poterit, ſalvis ipſis Ceremoniis.

Jam vero ut ad eos veniamus qui forte graviter ferent quod nonnullæ antiquarum Ceremoniarum etiamnum retineantur: ſi animo reputaverint ſine quibuſdam Ceremoniis nullum ordinem aut tranquillam Diſciplinam in Eccleſia ſervari poſſe, facile eis conſtabit ratio, cur ab illa ſententia ſua recedere atque ei renunciare debeant. Sin autem diſpliceat quod ulla antiqua Ceremonia maneat, & magis placeret omnia innovari; tum vero (quandoquidem concedunt, expedire ut ſint quædam Ceremoniæ) ubi antiquæ illæ rectè uſurpari poterunt, næ iſti eas ob ſolam antiquitatem repudiare nequeunt quin ſuam prodant ſtultitiam. Tum enim vel eo nomine quod antiquæ ſunt, majori veneratione ipſis eſſe debent, ſi Unitatis & Concordiæ magis quam innovationum ac rerum inuſitatarum ſtudioſi videri volunt & haberi. Innovationes enim (quantum quidem id conſiſtere poteſt cum inſtituto Chriſtianæ Religionis) ſemper vitari debent. Neque vero erit cur iſti ob retentas Ceremonias offendantur. Quemadmodum enim eæ Ceremoniæ abrogatæ ſunt, quæ in majores abuſus abierant, & quæ fruſtra hominum conſcientias onerabant; ſic quas retineri placuit, Diſciplinæ ac Ordinis gratia retinentur, & ob juſtas cauſas poterunt immutari & abrogari, ideoque pari exiſtimatione cum Lege Dei nequaquam habendæ ſunt. Adde quod neque obſcuræ neque mutæ ſunt iſtæ Ceremoniæ, ſed ita comparatæ ut cuivis obvium ſit intelligere quid ſibi velint & quis ſit earum uſus. Ut non ſit verisimile fore olim ut, quemadmodum cæteræ quas abrogavimus, in abuſus degenerent. His autem inſtitutis noſtris alias Nationes neutiquam damnamus, neque ullis niſi ſolis popularibus noſtris quicquam præſcribimus. In hac enim ſumus ſententia: ut putemus expedire ut quælibet Regio iis utatur Ceremoniis quæ magis conducere videbuntur ad Dei honorem & gloriam illuſtrandam, & ad populum ad perfectiſſimam & maxime piam vivendi rationem abſque errore aut ſuperſtitione deducendum; & ut cætera quæ viderint maxime in abuſus degenerare (quod ſæpius in hominum inſtitutis varie pro variis Regionibus contingunt) rejiciant.

Orâ

Ordo prælegendi Pſalterii.

PSalterium tam ad Matutinas quam ad Veſpertinas Preces, ſingulis menſibus perlegetur, prout in ipſo Pſalterio præſcribitur. Sed Menſe *Februario* non prælegetur ultra diem vigeſimum octavum, aut vigeſimum nonum.

Cum autem *Januarius, Martius, Maius, Julius, Auguſtus, October* & *December*, habeant dies Triginta & unum ſinguli; Conſtitutum eſt, ut Pſalmi qui die menſis penultimo prælecti fuerint, iidem ultimo die denuo prælegantur; ut Pſalterium incunte quolibet menſe incipiat legi.

Quoniam vero Pſalmus 119 in 22 Sectiones dividitur, prolixiorque eſt quam ut totus eodem tempore prælegatur, conſtitutum eſt, ut quatuor aut quinque tantum earum Sectionum una vice prælegantur.

In fine autem uniuſcujuſque Pſalmi, ut & uniuſcujuſque Sectionis Pſalmi 119, Hymnus ſequens recitabitur.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Obſerva * Pſalterium ſequi diviſionem Hebræorum, & Verſionem Anglicam Magnorum Bibliorum, quæ edita & vulgo uſurpata ſunt, Regibus *Henrico* Octavo & *Edvardo* Sexto Regnantibus.

* *Hoc intelligitur de Pſalterio in Editione Anglicana Liturgiæ; Nam in hac Latina Editione, ſequuti ſumus Vulgatam Latinorum Verſionem, quemadmodum in Epiſtolis & Evangeliis.*

John Slinger
Studfold House
Settle 1895.

Ordo reliquæ Scripturæ prælegendæ.

VEtus Teſtamentum Priori Lectioni, tam ad Matutinas, quam Veſpertinas Preces, aſſignatur; quo pacto ſingulis annis maxima pars perlegetur juxta Calendarium.

Novum Teſtamentum Poſteriori Lectione tam ad Matutinas quam Veſpertinas Preces aſſignatur; Ordineque ter quotannis perlegetur, præter Epiſtolas & Evangelia; exceptâ Apocalypſi, ex qua quædam tantum Lectiones propriæ Feſtis variis aſſignantur.

Ut autem ſcias quænam Lectiones ſingulis diebus prælegendæ ſint, quære diem menſis in ſequente Calendario, in quo invenies Capita quæ Lectionibus tam ad Matutinas quam ad Veſpertinas Preces, aſſignantur; Exceptis tantum Feſtis Mobilibus, quæ non habentur in Calendario, & Immobilibus è quarum regione ſpatium parum relinquitur in columna Lectionum; Quorum omnium dierum Lectiones Propriæ habentur in Tabula Propriarum Lectionum.

Obſerva etiam, quod quotieſcunque Proprii Pſalmi aut Lectiones aſſignantur, tum Pſalmi & Lectiones in Pſalterio & Calendario aſſignatæ (ſi diverſi ſint ab illis) omittuntur.

Obſerva inſuper, Collectam, Epiſtolam, & Evangelium, quæ Dominicæ aſſignantur, non variare per totam ſeptimanam, niſi aliter in hoc Libro conſtitutum fuerit.

LECTIONES

LECTIONES PROPRIÆ.

AD

Matutinas & Veſpertinas Preces, Dominicis & aliis Feſtis diebus per totum Annum prælegendæ.

Lectiones Propriæ diebus Dominicis prælegendæ.

	Matut.	*Veſpert.*
Dominicæ Adventus.		
1	Eſai. 1	Eſai. 2
2	5	24
3	25	26
4	30	32
Dominicæ poſt Nat.		
1	37	38
2	41	43
Dominicæ poſt Epiph.		
1	44	46
2	51	53
3	55	56
4	57	58
5	59	64
6	65	66
Septuageſima.	Gen. 1	Gen. 2
Sexageſima.	3	6
Quinquageſima.	9 uſq; ad v. 20	12
Quadrageſima.		
Dominica 1	19 uſq; ad v. 30	22
2	27	34
3	39	42
4	43	45
5	Exod. 3	Exod. 5
6		
1 Lectio.	Exod. 9	Exod. 10
2 Lectio.	Mat. 26	Heb. 5. uſq; ad v. 11
Paſcha.		
1 Lectio.	Exod. 12	Exod. 14
2 Lectio.	Rom. 6	Act. 2. v. 22
Dominicæ poſt Paſch.		
1	Num. 16	Num. 22
2	23, 24	25
3	Deut. 4	Deut. 5
4	6	7
5	8	9
Dominica poſt Aſcenſ. Penteceſte.	12	13
1 Lectio.	Deut. 10. uſq; ad v. 18	Eſai. 11
2 Lectio.	Act. 10. v. 34	Act. 19. uſq; ad v. 21

LECTIONES PROPRIÆ.

	Matut.	*Vespert.*
Dominica Trinit.		
1 Lectio.	Gen. 1	Gen. 18
2 Lectio.	Matth. 3	1 Joh. 5
Dominicæ post Trin.		
1	Jos. 10	Jos. 23
2	Judic. 4	Judic. 5
3	1 Sam. 2	1 Sam. 3
4	12	13
5	15	17
6	2 Sam. 12	2 Sam. 19
7	21	24
8	1 Reg. 13	1 Reg. 17
9	18	19
10	21	22
11	2 Reg. 5	2 Reg. 9
12	10	18
13	19	23
14	Jer. 5	Jer. 22
15	35	36
16	Ezech. 2	Ezec. 13
17	14	18
18	20	24
19	Dan. 3	Dan. 6
20	Joel 2	Mich. 6
21	Hab. 2	Prov. 1
22	Prov. 2	3
23	11	12
24	13	14
25	15	16
26	17	19

Lectiones Propriæ diebus Festis prælegendæ.

	Matut.	*Vespert.*
S. *Andreæ.*	Prov. 20	Prov. 21
S. *Thomæ* Apost.	23	24
Nativit Christi.		
1 Lectio.	Esai. 9. usq; ad v. 8	Esai. 7. v. 10. usq; ad (v. 17
2 Lectio.	Luc. 2. usq; ad v. 15	Tit. 3. v. 4. usq; ad v. 9
S. *Stephan.*		
1 Lectio.	Prov. 28	Eccles. 4
2 Lectio.	Act. 6. v. 8. & c. 7. usq; (ad v. 30	Act. 7. v. 30. usq; ad (v. 55
S. *Johan.*		
1 Lectio.	Eccles. 5	Eccles. 6
2 Lectio.	Apoc. 1	Apoc. 22
Innocent.	Jer. 31. usq; ad v. 18	Sap. 1 *Cir-*

	Matut.	*Vespert.*
Circumcisio.		
1 Lectio.	Gen. 17	Deut. 10. v. 12
2 Lectio.	Rom. 2	Coloss. 2
Epiphan.		
1 Lectio.	Esai. 60	Esai. 49
2 Lectio.	Luc. 3. usq; ad v. 23	Johan. 1. usq; ad v. 12
Conversio S. Pauli.		
1 Lectio.	Sapient. 5	Sapient. 6
2 Lectio.	Act. 22 usque ad v. 22	Act. 26
Purific. Virg. Mariæ.	Sapient. 9	Sapien. 12
S. Matthiæ.	19	Eccluſ. 1
Annunciat. B. Virg.	Eccluſ. 2	3
Feria 4. ante Paſch.		
1 Lectio.	Hoſ. 13	Hoſ. 14
2 Lectio.	Johan. 11. v. 45	
Feria 5. ante Paſch.		
1 Lectio.	Dan. 9	Jer. 31
2 Lectio.	Johan. 13	
Paſſio Domini.		
1 Lectio.	Gen. 22. usq; ad v. 20	Eſai. 53
2 Lectio.	Johan. 18.	1 Petr. 2
Paſchatis Vigil.		
1 Lectio.	Zach. 9	Exod. 13
2 Lectio.	Luc. 23. v. 50	Heb. 4
Feria 2. poſt Paſch.		
1 Lectio.	Exod. 16	Exod. 17
2 Lectio.	Matth. 28	Act. 3
Feria 3. poſt Paſch.		
1 Lectio.	Exod. 20	Exod. 32
2 Lectio.	Luc. 24. usq; ad v. 13	1 Cor. 15
S. Marc.	Eccluſ. 4	Eccluſ. 5
S. Philip & Jacob.		
1 Lectio.	7	9
2 Lectio.	Johan. 1. v. 43	
Aſcenſio Dom.		
1 Lectio.	Deut. 10	2 Reg. 2
2 Lectio.	Luc. 24	Epheſ. 4. usq; ad v. 17 (ad v. 30
Feria 2. poſt Pentecoſt.		
1 Lectio.	Gen. 11. usq; ad v. 10	Num 11. v. 16. usq;
2 Lectio.	1 Cor. 12	1 Cor. 14. usq; ad v. 26
Feria 3. poſt Pentecoſt.		
1 Lectio.	1 Sam. 19. v. 18	Deut. 30
2 Lectio.	1 Theſſ. 5. v. 12. usq; (ad v. 24.	1 Johan. 4. usq; ad v. 14
S. Barnab.		
1 Lectio.	Eccluſ. 10	Eccluſ. 12.
2 Lectio.	Act. 14	Act. 15. usq; ad v. 36

LECTIONES PROPRIÆ.

	Matut.	*Vespert.*
S. *Johan. Baptist.*		
1 Lectio.	Malach. 3	Malach. 4
2 Lectio.	Matth. 3	Mat. 14 usq; ad v.13
S. *Petri.*		
1 Lectio.	Eccluſ. 15	Eccluſ. 19
2 Lectio.	Act. 3	Act. 4
S. *Jacobi.*	Eccluſ. 21	Eccluſ. 22
S. *Bartholom.*	24	29
S. *Matthæi.*	Eccluſ. 35	Eccluſ. 38
S. *Michaelis.*		
1 Lectio.	Gen. 32	Dan. 10. v. 5
2 Lectio.	Act. 12 uſque ad v.20	Jud. v.6. uſq; ad v.17
S. *Luc.*	Eccluſ. 51	Job 1
S. *Simon & S. Jud.*	Job 24, 25	42
Omnium Sanctorum.		
1 Lectio.	Sapien. 3 uſq; ad v.10	Sapien. 5. uſq; ad v.17
2 Lectio.	Heb. 11 v. 33 & cap. 12 uſque ad v. 7	Apoc. 19. uſq; ad v.17

¶ *Pſalmi Proprii, quibuſdam diebus.*

	Matut.	*Vespert.*
¶ *Die Natal. Chriſt.*	*Pſal.* 19	89
	45	110
	85	132
¶ *Die Ciner.*	6	102
	32	130
	38	143
¶ *Die Paſſion.*	22	69
	40	88
	54	
¶ *Die Paſch.*	2	113
	57	114
	111	118
¶ *Die Aſcen.*	8	24
	15	47
	21	108
¶ *Die Pentecoſt.*	48	104
	68	145

CALENDARIUM.

Januarius habet XXXI *Dies.*

Luna habet XXX.

					Matut.		*Vespertin.*	
					1 Lect.	2 Lect.	1 Lect.	2 Lect.
2	1	A	Calend.	*Circum. Dom.*				
	2	b	4 Non.		Gen. 1	Mat. 1	Gen. 2	Rom. 1
10	3	c	3 Non.		3	2	4	2
	4	d	Pr. N.		5	3	6	3
19	5	e	Nonæ.		7	4	8	4
8	6	f	3 Id.	*Epiph. Dom.*				
	7	g	7 Id.		9	5	12	5
16	8	A	6 Id.	Luci. Presb. M	13	6	14	6
5	9	b	5 Id.		15	7	16	7
	10	c	4 Id.		17	8	18	8
13	11	d	3 Id.		19	9	20	9
2	12	e	Pr. Id.		21	10	22	10
	13	f	Idus.	Hil. Epis. Con.	23	11	24	11
10	14	g	19 C. *Feb*		25	12	26	12
	15	A	18 Cal.		27	13	28	13
18	16	b	17 Cal.		29	14	30	14
	17	c	16 Cal.		31	15	32	15
	18	d	15 Cal.	Pris. Virg. M.	33	16	34	16
15	19	e	14 Cal.		35	17	37	1 Cor. 1
4	20	f	13 Cal.	Fab. Ep. R.M.	38	18	39	2
	21	g	12 Cal.	Agnes R.V.M.	40	19	41	3
12	22	A	11 Cal.	Vinc. Dia. M.	42	20	43	4
1	23	b	10 Cal.		44	21	45	5
	24	c	9 Cal.		46	22	47	6
9	25	d	8 Cal.	*Conv. S. Pauli.*				
	26	e	7 Cal.		48	23	49	7
17	27	f	6 Cal.		50	24	Exod. 1	8
6	28	g	5 Cal.		Exod. 2	25	3	9
	29	A	4 Cal.		4	26	5	10
13	30	b	3 Cal.	*Car. Reg. Mar.*	* 6	27	7	11
3	31	c	Pr. Cal.		8	28	9	12

* Observa caput 6. Exodi legi tantum usque ad ver. 14.

CALENDARIUM.

Februarius habet XXVIII *Dies.*

Luna habet XXX.

					Matut.		*Vespertin.*	
					1 Lect.	2 Lect.	1 Lect.	2 Lect.
11	1		Calend.	Jejun.	Exo. 10	Mar. 1	Exo. 11	1 Co. 13
19	2	d	4 No.	*Purif. B. Mar.*		2		14
8	3	e	3 No.		12	3	13	15
	4	f	Pr. No.		14	4	15	16
16	5	g	Nonæ.	Agath. Vir. M.	16	5	17	2 Cor. 1
5	6	A	8 Id.		18	6	19	2
	7	b	7 Id.		20	7	21	3
13	8	c	6 Id.		22	8	23	4
2	9	d	5 Id.		24	9	32	5
	10	e	4 Id.		33	10	34	6
10	11	f	3 Id.		Lev. 18	11	Lev. 19	7
	12	g	Pr. Id.		20	12	26	8
18	13	A	Idus.		Nu. 11	13	Nu. 12	9
7	14	b	16 C. *Ma*	Valent. Ep. M.	13	14	14	10
	15	c	15 Cal.		16	15	17	11
15	16	d	14 Cal.		20	16	21	12
4	17	e	13 Cal.		22	Lu. 1. 39	23	13
	18	f	12 Cal.		24	1. 39	25	Gal. 1
12	19	g	11 Cal.		27	2	30	2
1	20	A	10 Cal.		31	3	32	3
	21	b	9 Cal.		35	4	36	4
9	22	c	8 Cal.		Deut. 1	5	Deut. 2	5
	23	d	7 Cal.	Jejun.	3	6	4	6
17	24	e	6 Cal.	*S. Matth. A. M.*		7		Eph. 1
6	25	f	5 Cal.		5	8	6	2
	26	g	4 Cal.		7	9	8	3
14	27	A	3 Cal.		9	10	10	4
	28	b	Pr. Cal.		11	11	12	5
	29	c			13	Mat. 7	14	Ro. 12

Martius

CALIENDARIUM.

Martius habet XXXI *Dies.*

Luna habet XXX.

					Matut.		*Vespertin.*	
					1 Lect.	2 Lect.	1 Lect.	2 Lect.
3	1	d	Calend.	Dav.Arc.Men.	Deu. 15	Luc. 12	Deu. 16	Eph. 6
	2	e	6 No.	Ced.Ep.Lich.	17	13	18	Phil. 1
11	3	f	5 No.		19	14	20	2
	4	g	4 No.		21	15	22	3
19	5	A	3 No.		24	16	25	4
8	6	b	Pr. No.		26	17	27	Col. 1
	7	c	Nonæ.	Perp.Maur.M	28	18	29	2
16	8	d	8 Id.		30	19	31	3
5	9	e	7 Id.		32	20	33	4
	10	f	6 Id.		34	21	Jos. 1	1 Th. 1
13	11	g	5 Id.		Jos. 2	22	3	2
2	12	A	4 Id.	Gr.M.Ep.R.C.	4	23	5	3
	13	b	3 Id.		6	24	7	4
10	14	c	Pr. Id.		8	Joh. 1	9	5
	15	d	Idus.		10	2	23	2 Th. 1
18	16	e	17 *C. Ap.*		24	3	Jud. 1	2
7	17	f	16 Cal.		Jud. 2	4	3	3
	18	g	15 Cal.	Edvard. Reg.	4	5	5	1 Tim 1
15	19	A	14 Cal.		6	6	7	2, 3
4	20	b	13 Cal.		8	7	9	4
	21	c	12 Cal.	Benedict.Abb.	10	8	11	5
12	22	d	11 Cal.		12	9	13	6
1	23	e	10 Cal.		14	10	15	2 Tim 1
	24	f	9 Cal.	Jejun.	16	11	17	2
9	25	g	8 Cal.	*Ann. Mar. Vir.*		12	19	3
	26	A	7 Cal.		18	13		4
17	27	b	6 Cal.		20	14	21	Tit. 1
6	28	c	5 Cal.		Ruth 1	15	Ruth 2	2, 3
	29	d	4 Cal.		3	16	4	Phile.
14	30	e	3 Cal.		1 Sa. 1	17	1 Sa. 2	Hebr. 1
3	31	f	Pr. Cal.		3	18	4	2

CALENDARIUM.

Aprilis habet XXX *Dies.*

Luna habet XXIX.

					Matut.		*Vespertin.*	
					1 Lect.	2 Lect.	1 Lect.	2 Lect.
	1	g	Calend.		1 Sa. 5	Joh. 19	1 Sa. 6	Heb. 3
11	2	A	4 No.		7	20	8	4
	3	b	3 No.	Ric. Ep. Cice.	9	21	10	5
19	4	c	Pr. No.	Amb. Ep. Med	11	Act. 1	12	6
8	5	d	Nonæ.		13	2	14	7
16	6	e	8 Id.		15	3	16	8
5	7	f	7 Id.		17	4	18	9
	8	g	6 Id.		19	5	24	10
13	9	A	5 Id.		21	6	22	11
2	10	b	4 Id.		23	7	24	12
	11	c	3 Id.		25	8	26	13
10	12	d	Pr. Id.		27	9	28	Jac. 1
	13	e	Idus.		29	10	30	2
18	14	f	18 C. *Ma*		31	11	2 Sa. 1	3
7	15	g	17 Cal.		2 Sa. 2	12	3	4
	16	A	16 Cal.		4	13	5	5
15	17	b	15 Cal.		6	14	7	1 Pet. 1
4	18	c	14 Cal.		8	15	9	2
	19	d	13 Cal.	Alph. Cant. A.	10	16	11	3
12	20	e	12 Cal.		12	17	13	4
1	21	f	11 Cal.		14	18	15	5
	22	g	10 Cal.		16	19	17	2 Pet. 1
9	23	A	9 Cal.	S. Georgii M.	18	20	19	2
	24	b	8 Cal.		20	21	21	3
17	25	c	7 Cal.	*S. Marc. Ev. M.*		22		1 Joh. 1
6	26	d	6 Cal.		22	23	23	2
	27	e	5 Cal.		24	24	1 Re. 1	3
14	28	f	4 Cal.		1 Re. 2	25	3	4
3	29	g	3 Cal.		4	26	5	5
	30	A	Pr. Cal.		6	27	7	2, 3 Jo.

Maius

CALENDARIUM.

Maius habet XXXI *Dies.*

Luna habet XXX.

					Matut.		*Vespertin.*	
					1 Lect.	2 Lect.	1 Lect.	2 Lect.
2	1	b	Calend.	*S. Phil. & Jac.*				Jude.
	2	c	6 No.	(*Ap. & M.*	1 Re. 8	Act. 28	1 Re. 9	Rom. 1
19	3	d	5 No.	Invent Cruc.	10	Mat. 1	11	2
8	4	e	4 No.		12	2	13	3
	5	f	3 No.		14	3	15	4
16	6	g	Pr. No.	S. Joh. Eva. ant	16	4	17	5
5	7	A	Nonæ.	(Port Lat.	18	5	19	6
	8	b	8 Id.		20	6	21	7
13	9	c	7 Id.		22	7	2 Re. 1	8
2	10	d	6 Id.		2 Re. 2	8	3	9
	11	e	5 Id.		4	9	5	10
10	12	f	4 Id.		6	10	7	11
	13	g	3 Id.		8	11	9	12
18	14	A	Pr. Id.		10	12	11	13
7	15	b	Idus.		12	13	13	14
	16	c	17 C. *Jun*		14	14	15	15
15	17	d	16 Cal.		16	15	17	16
4	18	e	15 Cal.		18	16	19	1 Cor. 1
	19	f	14 Cal.	Dunst. Can. A.	20	17	21	2
12	20	g	13 Cal.		P 22	18	23	3
1	21	A	12 Cal.		24	19	25	4
	22	b	11 Cal.		Ezr. 1	20	Ezr. 3	5
9	23	c	10 Cal.		4	21	5	6
	24	d	9 Cal.		6	22	7	7
17	25	e	8 Cal.	(Archiep.	9	23	Neh. 1	8
6	26	f	7 Cal.	Aug. Prim. Ca	Neh. 2	24	4	9
	27	g	6 Cal.	V. Bed. Presb.	5	25	6	10
14	28	A	5 Cal.		8	26	9	11
3	29	b	4 Cal.	*Car. II. Nat. &*	10	27	13	12
	30	c	3 Cal.	(*Redit.*	Esth. 1	28	Esth. 2	13
11	31	d	Pr. Cal.		3	Marc. 1	4	14

Junius

CALENDARIUM.

Junius habet XXX. *Dies.*

Luna habet XXIX.

					Matut.		*Vespertin.*	
					1 Lect.	2 Lect.	1 Lect.	2 Lect.
	1	e	Calend.	Nicom. Rom.	Esth. 5	Mar. 2	Esth. 6	1 Cor. 15
19	2	f	4 No.	(Pr. & M.	7	3	8	16
8	3	g	3 No.		9	4	Job 1	2 Cor. 1
16	4	A	Pr. No.		Job 2	5	3	2
5	5	b	Nonæ.	Bonif. Ep. Mo-	4	6	5	3
	6	c	8 Id.	(gunt. & M.	6	7	7	4
13	7	d	7 Id.		8	8	9	5
2	8	e	6 Id.		10	9	11	6
	9	f	5 Id.		12	10	13	7
10	10	g	4 Id.		14	11	15	8
	11	A	3 Id.	*S. Barnab. Ap.*				
18	12	b	Pr. Id.	(& Mar.	16	12	17, 18	9
7	13	c	Idus.		19	13	20	10
	14	d	18 C. *Ju.*		21	14	22	11
15	15	e	17 Cal.		23	15	24, 25	12
4	16	f	16 Cal.		26, 27	16	28	13
	17	g	15 Cal.	S. Alban. Mart	29	Luc. 1	30	Gal. 1
12	18	A	14 Cal.		31	2	32	2
1	19	b	13 Cal.		33	3	34	3
	20	c	12 Cal.	Transl. Edvar.	35	4	36	4
9	21	d	11 Cal.	(R. Sax. Oc.	37	5	38	5
	22	e	10 Cal.		39	6	40	6
17	23	f	9 Cal.	Jejun.	41	7	42	Eph. 1
6	24	g	8 Cal.	*S. Joh. Ba. Nat.*				
8	25	A	7 Cal.		Prov. 1	8	Prov. 2	2
14	26	b	6 Cal.		3	9	4	3
3	27	c	5 Cal.		5	10	6	4
	28	d	4 Cal.	Jejun.	7	11	8	5
11	29	e	3 Cal.	*S. Petr. Ap. &*				
1	30	f	Pr. Cal.	(*Mart.*	9	12	10	6

Julius

CALENDARIUM.

Julius habet XXXI *Dies.*

Luna habet XXX.

					Matut.				*Vespertin.*			
					1 Lect.		2 Lect.		1 Lect.		2 Lect.	
19	1	g	Calend.		Pro.	11	Luc.	13	Pro.	12	Phil.	1
8	2	A	6 Non.	Visit.B.Ma.V.		13		14		14		2
	3	b	5 Non.			15		15		16		3
16	4	c	4 Non.	Transl.S.Mar.		17		16		18		4
5	5	d	3 Non.	(Ep.&Conf.		19		17		20	Col.	1
	6	e	Pr. N.			21		18		22		2
13	7	f	Nonæ.			23		19		24		3
2	8	g	8 Id.			25		20		26		4
	9	A	7 Id.			27		21		28	1 The.	1
10	10	b	6 Id.			29		22		31		2
	11	c	5 Id.		Eccl.	1		23	Eccl.	2		3
18	12	d	4 Id.			3		24		4		4
7	13	e	3 Id.			5	Joh.	1		6		5
	14	f	Pr. Id.			7		2		8	2 The.	1
15	15	g	Idus.	Swit.Ep.Win.		9		3		10		2
4	16	A	17 *C Au.*	(Translat.		11		4		12		3
	17	b	16 Cal.		Jer.	1		5	Jer.	2	1 Tim	1
12	18	c	15 Cal.			3		6		4		2, 3
1	19	d	14 Cal.	(Vir.& Mar.		5		7		6		4
	20	e	13 Cal.	Margar.Antio		7		8		8		5
9	21	f	12 Cal.	~~S. Mar. Magd.~~		9		9		10		6
17	22	g	11 Cal.	*S Mar Mgd*		11		10		12	2 Tim	1
	23	A	10 Cal.			13		11		14		2
6	24	b	9 Cal.	Jejun.		15		12		16		3
	25	c	8 Cal.	*S. Jac. A.& M.*				13				4
14	26	d	7 Cal.	S.Ann.Matr.B		17		14		18	Tit.	1
3	27	e	6 Cal.	(Mar.Virg.		19		15		20		2, 3
	28	f	5 Cal.			21		16		22	Phile.	
11	29	g	4 Cal.			23		17		24	Hebr.	1
	30	A	3 Cal.			25		18		26		2
19	31	b	Pr. Cal.			27		19		28		3

Augustus

CALENDARIUM.

Augustus habet XXXI *Dies.*

Luna habet XXX.

					Matut.		*Vespertin.*	
					1 Lect.	2 Lect.	1 Lect.	2 Lect.
8	1	c	Calend.	Pet. ad Vinc.	Jer. 29	Joh. 20	Jer. 30	Hebr. 4
16	2	d	4 No.		31	21	32	5
5	3	e	3 No.		33	Act. 1	34	6
	4	f	Pr. No.		35	2	36	7
13	5	g	Nonæ.		37	3	38	8
2	6	A	8 Id.	Transf. Dom.	39	4	40	9
	7	b	7 Id.	(Nom. Jesus.	41	5	42	10
10	8	c	6 Id.		43	6	44	11
	9	d	5 Id.	S. Laur. Archi.	45, 46	7	47	12
18	10	e	4 Id.	(Rom. & Ma.	48	8	49	13
7	11	f	3 Id.		50	9	51	Jac. 1
	12	g	Pr. Id.		52	10	Lam. 1	2
15	13	A	Idus.		Lam. 2	11	3	3
4	14	b	19 C. *Sep*		4	12	5	4
	15	c	18 Cal.		Ezec. 2	13	Ezec. 3	5
12	16	d	17 Cal.		6	14	7	1 Pet. 1
1	17	e	16 Cal.		13	15	14	2
	18	f	15 Cal.		18	16	33	3
9	19	g	14 Cal.		34	17	Dan. 1	4
	20	A	13 Cal.		Dan. 2	18	3	5
17	21	b	12 Cal.		4	19	5	2 Pet. 1
6	22	c	11 Cal.		6	20	7	2
	23	d	10 Cal.	Jejun.	8	21	9	3
14	24	e	9 Cal.	*S. Bartbol. Ap.*		22		1 Joh. 1
3	25	f	8 Cal.	*(& Ma.*	10	23	11	2
	26	g	7 Cal.		12	24	Hos. 1	3
11	27	A	6 Cal.	(Conf. Dod.	Ho. 2,3	25	4	4
	28	b	5 Cal.	S. Aug. Ep. Hip	5,6	26	7	5
19	29	c	4 Cal.	Decol. Joh. Ba.	8	27	9	2,3 Joh.
8	30	d	3 Cal.		10	28	11	Jud.
	31	e	Pr. Cal.		12	Mat. 1	13	Rom. 1

September

September habet XXX *Dies.*

Luna habet XXIX.

					Matut.		*Vespertin.*	
					1 Lect.	2 Lect.	1 Lect.	2 Lect.
16	1	f	Calend.	Egidii Abb.&	Hos. 14	Mat. 2	Joel 1	Rom. 2
5	2	g	4 No.	(Conf.	Joel. 2	3	3	3
	3	A	3 No.		Amos 1	4	Amos 2	4
13	4	b	Pr. No.		3	5	4	5
2	5	c	Nonæ.		5	6	6	6
	6	d	8 Id.	(relian.	7	7	8	7
10	7	e	7 Id.	Eunur.Ep.Au-	9	8	Obad.	8
	8	f	6 Id.	Nat.B.Vir. M.	Jon. 1	9	Jon. 2,3	9
18	9	g	5 Id.		4	10	Mich. 1	10
7	10	A	4 Id.		Mich. 2	11	3	11
	11	b	3 Id.		4	12	5	12
15	12	c	Pr. Id.		6	13	7	13
4	13	d	Idus.		Neh. 1	14	Neh. 2	14
	14	e	18 C. O&	S. Crucis.	3	15	Hab. 1	15
12	15	f	17 Cal.		Hab. 2	16	3	16
1	16	g	16 Cal.		Zeph. 1	17	Zeph. 2	1 Cor. 1
	17	A	15 Cal.	Lam. Ep. & M.	3	18	Hag. 1	2
9	18	b	14 Cal.		Hag. 2	19	Zach. 1	3
	19	c	13 Cal.		Za. 2,3	20	4, 5	4
17	20	d	12 Cal.	Jejun.	6	21	7	5
6	21	e	11 Cal.	S. Mat. Ap. Ev.		22		6
	22	f	10 Cal.	(& M.	8	23	9	7
13	23	g	9 Cal.		10	24	11	8
3	24	A	8 Cal.		12	25	13	9
	25	b	7 Cal.	(Car. & M.	14	26	Mal. 1	10
11	26	c	6 Cal.	S. Cypr. Archi.	Mal. 2	27	3	11
19	27	d	5 Cal.		4	28	Tob. 1	12
	28	e	4 Cal.	(nium Ang.	Tob. 2	Mar. 1	3	13
8	29	f	3 Cal.	S. Mich. & om-		2		14
	30	g	Pr. Cal.	S. Hier. Pr. C.	4	3	6	15
				(& Doct.				

CALENDARIUM.

October habet XXXI *Dies.*

Luna habet XXX.

					Matut.		*Vespertin.*	
					1 Lect.	2 Lect.	1 Lect.	2 Lect.
16	1	A	Calend.	Remi. Ep. Re-	Tob. 7	Mat. 4	Tob. 8	1 Cor. 16
5	2	b	6 No.	(menſ.	9	5	10	2 Cor. 1
13	3	c	5 No.		11	6	12	2
2	4	d	4 No.		13	7	14	3
	5	e	3 No.		Judit. 1	8	Judit. 2	4
10	6	f	Pr. No.	Fid. Vir. & Ma.	3	9	4	5
	7	g	Nonæ.		5	10	6	6
18	8	A	8 Id.		7	11	8	7
7	9	b	7 Id.	S. Dionyſ. Arc.	9	12	10	8
	10	c	6 Id.	(Ep. & Mar.	11	13	12	9
15	11	d	5 Id.		13	14	14	10
4	12	e	4 Id.		15	15	16	11
	13	f	3 Id.	Tranſl. S. Edv.	Sapie. 1	16	Sapie. 2	12
12	14	g	Pr. Id.	(Conf.	3	L. 1. 39	4	13
1	15	A	Idus.		5	1. 39	6	Gal. 1
	16	b	17 *Nov.*		7	2	8	2
9	17	c	16 Cal.	Ethelred. Vir.	9	3	10	3
	18	d	15 Cal.	*S. Luc. Evang.*		4		4
17	19	e	14 Cal.		11	5	12	5
6	20	f	13 Cal.		13	6	14	6
	21	g	12 Cal.		15	7	16	Eph. 1
14	22	A	11 Cal.		17	8	18	2
3	23	b	10 Cal.		19	9	Eccl. 1	3
	24	c	9 Cal.		Eccl. 2	10	3	4
11	25	d	8 Cal.	Criſpin. Mart.	4	11	5	5
	26	e	7 Cal.		6	12	7	6
19	27	f	6 Cal.	Jejun.	8	13	9	Phil. 1
8	28	g	5 Cal.	*S. Sim. & S. Ju.*		14		2
	29	A	4 Cal.	(*Ap. & M.*	10	15	11	3
16	30	b	3 Cal.		12	16	13	4
5	31	c	Pr. Cal.	Jejun.	14	17	15	Col. 1

November

CALENDARIUM.

November habet XXX *Dies.*

Luna habet XXIX.

					Matut.		*Veſpertin.*	
					1 Lect.	2 Lect.	1 Lect.	2 Lect.
	1	d	Calend.	*Feſt. Om Sanct.*				
13	2	e	4 No.		Ecc. 16	Luc. 18	Ecc. 17	Col. 2
2	3	f	3 No.		18	19	19	3
	4	g	Pr. No.		20	20	21	4
10	5	A	Nonæ.	*Conjurat. Pap.*	22	21	23	1 The. 1
	6	b	8 Id.	Leonar. Conf.	24	22	(a) 25	2
18	7	c	7 Id.		27	23	28	3
7	8	d	6 Id.		29	24	(b) 30	4
	9	e	5 Id.		31	Joh. 1	32	5
15	10	f	4 Id.		33	2	34	2 The. 1
4	11	g	3 Id.	S. Mart. Ep. &	35	3	36	2
	12	A	Pr. Id.	(Conf.	37	4	38	3
12	13	b	Idus.	Bricii Epiſc.	39	5	40	1 Tim 1
1	14	c	18 *C. Dec*		41	6	42	2, 3
	15	d	17 Cal.	Machuti Ep.	43	7	44	4
9	16	e	16 Cal.		45	8	(c) 46	5
	17	f	15 Cal.	Hugon. Epiſc.	47	9	48	6
17	18	g	14 Cal.	(Lincoln.	49	10	50	2 Tim 1
6	19	A	13 Cal.		51	11	Baru. 1	2
	20	b	12 Cal.	Edmund. Reg.	Baru. 2	12	3	3
14	21	c	11 Cal.	(& Mart.	4	13	5	4
3	22	d	10 Cal.	Cecil. Vi. & M.	6	14	Hiſt. S.	Tit. 1
	23	e	9 Cal.	S. Clem. 1. Ep.	Be. & D	15	Eſa. 1	2, 3
11	24	f	8 Cal.	(Rom. & M.	Eſa. 2	16	3	Phile.
	25	g	7 Cal.	Cathar. Vir. &	4	17	5	Heb. 1
19	26	A	6 Cal.	(Mart.	6	18	7	2
8	27	b	5 Cal.		8	19	9	3
	28	c	4 Cal.		10	20	11	4
16	29	d	3 Cal.	Jejun.	12	21	13	5
5	30	e	Pr. Cal.	*S. Andr. Ap. M.*		Act. 1		6

(a) Obſerva caput 25 Eccleſiaſtici legi tantum uſque ad v. 13.
(b) Et cap. 30. uſque ad verſ. 18.
(c) Et cap. 46. uſque ad verſ. 20.

December

CALENDARIUM.

December habet XXXI Dies.

Luna habet XXX.

					Matut.			Vespertin.		
					1 Lect.	2 Lect.		1 Lect.	2 Lect.	
	1	f	Calend.		Esa. 14	Act. 2		Esa. 15	Heb. 7	
13	2	g	4 No.		16	3		17		8
2	3	A	3 No.		18	4		19		9
10	4	b	Pr. No.		20, 21	5		22		10
	5	c	Nonæ.	(Lyciæ.	23	6		24		11
18	6	d	8 Id.	Nicol.Ep Mar	25	7 ad	30	26		12
7	7	e	7 Id.	(Mariæ.	27	7	30	28		13
	8	f	6 Id.	Concept.B.V.	29	8		30	Jac.	1
15	9	g	5 Id.		31	9		32		2
4	10	A	4 Id.		33	10		34		3
	11	b	3 Id.		35	11		36		4
12	12	c	Pr. Id.		37	12		38		5
1	13	d	Idus.	Luc.Vir.& M.	39	13		40	1 Pet.	1
	14	e	19C. *Jan*		41	14		42		2
9	15	f	18 Cal.		43	15		44		3
	16	g	17 Cal.	O Sapientia.	45	16		46		4
17	17	A	16 Cal.		47	17		48		5
6	18	b	15 Cal.		49	18		50	2 Pet.	1
	19	c	14 Cal.		51	19		52		2
14	20	d	13 Cal.	Jejun.	53	20		54		3
3	21	e	12 Cal.	*S.Thom. Ap.&*		21			1 Joh.	1
	22	f	11 Cal.	(*M.*	55	22		56		2
11	23	g	10 Cal.		57	23		58		3
	24	A	9 Cal.	Jejun.	59	24		60		4
19	25	b	8 Cal.	*Nativ. Dom.*						
8	26	c	7 Cal.	*S.Steph. Prot.*						
	27	d	6 Cal.	*S.Johan.Evan.*		25				5
16	28	e	5 Cal.	*Sanctor. Innoc.*						
5	29	f	4 Cal.		61	26		62	2 Joh.	
	30	g	3 Cal.		63	27		64	3 Joh.	
13	31	A	Pr. Cal.	Silvest.Ep.Ro.	65	28		66	Jud.	

Tabulæ

Tabulæ ac Regulæ de Feſtis Mobilibus & Immobilibus: Ut de Diebus Jejunii & Abſtinentiæ, per totum Annum.

Regulæ de Feſtis Mobilibus & aliis diebus Feſtis.

PAſcha (ex quo reliqua pendent) ſemper incidit in Dominicam quæ proxime ſuccedit Pleni-Lunium, quod immediate ſequitur 21 *Martii*. Sin vero Pleni-Lunium contingit die Dominica, Paſcha incidit in proxime ſequentem Dominicam.

Dominica Adventus ſemper incidit in Dominicam Feſto S. *Andreæ* proximam, five illud ſequatur five antecedat.

Septuageſima	antecedit	Novem	ſeptimanis.
Sexageſima		Octo	
Quinquageſima	Paſcha	Septem	
Quadrageſima		Sex	
Dominica *Regatio.*	ſequitur	Quinque	ſeptimanis.
Dies *Aſcenſionis*		Quadraginta	diebus
Pentecoſtes	Paſcha	Septem	ſeptimanis.
Dominica *Trinitat.*		Octo	ſeptimanis.

Tabula Feſtorum quæ obſervari debent in Eccleſia Anglicana, per totum annum.

Omnes Dominicæ in Anno.

FESTA

- Circumciſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti.
- Epiphania.
- Converſionis S. *Pauli.*
- Purificationis B. Virg.
- S. *Matthæi* Apoſtoli.
- Annunciationis B. Virg.
- S. *Marci* Evangel.
- S.S. *Philippi & Jacobi* Apoſt.
- Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti.
- S. *Barnabæ.*
- Nativ. S. *Joan.* Baptiſtæ.
- S. *Petri* Apoſtoli.
- S. *Jacobi* Apoſt.
- S. *Bartholomæi* Apoſt.
- S. *Matth.* Apoſt.
- S. *Michaelis*, & omnium Angelorum.
- S. *Lucæ* Evangeliſtæ.
- S.S. *Simonis & Judæ* Apoſt.
- Omnium Sanctorum.
- S. *Andreæ* Apoſt.
- S. *Thomæ* Apoſt.
- Nativitat. Domini.
- S. *Stephani* Martyris.
- S. *Joannis* Evangeliſtæ.
- Sanctorum Innocentium.

Feriæ: Secunda & Tert. poſt Dom. *Paſchatis.* — Secunda & Tert. poſt Dominic. *Pentecoſtes.*

Tabula

Tabula Vigiliarum, Jejuniorum, ac Dierum Abſtinentiæ, quæ obſervari debent ſingulis annis.

Veſperæ ſeu Vigiliæ ante

Nativitatem Domini.		S. *Petri.*
Purific. B. Virg. *Mar.*	}	S. *Jacobi.*
Annunc. B. Virg. *Mar.*	}	S. *Bartholomæi.*
Paſcha.	}	S. *Matthæi.*
Aſcenſionem.	}	S. S. *Simonis & Judæ.*
Pentecoſtem.	}	S. *Andreæ.*
S. *Matthiæ.*	}	S. *Thomæ.*
S. *Joan.* Baptiſt.		Omnium Sanctorum.

Obſerva, quod ſi ullum horum Feſtorum incidat in feriam ſecundam tum Vigilia, ſeu dies Jejunii obſervabitur feria ſeptima præcedentis Hebdomadis, non autem Dominica proxime antecedente.

Dies Jejunii aut Abſtinentiæ.

I. QUadrageſima.

II. Feriæ Jejuniorum Quatuor Temporum, quarta ſcilicet ſexta & ſeptima,

Poſt { Dominicam Primam Quadrageſimæ. / Feſtum Pentecoſtes. / 14 *Septembris.* / 13 *Decembris.*

III. Dies Rogationum, Feria ſcilicet ſecunda, tertia & quarta ante Aſcenſionem Domini.

IV. Feria ſexta cujuſcunque Hebdomadis in anno, præter Diem Natalem Chriſti.

Dies quidam ſolemnes pro quibus ſingularia quædam Officia aſſignantur.

QUintus *Novembris*, qui dies eſt *Conjurationis Pontificiorum.*

Trigeſimus *Januarii*, qui dies eſt *Martyris* Caroli *Regis* I.

Vigeſimus Nonus *Maii*, qui dies eſt *Nativitatis & Reditus* Caroli *Regis* II.

Tabula

Annus Domini.	Aurcus Numer.	Epacta	Littera Domin.	Dom. post Epi.	Septuagesima.	Dominic. Prima Quadragesima.	Pascha.	Dom. Rogat.	Ascensio Dom.	Pentecost.	Dom. post Tri.	Dom. Advent.
1661	9	9	F E	4	Feb. 10	Feb. 27	Apr. 14	Maii 19	Maii 23	June 2	4	Dec. 1
1662	10	20	D C	2	Jan. 26	[illegible]	Mar. 30	4	7	Maii 18	16	No. 30
1663	11	1	B A	5	Feb. 15	Mar. 4	Apr. 15	24	28	June 7	13	29
1664	12	12	G F	3	7	Feb. 24	10	15	19	Maii 26	14	27
1665	13	23	E D	2	Jan. 23	3	Mar. 26	Apr. 30	4	24	17	Dec. 3
1666	14	4	C B	5	Feb. 11	28	Apr. 15	Maii 20	24	June 3	24	2
1667	15	15	A G	3	3	20	7	12	16	Maii 26	25	1
1668	16	26	F E	1	Jan. 19	5	Mar. 22	Apr. 26	Apr. 30	10	27	No. 29
1669	17	7	D C	4	Feb. 7	24	Apr. 11	Maii 16	Maii 20	30	24	28
1670	18	18	B A	2	Jan. 30	16	3	8	12	22	25	27
1671	19	25	G F	6	Feb. 19	Mar. 8	23	28	June 1	June 11	23	Dec. 3
1672	1	11	E D	4	4	Feb. 28	7	12	Maii 16	Maii 26	25	1
1673	2	22	C B	2	Jan. 26	12	Mar. 30	4	8	18	26	No. 30
1674	3	3	A G	5	Feb. 15	Mar. 4	Apr. 15	24	28	June 7	23	29
1675	4	14	F E	3	Jan. 31	Feb. 17	4	9	13	Maii 23	25	28
1676	5	25	D C	2	23	9	Mar. 26	Apr. 30	4	14	27	Dec. 3
1677	6	6	B A	5	Feb. 11	28	Apr. 15	Maii 20	24	June 3	24	2
1678	7	17	G F	2	Jan. 27	13	Mar. 31	5	9	Maii 19	26	1
1679	8	28	E D	5	Feb. 16	Mar. 5	Apr. 20	25	29	June 8	25	No. 30
1680	9	9	C B	4	8	Feb. 25	11	16	20	Maii 30	24	28
1681	10	20	A G	3	Jan. 30	16	3	8	12	22	25	27
1682	11	1	F E	5	Feb. 12	Mar. 1	16	21	25	June 4	24	Dec. 3
1683	12	12	D C	4	4	Feb. 21	8	13	17	Maii 27	25	2
1684	13	23	B A	2	Jan. 27	13	Mar. 30	4	8	18	26	No. 30
1685	14	4	G F	5	Feb. 11	Mar. 4	Apr. 19	24	28	June 7	23	29
1686	15	15	E D	3	Jan. 31	Feb. 17	4	9	13	Maii 23	25	28
1687	16	26	C B	2	23	9	Mar. 27	1	5	15	26	27
1688	17	7	A G	5	Feb. 12	Mar. 1	Apr. 15	20	24	June 3	24	Dec. 2
1689	18	18	F E	3	Jan. 27	Feb. 13	Mar. 31	5	9	Maii 19	26	1
1690	19	29	D C	5	Feb. 16	Mar. 5	Apr. 20	25	29	June 8	23	No. 30
1691	1	11	B D	4	8	Feb. 25	12	17	21	Maii 31	24	29
1692	2	22	G B	3	Jan. 24	10	Mar. 27	1	5	15	26	27
1693	3	3	A G	5	Feb. 12	Mar. 1	Apr. 16	21	25	June 4	24	Dec. 3
1694	4	14	F E	4	4	Feb. 21	8	13	17	Maii 27	25	2
1695	5	25	D C	1	Jan. 20	6	Mar. 24	Apr. 28	2	12	27	1
1696	6	6	E D	4	Feb. 9	24	Apr. 12	Maii 17	21	31	24	No. 29
1697	7	17	C B	3	Jan. 31	17	4	9	13	23	25	28
1698	8	28	A G	6	Feb. 20	Mar. 5	24	29	Jun. 2	June 12	22	27
1699	9	9	F E	4	4	Feb. 21	9	14	Maii 18	Maii 28	25	Dec. 3
1700	10	20	G F	2	Jan 23	14	Mar. 31	5	9	19	26	1

Observa annum Domini, juxta Supputationem Ecclesiæ Anglicanæ, *incipere vigesimo quinto Mensis* Martii.

Ad

Ad inveniendum diem *Paſchatis* in perpetuum.

Aureus Nume.	A	B	C	D	E	F	G
I	Apr. 9	10	11	12	6	7	8
II	Mar. 26	27	28	29	30	31	Apr. 1
III	Apr. 16	17	18	19	20	14	15
IV	Apr. 9	3	4	5	6	7	8
V	Mar. 26	27	28	29	23	24	25
VI	Apr. 16	17	11	12	13	14	15
VII	Apr. 2	3	4	5	6	Mar. 31	Apr. 1
VIII	Apr. 23	24	25	19	20	21	22
IX	Apr. 9	10	11	12	13	14	8
X	Apr. 2	3	Mar. 28	29	30	31	Apr. 1
XI	Apr. 16	17	18	19	20	21	22
XII	Apr. 9	10	11	5	6	7	8
XIII	Mar. 26	27	28	29	30	31	25
XIV	Apr. 16	17	18	19	13	14	15
XV	Apr. 2	3	4	5	6	7	8
XVI	Mar. 26	27	28	22	23	24	25
XVII	Apr. 16	10	11	12	13	14	15
XVIII	Apr. 2	3	4	5	Mar. 30	31	Apr. 1
XIX	Apr. 23	24	18	19	20	21	22

¶ *CUM inveneris literam Dominicalem in linea ſuperiore, dirige oculum deorſum, donec perveniàs e regione Aurei Numeri. Ibi autem indicatur tum menſis tum dies* Paſchatis *illius anni. Obſerva vero menſis nomen ſcribi à ſiniſtra aut una cum die menſis, non autem ſequi, ut fieri ſolet in aliis Tabulis per Deſcenſionem, ſed ſicut in Tabulis collateralibus.*

Ordo in Matutinis & Veſpertinis Precibus quotidie obſervandus per totum Annum.

PRECES Matutinæ & Veſpertinæ celebrabuntur in conſueto loco Eccleſiæ, Sacelli, aut Chori, niſi aliter præſcriptum fuerit ab Ordinario loci. Chori autem poſthac eodem ſtatu remanebunt quo antea fuerunt.

Hic etiam notandum eſt, quod eadem Ornamenta Eccleſiæ & illius Miniſtrorum, quotieſcunque Sacra celebraverint, retinebuntur & uſurpabuntur, quæ uſurpata ſunt in hac Eccleſia Anglicana, Authoritate Parliamenti, anno ſecundo Regni *Edvardi* Regis Sexti.

ORDO

Brett Backwell

ORDO
IN
MATUTINIS PRECIBUS

Per totum annum quotidie obſervandus.

¶ *Initio Precum Matutinarum, ſacrorum Miniſter harum ſententiarum quæ ſequuntur ex ſcriptura ſacra deſumptarum, unam aut alteram aut etiam plures altâ voce præleget, deinde id dicet quod iis ſententiis immediatè ſubjungitur.*

CUM averterit ſe impius ab impietate ſua quam operatus eſt, & fecerit judicium & juſtitiam, ipſe animam ſuam vivificabit, *Ezek.* 18. 27.

Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. *Pſal.* 51. 3.

Averte faciam tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. *Pſal.* 51. 9.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. *Pſal.* 51. 18.

Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. *Joel* 2. 13.

Tibi autem Domino Deo noſtro miſericordia & propitiatio quia receſſimus a te, & non audivimus vocem Domini Dei noſtri, ut ambularemus in lege ejus quam poſuit nobis per ſervos ſuos prophetas. *Dan.* 9, 10.

Corripe me Domine, veruntamen in judicio: & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me. *Jerem.* 10. 24.

Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum. S. *Marc.* 3. 2.

Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, Pater, peccavi in cœlum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus. S. *Luc.* 15. 18, & 19.

Non intres in judicium cum ſervo tuo: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. *Pſal.* 143. 2.

Si dixerimus quoniam peccatum non habemus: ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. 1 S. *Joh.* 1. 8, 9.

DIlectiſſimi fratres, Scriptura ſacra nos paſſim hortatur, ut multiplicia peccata noſtra atque iniquitates agnoſcamus & confiteamur, &

ne ullum colorem iis tegendis aut diſſimulandis in conſpectu Omnipotentis Dei Patris noſtri cœleſtis adhibeamus, verum quotquot ſunt ea corde humili, demiſſo, pœnitente, atque obſequenti coram ipſo denudemus, quo veniam ab immensâ ipſius clementiâ ac miſericordiâ conſequamur. Et quanquam peccata noſtra coram Deo magnâ cum animi demiſſione aperire ſemper oportet, id tamen fieri decet maximè in Eccleſiâ, ubi ſumus unà congregati ut ei gratias agamus pro ingentibus in nos collatis beneficiis, ut laudes ejus meritiſſimas prædicemus, ut ſanctiſſimum ipſius verbum audiamus, atque ut ab ipſo ea omnia petamus quæ cum animi tum corporis ſtatus requirit exigitque. Vos itaque quotquot adeſtis omnes rogo atque obteſtor ut me verba præuntem, animo ſincero ac voce humili ad cœleſtis clementiæ thronum ſequamini, dicentes;

¶ *Generalis confeſſio ab univerſa congregatione poſt Miniſtrum dicenda, ſingulis genua flectentibus.*

PAter Omnipotens ac ſummè miſericors; tanquam oves perditæ à viis tuis abivimus atque aberravimus: cordium noſtrorum inventis & concupiſcentiis nimium indulſimus: ſacroſancta mandata tua violavimus: quæ à nobis præſtanda erant omiſimus; & quæ non præſtanda erant commiſimus: & in nobis nulla eſt ſalus: tu autem Domine propitius eſto nobis miſeris peccatoribus: Parce Deus peccata ſua confitentibus, pœnitentes in integrum reſtitue: juxta promiſſiones tuos humano generi in Chriſto Jeſu Domino noſtro revelatas. Concede etiam propter ipſum, Pater ſumme miſericors; ut in poſterum pie, juſtè ſobriéque vitam inſtituamus; ad ſancti nominis tui gloriam. *Amen.*

¶ *Abſolutio ſeu peccatorum remiſſio à Presbytero tantùm, eoque ſtante, plebe autem genua flectente, pronuncianda.*

OMnipotens Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui non vult mortem peccatoris, ſed potius ut convertatur ab iniquitatibus ſuis, & vivat, quique Miniſtris ſuis poteſtatem conceſſit & in mandatis dedit, ut populo ſuo pœnitenti abſolutionem peccatorumque ſuorum remiſſionem annunciarent ac pronunciarent, ipſe ſingulis vere pœnitentibus, & ſancto ejus Evangelio haud fictè credentibus ignoſcit, eoſq; abſolvit. Rogemus itaque ut ipſe veram reſipiſcentiam ſanctumque ſuum ſpiritum nobis largiatur, quo ea ipſi grata ſint quæ impræſentiarum agimus; & reliqua deinceps vita noſtra in hoc mundo adeò pura ſit & ſancta, ut ad gaudium ejus ſempiternum tandem perveniamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

¶ *Hîc & ubique poſt ſingulam unamquamque orationem Populus reſpondebit,* Amen.

¶ *Tan*

¶ *Tum Miniſter genibus flexis orationem Dominicam alta voce recitabit, Populo etiam genua flectente, eamque poſt Miniſtrum repetente: quod fiet tam hîc, quàm alibi, ubicunque uſurpatur in ſacris officiis.*

PAter noſter qui es in cœlis. Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terrâ. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos induceas in tentationem. Sed libera nos à malo. Quia tuum eſt regnum, potentia & gloria, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Tum etiam ſimiliter dicet,*

Domine, labia noſtra aperias.

Reſponſio.

Et os noſtrum annunciabit laudem tuam.

Miniſter.

Domine, in adjutorium noſtrum intende.

Reſponſio.

Domine, ad adjuvandum nos feſtina.

¶ *Hic ſtantibus omnibus Preſbyter dicet,*

Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.

Reſponſio.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Presbyter.

Laudate Dominum.

Reſponſio.

Sit nomen Domini benedictum.

¶ *Tum cantabitur aut recitabitur ſequens Pſalmus, præterquam Paſchatis die, quo die canticum aliud uſurpandum eſt in eum diem deſtinatum; die etiam decimo nono menſis cujuſlibet, non eſt in hoc loco, ſed unà cum cæteris Pſalmis ejus diei, pro conſueto more recitandus.*

Pſalm. xcv.

VEnite exultemus Domino, jubilemus Deo ſalutari noſtro.

Præoccupemus faciem ejus in confeſſione: & in Pſalmis jubilemus ei.

Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos.

Quia in manu ejus ſunt fines terræ: & altitudines montium ipſius ſunt.

Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud & ſiccam manus ejus formaverunt.

Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum qui fecit nos.

Quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, & nos populus paſcuæ ejus, & oves manuum ejus.

Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in irritatione ſecundum diem tentationis in deſerto.

Ubi tentaverunt me Patres veſtri: probaverunt, & viderunt opera mea.

Quadraginta annis offenſus fui generationi illi: & dixi, ſemper hi errant corde.

Et iſti non cognoverunt vias meas: ut juravi in ira mea ſi introibunt in requiem meam.

Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Tum ſequuntur Pſalmi juxta præſtitutum ordinem. Poſt finitum autem unumquemque Pſalmum per totum annum, ut & poſt finem canticorum* Benedicite, Benedictus, Magnificat, *&* Nunc Dimittis, *ſequitur,*

Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.

Reſponſio.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Tum diſtinctâ atque altâ voce prælegetur lectio prior ex veteri Teſtamento deſumpta, prout conſtitutum eſt in Calendario (niſi propriæ lectiones in eum diem fuerint aſſignatæ) lectore ita ſtante & ſe obvertente, ut à cunctis præſentibus commodè poſſit audiri. Poſtea recitabitur aut cantabitur linguâ vernaculâ hymnus* Te Deum laudamus, *idque quotidie per totum annum.*

¶ *Nota quod ante quamlibet lectionem Miniſter dicet,* hîc incipit Caput *aut* verſus capitis *hujus aut illius libri, & finita unâquaque lectione,* hic deſinit lectio prior *aut* poſterior.

TE Deum laudamus: te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli: tibi cœli & univerſæ poteſtates.

Tibi Cherubim & Seraphim; inceſſabili voce proclamant.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.

Pleni ſunt cœli & terra majeſtatis gloriæ tuæ.

Te glorioſus Apoſtolorum chorus;

Te Prophetarum laudabilis numerus;

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum ſancta confitetur Eccleſia.

Pater immenſæ Majeſtatis.

Venerandum tuum, verum & unicum Filium.

Sanctum quoque Paracletum Spiritum.

Tu Rex gloriæ, Chriſte.

Tu Patris Sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo, aperuiſti credentibus regna cœlorum.

Tu ad dexteram Dei ſedes in gloria Patris.

Judex crederis eſſe venturus.

Te ergo quæſumus famulis tuis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti.

Æterna fac cum ſanctis tuis in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, Domine, & benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos, & extolle illos, uſque in æternum.

Per ſingulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in ſæculum & in ſæculum ſæculi.

Dignare, Domine, die iſto ſine peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri.

Fiat

Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te.

In te Domine ſperavi, non confundar in æternum.

¶ *Aut hoc canticum* Benedicite omnia opera Domini.

BEnedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite cœli Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite omnes virtutes Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite Sol & Luna Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite ſtellæ cœli Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite omnes imber & ros Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite omnes ſpiritus Dei Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite ignis & æſtus Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite frigus & æſtas Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite rores & pruina Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite gelu & frigus Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite glacies & nives Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite noctes & dies Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite lux & tenebræ Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite fulgura & nubes Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicat terra Domino, laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite montes & colles Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite univerſa germinantia in terra Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite fontes Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite maria & flumina Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite cete & omnia quæ moventur in aquis Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite omnes volucres cœli Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite omnes beſtiæ & pecora Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite filii hominum Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicat Iſrael Domino: laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite ſacerdotes Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite ſervi Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite ſpiritus & animæ juſtorum Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite ſancti & humiles corde Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite Anania, Azaria, Miſael Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Tum eodem modo prælegetur lectio Poſterior ex novo Teſtamento deſumpta, deinde ſequens canticum, niſi cum forte prælectum fuerit in lectione alicujus diei, aut in Evangelio in ſancti Johannis Baptiſtæ diem aſſignato.*

Luc. i. 68.

BEnedictus Dominus Deus Iſrael: quia viſitavit & fecit redemptionem plebis ſuæ.

Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo *Davıd* pueri ſui.

Sicut loquutus eſt per os ſanctorum qui à ſæculo ſunt Prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti.

Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem noſtrum daturum ſe nobis,

Ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi.

In ſanctitate & juſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris.

Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus.

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum.

Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos Oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper. & in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Aut hic Pſalmus.* Pſal. c.

JUbilate Deo omnis terra, ſervite Domino in lætitia.

Introite in conſpectu ejus in exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos & non ipſi nos, populus ejus & oves paſcuæ ejus.

Introite portus ejus in confeſſione, atria ejus in hymnis confitemini illi, laudate nomen ejus.

Quoniam ſuavis eſt Dominus, in æternum miſericordia ejus & uſque in generatione & generationem veritas ejus.

Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Tum*

¶ *Tum* Symbolum Apoſtolorum *à Miniſtro & Populo ſtantibus cantabitur aut recitabitur, exceptis quibuſdam diebus, quibus ſancti Athanaſii Symbolum recitatur.*

CRedo in Deum Patrem Omnipotentem, creatorem cœli & terræ; & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum; qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus eſt Maria Virgine; paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus; deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis; aſcendit ad Cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis; inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Credo in ſpiritum ſanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, Remiſſionem peccatorum, Carnis reſurrectionem, Et vitam æternam. *Amen.*

¶ *Deinde ſequentes orationes ſingulis religioſè genua flectentibus. Miniſtro alta voce prius dicente,*

Dominus vobiſcum.
Reſponſio.
Et cum ſpiritu tuo.
Oremus.
Kyrie Eleyſon.
Chriſte Eleyſon.
Kyrie Eleyſon.

¶ *Tum Miniſter, Clerici ut & Populus alta voce orationem Dominicam recitabunt.*

PAter noſter qui es in Cœlis, Sanctificetur nomen tuum, Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. *Amen.*

¶ *Deinde ſtans Presbyter dicet,*

Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam.
Reſponſio.
Et ſalutare tuum da nobis.
Presbyter.
Domine ſalvum fac Regem.
Reſponſio.
Et clementer exaudi nos cum invocamus te.
Presbyter.
Miniſtri tui induantur juſtitia.
Reſponſio.
Et ſancti tui exultent.
Presbyter.
Salvum fac populum tuum, Domine.
Reſponſio.
Et benedic hæreditati tuæ.
Presbyter.
Da pacem, Domine, in diebus noſtris.
Reſponſio.
Quia non eſt alius qui pugnet pro nobis, niſi tu Deus noſter.
Presbyter.
Cor mundum crea in nobis, ô Deus.
Reſponſio.
Et Spiritum ſanctum tuum ne auferas à nobis.

1 Petrus 2 Johannes 3 Jacobus 4 Andreas 5 Philippus
6 Thomas 7 Bartholomæus 8 Matthæus 9 Jacobus Alphei
10 Simon Zelotes 11 Judas Jacobi 12 Matthias

¶ *Tum ſequentur tres Collectæ; Prima diei, quæ eadem erit cum ea quæ in officio ſacræ communionis recitanda eſt. Secunda pro pace impetranda. Tertia ut gratia concedatur ad rectè vivendum. Duæ poſteriores collectæ nunquam variabuntur, ſed quotidie in matutinis precibus recitabuntur per totum annum, prout ſequuntur, ſingulis genua flectentibus.*

Collecta ſecunda pro pace.

DEus author pacis & concordiæ amator, in cujus cognitione ſita eſt vita æterna, & cui ſervire vera eſt libertas, nos humiles famulos tuos adverſus omnes hoſtium noſtrorum impetus protegas, ne nobis tuâ protectione fretis, ſit ab ullius adverſarii viribus timendum, per virtutem Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

Collecta tertia pro gratia petenda.

ODomine Pater noſter cœleſtis, Omnipotens & ſempiterne Deus, qui nos incolumes ad initium hujus diei perduxiſti, tuâ nos hodie potenti virtute protege, da etiam ne in ullum hac die peccatum incidamus, aut in ullum periculum incurramus, ſed ut ſingulæ actiones noſtræ tuo moderamine ita dirigantur, ut quod juſtum eſt in conſpectu tuo id ſemper præſtemus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *In Choris & locis in quibus pſallitur hîc ſequitur Antiphona.*

¶ *Tum ſequentes hæ quinque orationes hîc recitandæ ſunt, niſi cum Litania recitatur. Tum enim duæ poſteriores tantum recitandæ ſunt eo ordine quo ibi collocantur.*

Oratio pro Regia Majeſtate.

ODomine Pater noſter cœleſtis, excelſe atque potens, Rex Regum, & Domine Dominantium, Principum omnium moderator unice, qui de ſolio tuo omnes mundi incolas intueris, ſupplices te rogamus ut Clementiſſimum Regem WILLIELMUM, ſupremum Dominum noſtrum benignè reſpicere digneris, & ita eum ſancti ſpiritus tui gratiâ replere, ut ad voluntatem tuam adimplendam promptus paratuſque in viis tuis indefinenter ambulet, cœleſtibus eum tuis muneribus ita cumula, ut vitâ utatur longævâ & proſperâ, eum adeò corrobora ut hoſtes omnes ſuperet ac devincat, & tandem exacto hujus vitæ curriculo ad gaudium & felicitatem æternam perveniat, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Oratio pro ſtirpe Regia.

OMnipotens Deus omnis boni fons & ſcaturigo, ſupplices te rogamus, ut *Catharinæ* Reginæ Dotariæ, nec non regiæ Ipſius Celſitudinis Principiſſæ *Annæ* de *Dania*, ut & univerſæ ſtirpi Regiæ benedicere digneris, eos ſancto tuo ſpiritu dona, gratiâ tuâ cœleſti locupleta, fauſta illis & proſpera omnia concede, & eos perducas ad æternum regnum tuum, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Oratio

Oratio pro Clero & Populo.

OMnipotens & æterne Deus, qui ſolus mirabilia operaris, gratiæ tuæ ſpiritum ſalutarem emitte ſuper Epiſcopos & Curatos noſtros, & ſuper univerſos greges eorum curæ demandatos, & ut verè ſint apud te accepti, perpetuum in eos benedictionis tuæ rorem effunde. Hæc largire Domine, propter honorem Advocati & mediatoris noſtri Jeſu Chriſti. *Amen.*

Oratio Sancti Chryſoſtomi.

OMnipotens Deus, cujus gratiâ nobis conceſſum eſt hoc tempore preces noſtras uno ore unoque animo tibi offere, & qui polliceris, ubi duo vel tres congregati fuerint in Nomine tuo, te eorum petitiones exauditurum, famulorum tuorum deſideria ac vota ô Domine (prout tibi maxime illis expedire videbitur) benigne jam adimple, conceſſâ nobis in hoc ſæculo veritatis tuæ cognitione & vitâ æterna in futuro. *Amen.*

2 *Cor.* xiij. 14.

GRatia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus, ſit ſemper cum omnibus nobis. *Amen.*

¶ *Hic deſinit ordo Matutinarum Precum per totum annum.*

ORDO
IN
VESPERTINIS PRECIBUS
Per totum annum quotidie obſervandus.

¶ *Initio Precum Veſpertinarum, ſacrorum Miniſter harum ſententiarum quæ ſequuntur ex ſacra ſcriptura deſumptarum, unam aut alteram aut etiam plures altâ voce præleget, deinde id dicet quod iis ſententiis immediate ſubjungitur.*

CUM averterit ſe impius ab impietate ſua quam operatus eſt, & fecerit judicium & juſtitiam, ipſe animam ſuam vivificabit. *Ezek.* 18. 27.

Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. *Pſal.* 51. 3.

Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. *Pſal.* 31. 9.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. *Pſal.* 51. 18.

Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum Deum ve-

ſtrum, quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. *Joel* ij. 13.

Tibi autem Domino Deo noſtro miſericordia & propitiatio, quia receſſimus à te, & non audivimus vocem Domini Dei noſtri ut ambularemus in lege ejus, quam poſuit nobis per ſervos ſuos Prophetas. *Dan.* ix. 9, 10.

Corripe me Domine, veruntamen in judicio, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. *Jerem.* x. 24.

Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. S. *Mat.* iij. 2.

Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei, Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus. S. *Luc.* xv. 18, 19.

Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. *Pſal.* cxliij. 2.

Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. 1 S. *Joh.* i. 8, 9.

Dilectiſſimi fratres, Scripturæ ſacræ nos paſſim hortatur, ut multiplicia peccata noſtra atque iniquitates agnoſcamus & confiteamur, & ne ullum colorem iis tegendis aut diſſimulandis in conſpectu omnipotentis Dei Patris noſtri cœleſtis adhibeamus. Verum quotquot ſunt ea, corde humili, demiſſo, pœnitente atque obſequente coram ipſo denudemus, quo veniam ab immenſa ipſius clementiâ ac miſericordia conſequamur. Et quanquam peccata noſtra coram Deo magna cum animi demiſſione aperire ſemper oportet, id tamen fieri decet maximè in Eccleſiâ ubi ſumus unà congregati, ut ei gratias agamus pto ingentibus in nos collatis beneficiis, ut laudes ejus meritiſſimas prædicemus, ut ſanctiſſimum ipſius verbum audiamus, atque ut ab ipſo ea omnia petamus quæ cum animi tum corporis ſtatus requirit exigitque. Vos itaque quotquot adeſtis omnes rogo atque obteſtor ut me verba præeuntem, animo ſincero ac voce humili ad cœleſtis clementiæ thronum ſequamini, dicentes;

¶ *Generalis confeſſio ab univerſa congregatione poſt Miniſtrum dicenda ſingulis genua flectentibus.*

PAter Omnipotens ac ſummè miſericors, tanquam oves perditæ à viis tuis abivimus atq; aberravimus, cordium noſtrorum inventis & concupiſcentiis nimium indulſimus, ſacroſancta mandata tua violavimus. Quæ à nobis præſtanda erant omiſimus, & quæ non præſtanda erant commiſimus, & in nobis nulla eſt ſalus; tu autem Domine, propitius eſto nobis miſeris peccatoribus: parce ô Deus peccata ſua confitentibus, pœnitentes in integrum reſtitue, juxta promiſſiones tuas humano generi in Chriſto Jeſu Domino noſtro revelatas. Concede etiam propter ipſum, Pater ſummè miſericors, ut in poſterum piè, juſtè, ſobriéque vitam inſtituamus ad ſancti nominis tui gloriam. *Amen.*

¶ *Abſolutio*

¶ *Abſolutio ſeu peccatorum remiſſio à Presbytero tantum, eoque ſtante, plebe autem genua flectente, pronuncianda.*

OMnipotens Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui non vult mortem peccatoris, ſed potius ut convertatur ab iniquitatibus ſuis, & vivat, quique Miniſtris ſuis poteſtatem conceſſit, & in mandatis dedit, ut populo ſuo pœnitenti abſolutionem peccatorumque ſuorum remiſſionem annunciarent ac pronunciarent, ipſe ſingulis verè pœnitentibus & ſancto ejus Evangelio haud fictè credentibus ignoſcit, eoſq; abſolvit. Rogemus itaque ut ipſe veram reſipiſcentiam ſanctumque ſuum ſpiritum nobis largiatur, quo ea ipſi grata ſint quæ impræſentiarum agimus; & reliqua deinceps vita noſtra in hoc mundo adeo pura ſit & ſancta, ut ad gaudium ejus ſempiternum tandem perveniamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum Miniſter genibus flexis orationem Dominicam recitabit, Populo etiam genua flectente, eamque cum ipſo repetente.*

PAter noſter qui es in cœlis. Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terrâ. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et nè nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Quia tuum eſt regnum, potentia & gloria, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Tum etiam ſimiliter dicet,*

Domine, labia noſtra aperias.

Reſponſio.

Et os noſtrum annunciabit laudem tuam.

Miniſter.

Domine, in adjutorium noſtrum intende.

Reſponſio.

Domine, ad adjuvandum nos feſtina.

¶ *Hic ſtantibus omnibus Preſbyter dicet,*

Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.

Reſponſio.

Sicut erat in Principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Presbyter.

Laudate Dominum.

Reſponſio.

Sit nomen Domini benedictum.

¶ *Tum recitabuntur aut cantabuntur Pſalmi juxta præſtitutum ordinem. Tum lectio ex vetere Teſtamento prout conſtitutum eſt. Poſtea vero* Magnificat *ſeu Canticum Beatæ Virginis, linguâ vernaculâ prout ſequitur.*

MAgnificat anima mea Dominum: & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia

Quia fecit mihi magna qui potens eſt: Et ſanctum nomen ejus.

Et miſericordia ejus à progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potentes de ſede: Et exaltavit humiles.

Eſurientes implevit bonis: Et divites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſrael puerum ſuum: recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad Patres noſtros: Abraham & ſemini ejus in ſæcula.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Aut hic Pſalmus, preterquam die menſis decimâ nonâ quâ die cum cæteris Pſalmis pro conſueto more recitatur.*

Pſal. 98.

CAntate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.

Salvavit ſibi dextera ejus: Et brachium ſanctum ejus.

Notum fecit Dominus ſalutare ſuum: in conſpectu gentium revelavit juſtitiam ſuam.

Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ: & veritatis ſuæ domui Iſrael.

Viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri.

Jubilate Domino omnis terra: cantate, & exultate & pſallite.

Pſallite Domino in cithara, in cithara, & voce Pſalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ cornææ.

Jubilate in conſpectu regis Domini: moveatur mare & plenitudo ejus: orbis terrarum, & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini, quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in juſtitia: & populos in æquitate.

Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Tum lectio ex Novo Teſtamento deſumpta, prout conſtitutum eſt. Poſtea vero* Nunc Dimittis, *ſeu Canticum Simeonis linguâ vernaculâ prout ſequitur.*

NUnc dimittis ſervum tuum Domine: ſecundum verbum in pace.

Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.

Quod parâſti: ante faciem omnium populorum.

Lumen ad revelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Iſrael.

Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Aut vero hic Pſalmus, præterquam die menſis duodecima.*

DEus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: Illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

Ut cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutare tuum.

Con-

Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum ſuum.

Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Tum Symbolum Apoſtolorum à Miniſtro & à Populo ſtantibus recitabitur aut cantabitur.*

CRedo in Deum Patrem Omnipotentem, creatorem cœli & terræ, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum, qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus, deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis, aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, Remiſſionem peccatorum, Carnis reſurrectionem, Et vitam æternam. *Amen.*

¶ *Deinde ſequentes orationes ſingulis religioſè genua flectentibus. Miniſtro alta voce prius dicente,*

Dominus vobiſcum.

Reſponſio.

Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Kyrie Eleyſon.

Chriſte Eleyſon.

Kyrie Eleyſon.

¶ *Tum Miniſter, Clerici ut & Populus orationem Dominicam altâ voce recitabunt.*

PAter noſter qui es in Cœlis, Sanctificetur nomen tuum, Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. *Amen.*

¶ *Tum Presbyter ſtans dicet.*

Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam.

Reſponſio.

Et ſalutare tuum da nobis.

Presbyter.

Domine ſalvum fac Regem.

Reſponſio.

Et clementer exaudi nos cum invocamus te.

Presbyter.

Miniſtri tui induantur juſtitia.

Reſponſio.

Et ſancti tui exultent.

Presbyter.

Salvum fac populum tuum, Domine.

Reſpon-

Reſponſio.

Et benedic hæreditati tuæ.

Presbyter.

Da pacem, Domine, in diebus noſtris.

Reſponſio.

Quia non eſt alius qui pugnet pro nobis, niſi tu Deus, Deus noſter.

Presbyter.

Cor mundum crea in nobis, Deus.

Reſponſio.

Et Spiritum ſanctum tuum ne auferas à nobis.

¶ *Tum ſequentur tres Collectæ; Prima diei, Secunda pro pace impetranda, Tertia pro auxilio adverſus omnia pericula, prout habetur in ſequentibus; quæ quidem duæ poſteriores Collectæ quotidie recitabuntur in Veſpertinis precibus abſque ulla variatione.*

¶ *Collecta ſecunda in Veſpertinis Precibus.*

DEUS, à quo omnia ſancta deſideria, omnia recta conſilia, omnia opera juſta proficiſcuntur; famulis tuis eam pacem concede, quam mundus dare non poteſt; adeo ut tum corda noſtra ad obtemperandum mandatis tuis attendant, tum nos etiam tuti ab hoſtium noſtrorum metu, tranquilli pacatique vitam noſtram agamus, propter merita Jeſu Chriſti Servatoris noſtri. *Amen.*

¶ *Collecta tertia pro auxilio adverſus omnia pericula.*

TEnebras noſtras illumina, quæſumus Domine, & nos per immenſam miſericordiam tuam ab omnibus hujuſce noctis inſidiis atque periculis immunes præſta, propter charitatem filii tui unigeniti Jeſu Chriſti Servatoris noſtri. *Amen.*

¶ *In choris & locis ubi pſallitur hic ſequitur Antiphona.*

Oratio pro Regia Majeſtate.

O Domine Pater noſter cœleſtis, excelſe atque potens, Rex Regum, & Domine Dominantium, Principum omnium moderator unice, qui de ſolio tuo omnes mundi incolas intueris, ſupplices te rogamus ut Clementiſſimum Regem WILLIELMUM, ſupremum Dominum noſtrum benigne reſpicere digneris, & ita eum gratiâ ſanctâ ſpiritus tui replere, ut ad voluntatem tuam adimplendam promptus paratuſque in vîis tuis indefinenter ambulet, cœleſtibus eum tuis muneribus ita cumula, ut vitâ utatur longævâ & proſperâ, eum adeò corrobora ut hoſtes omnes ſuperet ac devincat, & tandem exacto hujus vitæ curriculo ad gaudium & felicitatem æternam perveniat, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Oratio pro ſtirpe Regia.

OMnipotens Deus omnis boni fons & ſcaturigo, ſupplices te rogamus, ut *Catharinæ* Reginæ Dotariæ, nec non regiæ Ipſius Celſitudinis Principiſſæ *Annæ* de *Daniâ*, ut & univerſæ ſtirpi Regiæ benedicere digneris, eos ſancto tuo ſpiritu dona, gratiâ tuâ cœleſti locupleta, fauſta illis & proſpera omnia concede, & eos perducas ad æternum regnum tuum, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Oratio

Oratio pro Clero & Populo.

OMnipotens & æterne Deus, qui ſolus mirabilia operaris, gratiæ tuæ ſpiritum ſalutarem emitte ſuper Epiſcopos & Curatos noſtros, & ſuper univerſos greges eorum curæ demandatos, & ut verè ſint apud te accepti perpetuum, in eos benedictionis tuæ rorem effunde. Hæc largire Domine, propter honorem Advocati & mediatoris noſtri Jeſu Chriſti. *Amen.*

Oratio Sancti Chryſoſtomi.

OMnipotens Deus, cujus gratiâ nobis conceſſum eſt hoc tempore preces noſtras uno ore unoque animo tibi offere, & qui polliceris, ubi duo vel tres congregati fuerint in Nomine tuo, te eorum petitiones exauditurum, famulorum tuorum deſideria ac vota ô Domine (prout tibi maximè illis expedire videbitur) benigne jam adimple, conceſsâ nobis in hoc ſæculo veritatis tuæ cognitione & vitâ æterna in futuro. *Amen.*

2 *Cor.* xiij. 14.

GRatia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus, ſit ſemper cum omnibus nobis. *Amen.*

¶ *Hic deſinit ordo Veſpertinarum Precum per totum annum.*

¶ *Hiſce feſtis diebus, ſcilicet Natalis Chriſti, Epiphaniæ, Sancti Matthiæ, Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Sancti Joannis Baptiſtæ, Sancti Jacobi, Sancti Bartholomæi, Sancti Matthæi, Sanctorum Simonis & Judæ, Sancti Andreæ, ut & in feſto Trinitatis, in Matutinis Precibus, loco Symboli Apoſtolorum, hæc Chriſtianæ noſtræ fidei Confeſſio, Sancti Athanaſii Symbolum, vulgò dicta, cantabitur, aut recitabitur à Miniſtro ac Populo ſtantibus.*

QUicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt ut teneat Catholicam fidem.

Quam niſi quiſque integram, inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur.

Neque confundentes Perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes.

Alia eſt enim perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.

Sed Patris, & Filii, & Spiritus ſancti una eſt Divinitas, æqualis Gloria, coæterna Majeſtas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus ſanctus.

Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus.

Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres Æterni, ſed unus Æternus.

Sicut non tres Increati, nec tres Immenſi; ſed unus increatus, & unus Immenſus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres Omnipotentes, ſed unus Omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus.

Et

Et tamen non tres Dii, ſed unus eſt Deus.

Ita Dominus pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres Domini, ſed unus eſt Dominus.

Quia ſicut ſigillatim unamquamque perſonam, Deum ac Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur, ita tres Deos aut Dominos dicere Catholica Religione prohibemur.

Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed Genitus.

Spiritus ſanctus à Patre & Filio, non factus, non creatus, nec genitus, ſed Procedens.

Unus ergo Pater, non tres patres; unus Filius, non tres filii; unus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil majus aut minus; ſed totæ tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.

Ita ut per omnia, ſicut jam ſupra dictum eſt, & unitas in trinitate, & trinitas in unitate veneranda ſit.

Qui vult ergo ſalvus eſſe, ita de Trinitate ſentiat.

Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem ut incarnationem quoque Domini noſtri Jeſu Chriſti fideliter credat.

Eſt ergo fides recta, ut credamus, & confiteamur, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei filius, Deus & homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus, & homo eſt ex ſubſtantia matris in ſæculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens.

Æqualis Patri ſecundum divinatem, minor Patre ſecundum humanitatem.

Qui licet Deus ſit, & homo; non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.

Unus autem non converſione divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ.

Nam ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus.

Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis.

Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, indè venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines reſurgere debent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignem æternum.

Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.

Gloria Patri, *&c.*

Sicut erat in principio, *&c.*

¶ *Hîc ſequitur Litania ſeu ſupplicatio generalis, poſt Matutinas Preces cantanda aut recitanda diebus Dominicis, feriâ quartâ & ſextâ atque aliis temporibus jubente Ordinario.*

PAter de cœlis Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Pater

Pater de cœlis Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Spiritus ſancte Deus, à Patre & Filio procedens, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Spiritus ſancte Deus, à Patre & Filio procedens, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Sancta, beata & glorioſa Trinitas, tres Perſonæ, unus Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Sancta, beata & glorioſa Trinitas, tres Perſonæ, unus Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Ne memineris Domine, iniquitatum noſtrarum vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris: parce Domine, parce populo tuo, quem redemiſti pretioſo ſanguine tuo, & ne in perpetuum iraſcaris nobis.

Parce nobis Domine.

Ab omni malo & infortunio, à peccato, ab inſidiis & aggreſſionibus Diaboli, ab irâ tuâ & æternâ damnatione,

Libera nos Domine.

Ab omni cæcitate cordis, à ſuperbia, vana gloria & hypocriſi: ab invidia, odio & malitia, & ab omni affectu charitate vacuo,

Libera nos Domine.

A fornicatione & alio omni peccato mortali, & ab omnibus fallaciis carnis, mundi & Diaboli,

Libera nos Domine.

A fulgure & tempeſtate, à plaga, peſtilentia & fame, à bello & cæde, à ſubitaneâ & improviſâ morte,

Libera nos Domine.

Ab omni ſeditione, occultâ conſpiratione & rebellione, ab omni falſo dogmate, hæreſi & ſchiſmate; à duritiâ cordis & contemptu verbi & mandati tui.

Libera nos Domine.

Per myſterium ſanctæ Incarnationis tuæ, per ſanctam Nativitatem & Circumciſionem tuam; per Baptiſmum, Jejunium & Tentationem tuam,

Libera nos Domine.

Per Agonem & Sanguineum Sudorem; per Crucem & Paſſionem; per pretioſam Mortem & Sepulturam; per glorioſam Reſurrectionem & Aſcenſionem tuam in cœlos; & per Adventum Spiritus ſancti,

Libera nos Domine.

In omni tempore tribulationis, omni tempore proſperitatis noſtræ, horâ mortis & in die judicii,

Libera nos Domine.

Te rogamus, ô Deus, nos peccatores exaudias, & Eccleſiam tuam ſanctam Catholicam in viis tuis regere & gubernare digneris.

Te rogamus audi nos Domine.

Ut famulum tuum WILLIELMUM Regem & Gubernatorem noſtrorum Clementiſſimum, in vero tui cultu, in juſtitiâ, & ſanctitate vitæ confirmare & cuſtodire digneris.

Te rogamus audi nos Domine.

Ut cor illius in tua fide, in tuo timore & amore dirigere digneris; & ut in te ſemper confidat & in omnibus quærat honorem & gloriam tuam.

Te rogamus audi nos Domine.

Ut eum ſervare & defendere,

&

& ei victoriam contra omnes hoſtes ſuos concedere digneris.

Te rogamus audi nos, Domine.

Ut *Catharinæ* Reginæ Dotariæ, nec non regiæ Ipſius Celſitudini Principiſſæ *Annæ* de *Dania*, & univerſæ ſtirpi Regiæ benedicere, eoſque ſervare digneris.

Te rogamus audi nos, Domine.

Ut Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos, verâ cognitione & recto intellectu verbi tui illuminare digneris; & ut tam doctrinâ quam moribus illud pro viribus pateſaciant ac promoveant.

Te rogamus audi nos, Domine,

Ut Conſiliarios Regios & cunctam nobilitatem regni, gratiâ, ſapientiâ & intellectu donare digneris.

Te rogamus audi nos, Domine.

Ut Magiſtratui noſtro benedicere, eum protegere, eique gratiam concedere digneris, ut juſtitiam rectè adminiſtret, & veritatem propugnet.

Te rogamus audi nos, Domine.

Ut populo tuo univerſo benedicere, eumque ſervare digneris.

Te rogamus audi nos, Domine.

Ut omnibus gentibus unitatem, pacem & concordiam donare digneris.

Te rogamus audi nos, Domine.

Ut in nobis cor tui amore inflammatum & timore plenum, & ad diligentem mandatorum tuorum obſervationem inclinatum creare digneris.

Te rogamus audi nos, Domine.

Ut Univerſo populo tuo incrementum gratiæ, quo verbum tuum humiliter audiat, & puro corde amplectatur, & fructus Spiritus proferat, donare digneris.

Te rogamus audi nos, Domine.

Ut errantes & ſeductos, in viam veritatis revocare digneris.

Te rogamus audi nos, Domine.

Ut ſtantes confirmare, imbecillos conſolari & ſuſtentare, & lapſos erigere, ac Sathanum ſub pedibus noſtris tandem conculcare digneris.

Te rogamus audi nos, Domine.

Ut omnes quotquot in periculis, neceſſitatibus & anguſtiis verſantur defendere, juvare & conſolari digneris.

Te rogamus audi nos, Domine,

Ut omnes terrâ marique peregrinantes; omnes parturientes, ægrotantes & infantes ſervare; & captivorum carcereque detentorum miſereri digneris.

Te rogamus audi nos, Domine.

Ut orphanis omnibus & viduis, deſolatis & oppreſſis proſpicere digneris.

Te rogamus audi nos, Domine.

Ut omnium hominum miſereri digneris.

Te rogamus audi nos, Domine.

Ut inimicis noſtris, iiſque qui nos perſequuntur & calumniantur, ignoſcere & eorum corda convertere digneris.

Te rogamus audi nos, Domine.

Ut terræ fructus genuinos in uſum noſtrum dare & conſervare digneris, adeò ut ſuo tempore iis fruamur.

Te rogamus audi nos, Domine.

Ut veram reſipiſcentiam nobis largiri; omnia peccata noſtra, negligentias & ignorantias nobis condonare, & gratiâ ſancti Spiritus tui nos induere digneris, quo mores noſtros ad ſancti verbi tui normam emendemus.

Te rogamus audi nos, Domine.

Fili

Fili Dei, te rogamus audi nos.
Fili Dei, te rogamus audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Pacem tuam concede nobis.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Miſerere noſtri.
Chriſte audi nos.
Chriſte audi nos.
Kyrie eleyſon.
Kyrie eleyſon.
Chriſte eleyſon.
Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon.
Kyrie eleyſon.

PAter noſter, qui es in cœlis. Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terrâ. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. *Amen.*

Domine, non ſecundùm peccata noſtra facias nobis.
Neque ſecundùm iniquitates noſtras retribue nobis.

Oremus.

DEus Pater miſericors, qui nec contriti cordis gemitum nec mœrentium affectum deſpicis, propitius adeſto precibus noſtris, quas tibi in omnibus afflictionibus & anguſtiis noſtris effundimus, quotieſcunque iis premimur; noſque clementer exaudi, ut mala ea omnia evaneſcant, quæ Diaboli aut hominum artes & inſidiæ contra nos moliuntur, & conſilio pietatis tuæ diſſipentur, ut nos famuli tui nullis infeſtationibus læſi, in ſanctâ Eccleſiâ tuâ tibi gratias in æternum referamus: per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Exurge Domine, adjuva nos & libera nos propter nomen tuum.

DEus, auribus noſtris audivimus & patres noſtri annuntiaverunt nobis opera admiranda, quæ operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.

Exurge Deus, adjuva nos, & libera nos propter honorem tuum.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Reſponſio.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. *Amen.*
Ab inimicis noſtris libera nos, Chriſte.
Reſpice clementer afflictiones noſtras.
Miſericorditer dolorem cordium noſtrorum aſpice.
Propitius eſto peccatis populi tui.
Benigne & cum miſericordia audi orationes noſtras.
Fili David miſerere noſtri.
Et nunc & ſemper dignare exaudire nos, ô Chriſte.
Chriſte exaudi nos clementer, exaudi nos clementer, ô Domine Jeſu Chriſte.
Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam,
Sicut ſperamus in te.

Oremus.

INfirmitates noſtras ſupplices quæſumus, ô Pater, benigne reſpice, & propter gloriam Nominis tui, mala ea omnia quæ juſtiſſimè ſumus promeriti à nobis averte, & præſta, ut in cunctis adverſitatibus noſtris omnem fiduciam noſtram in miſericordiâ tuâ collocemus, & tibi

tibi ſemper in puritate ac ſanctitate vitæ ſerviamus, ad honorem & gloriam tuam, per Mediatorem & Advocatum noſtrum unicum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Oratio Sancti Chryſoſtomi.

OMnipotens Deus, cujus gratiâ nobis conceſſum eſt noſtras preces uno ore unoque animo tibi offerre, & qui polliceris, ubi duo vel tres congregati fuerint in Nomine tuo, te eorum petitiones exauditurum, famulorum tuorum deſideria ac vota, ô Domine (prout tibi maximè illis expedire videbitur) benignè jam adimple, conceſsâ nobis in hoc ſæculo veritatis tuæ cognitione & vitâ æternâ in futuro. *Amen.*

2 *Cor.* xiij. 14.

GRatia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit ſemper cum omnibus nobis. *Amen.*

Orationes ac Gratiarum actiones pro variis quæ ſeſe offerunt occaſionibus quæ recitabuntur ante duas dimiſſorias orationes Litaniæ, aut Matutinarum & Veſpertinarum Precum.

ORATIONES.

Pro Pluvia.

DEus Pater cœleſtis, qui per Filium tuum Jeſum Chriſtum iis omnibus qui quærunt regnum tuum & juſtitiam ejus, omnia ad corporis ſuſtentationem neceſſaria promiſiſti, Pluviam quæſumus & imbres adeò tempeſtivos in hac neceſſitate noſtrâ immitte, ut terræ fructus ad ſolamen noſtrum & tui honorem percipiamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Cœlo Sereno.

DOmine Deus Omnipotens, qui propter peccata generis humani ſemel univerſum mundum ſubmerſiſti, octo hominibus ſolum exceptis, quique poſtea ex ingenti tuâ miſericordiâ pollicitus es te nunquam illum ad eundem modum ſubmerſurum; Te rogamus ſupplices, ut quanquam ob iniquitates noſtras pluviæ & aquarum inundationes ſumus commeriti, digneris tamen cum ſincerè nos pœniteat, eam cœli ſerenitatem nobis concedere, ut fruges tempore opportuno percipiamus, & ut cum hoc in nos irrogato ſupplicio tum clementiâ tuâ admoniti, vitæ noſtræ emendationi, & laudis gloriæque tuæ celebrationi operam demus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tempore Caritatis & Famis.*

O Deus Pater cœleſtis, cujus beneficiis pluvia decidit, terra fructificat, animantia creſcunt, & piſces multiplicantur, intuere quæſumus afflictiones Populi tui, & da ut hæc penuria & annonæ caritas quas nunc propter peccata noſtra juſtiſſimè patimur, ex benignitate tuâ clementer convertantur in copiam & vile rerum omnium pretium, idque propter charitatem Jeſu Chriſti Domini

Domini noſtri, cui tecum unà cum Spiritu ſancto ſit omnis honor & gloria nunc & ſemper. *Amen.*

¶ *Aut hæc.*

Pater miſericors Deus, qui tempore Elizæi Prophetæ ſubitò magnam penuriam & annonæ caritatem apud Samariam in copiam & vile rerum pretium convertiſti, miſerere noſtri, ut qui jam propter peccata noſtra eâdem calamitate plectimur, opportunum etiam auxilium reperiamus. Fruges terræ divinâ tuâ benedictione adauge, ac concede ut cùm benignam tuam liberalitatem experiemur, eadem utamur ad gloriam tuam, egentium ſubſidium & noſtri conſolationem, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tempore Belli ac Tumultuum.*

OMnipotens Deus Rex Regum & rerum omnium Moderator, cujus virtuti Creatura nulla poteſt reſiſtere, cujus eſt peccatores pœnis afficere, eorum verò miſereri qui ſincerâ ducuntur pœnitentiâ, ſupplices te rogamus, ut nos ſerves atque liberes à manu hoſtium noſtrorum, ſuperbiam eorum deprime, malitiam ſupprime, dolos & machinationes diſſipa, ut nos protectione tuâ muniti, & ab omnibus ſemper periculis erepti, gloriam tibi tribuamus, qui unicus es victoriæ omnis largitor, propter merita unigeniti filii tui Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

¶ *Tempore graſſantis Peſtis.*

OMnipotens Deus, qui iratus populo tuo ei plagam immiſiſti in deſerto ob eorum pervicacem rebellionem adverſus *Moſem* & *Aaronem*, quique tempore *Davidis* Regis ſeptuaginta hominum millia, graſſante peſtilentiâ, interfeciſti: & tuæ tamen memor miſericordiæ, cæteros ſervaſti, miſerere noſtri miſerorum peccatorum qui variis jam morbis ac mortalitate affligimur, ut quemadmodum acceptâ tum propitiatione, Deſtructorem Angelum illum à pœnis inferendis deſiſtere juſſiſti, ita nunc quoque hanc peſtem & gravem morbum à nobis amoliri digneris, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *In feriis quatuor temporum, oratio quotidie recitanda pro iis qui ad ſacros Ordines admittuntur.*

OMnipotens Deus Pater noſter cœleſtis, qui Filii tui dilecti pretioſo ſanguine Eccleſiam univerſalem tibi acquiſiviſti, clementer eam reſpice, & jam famulorum tuorum Epiſcoporum & Paſtorum gregis tui mentes ita dirige ac guberna, ut nemini ſubitò manus imponant, ſed ut ſummâ fide ac prudentiâ eos eligant qui ſint ad ſacrum Eccleſiæ tuæ miniſterium obeundum viri idonei. Iis etiam qui ad ſacram aliquam functionem ordinati fuerint, gratiam ac cœleſtem tuam benedictionem largire, ut tam vitâ quam doctrinâ gloriam tuam prædicent, ac omnium ſalutem promoveant, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Aus*

¶ *Aut hæc.*

OMnipotens Deus, bonorum omnium largitor, qui providentiâ tuâ varios in Eccleſiâ tuâ Ordines conſtituiſti, te rogamus ſupplices ut quotquot ad munus aut miniſterium aliquod in ea vocandi ſunt, iis omnibus gratiam tuam largiaris, & eos ita doctrinæ tuæ veritate repleas, & vitæ innocentiâ exornes, ut fideliter in conſpectu tuo miniſtrent ad magni tui Nominis gloriam, & ſanctæ Eccleſiæ tuæ commodum per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Oratio pro Supremâ curiâ Parlamenti dicenda tempore Seſſionis.*

CLementiſſime Deus te rogamus ſupplices cùm pro univerſo hoc regno, tum maximè pro ſupremâ curiâ Parlamenti ſub pientiſſimo ac clementiſſimo Rege noſtro jam congregatâ, ut cunctas eorum deliberationes dirigere ac proſperare digneris, ad gloriæ tuæ incrementum, Eccleſiæ tuæ bonum, ſecuritatem, decus & commodum Regis noſtri & Regnorum ejus, quo eorum conatibus omnia ita conſtituantur ac ſtabiliantur optimis fidiſſimiſque ſubnixa fundamentis, ut Pax ac Felicitas, Veritas ac Juſtitia, Religio ac Pietas, apud nos in tuto ſint per omnia ſæcula. Hæc & alia ipſis, nobis & univerſæ Eccleſiæ tuæ neceſſaria ſupplices à te petimus, in Nomine ac per mediationem beatiſſimi Domini ac Servatoris noſtri Jeſu Chriſti. *Amen.*

¶ *Collecta ſeu oratio pro omnibus hominum generibus, iis temporibus uſurpanda, quibus Litania non recitatur juxta conſtitutum ordinem.*

DEus humani generis conditor ac Servator, te rogamus ſupplices pro omnibus hominum generibus & conditionibus, ut vias tuas ipſis patefacere digneris & ſalutare tuum in omnibus gentibus. Præſertim verò Eccleſiæ tuæ Catholicæ ſtatum proſperum precibus noſtris tibi commendamus, quo ſic bono tuo ſpiritu dirigatur ac gubernetur, ut omnes qui ſe Chriſtianos profitentur, eoque vocantur nomine, in viam veritatis perducantur, fidemque in unitate ſpiritus retineant, in vinculo pacis & juſtitia vitæ. Denique quotquot gravia ulla patiuntur & affliguntur in iis quæ ad animum corpuſve aut res domeſticas attinent, eos omnes Paterno tuo affectui ac favori commendamus, [* hos autem maximè qui preces noſtras pro ſe offerri poſtulant,] Ut eos adjuvare & conſolari digneris, pro variis ipſorum neceſſitatibus concedendo illis patientiam in afflictionibus quibus premuntur, & felicem ex iis omnibus exitum. Hæc autem petimus, propter Jeſum Chriſtum. *Amen.*

* *Hoc dicendum, quum aliquis Eccleſiæ precibus commendari poſtulat.*

¶ *Oratio recitanda poſt quamlibet præcedentium Orationum.*

DEus cujus naturæ proprium eſt miſereri ſemper & parcere, humiles noſtras ſupplica-

plicationes accipe, & quamquam delictorum noſtrorum catena nos conſtrictos tenet, clementia tamen ſummæ tuæ miſericordiæ noſtra ſolvat vincula, propter honorem Jeſu Chriſti Mediatoris & Advocati noſtri. *Amen.*

GRATIARUM ACTIONES.

¶ *Gratiarum Actio Generalis.*

OMnipotens Deus, miſerationum omnium Pater, nos indigni famuli tui, tibi ex animo & cum ſumma demiſſione gratias agimus ob univerſam illam beneficentiam, benignitatem & favorem erga nos & omnes homines [* erga eos maximè qui jam laudes & gratiarum actiones ſuas, pro conceſſis ſibi ſuper beneficiis, offerri poſtulant,] Tibi benedicimus ob creationem noſtram, conſervationem & omnes hujus vitæ benedictiones, ante omnia verò ob inæſtimabilem amorem tuum in Redemptione mundi per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum patefactum; ob gratiæ media & ſpem gloriæ. Te autem rogamus ſupplices ut cunctis à te acceptis beneficiis ita afficiamur, ut animi noſtri verè erga te gratia afficiantur, & laudem tuam prædicemus, non labiis duntaxat, ſed etiam moribus ac vivendi ratione nos totos tuo cultui impendentes, atque in ſanctitate & juſtitia per omnem ætatem noſtram in conſpectu tuo ambulantes, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum; cui tecum & cum Spiritu ſancto, ſit omnis honor & gloria in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

* *Hoc dicendum, quum aliquis Eccleſiæ precibus Deo pridem commendatus gratias referre cupit.*

Pro Pluvia terris immiſſâ.

O Deus Pater noſter Cœleſtis; cujus benignâ providentiâ fit ut pluvia matutina & ſerotina in terram deſcendat, quo fructus ferat ad uſus hominis, tibi magna cum animi demiſſione gratias agimus, quod tandem tibi viſum ſit nobis ſummâ neceſſitate preſſis ſubvenire, lætos imbres in hæreditatem tuam immittendo, eamque ſiti & ariditate laborantem refrigerando, ad magnum noſtrum, qui indigni ſumus ut famuli tui habeamur, ſolatium, & ſancti nominis tui gloriam, propter miſerationes tuas in Chriſto Jeſu Domino noſtro. *Amen.*

¶ *Pro Cœlo Sereno.*

DOmine Deus, qui animorum noſtrorum ſuperbiam jure merito deprimere voluiſti, immiſſis nuper imbribus & aquis immodicis, animas autem noſtras ex mero miſericordiæ tuæ motu ſolatus es ac recreaſti opportuna hac atque felici tempeſtatis immutatione, ſanctum nomen tuum laudamus eique gloriam tribuimus ob immeritam hanc miſerationem: & ſemper ſummam benignitatem tuam prædicabimus in omnes generationes per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Pro*

¶ *Pro Annonæ Copiâ.*

PAter ſummè miſericors, qui pias Eccleſiæ tuæ preces clementiſſimè exaudire dignatus es, & caritatem ac penuriam noſtram, in eam copiam convertere quæ cum vili rerum pretio conjuncta eſt, tibi magnâ cum animi demiſſione gratias agimus, ob hanc ſingularem tuam largitionem, obteſtantes ut ſummâ illâ tuâ benignitate erga nos uti pergas, quò terra noſtra nobis fructuum ſuorum incrementa præbeat, ad tuam gloriam, noſtrum autem ſolatium, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Pro Pace & ab Hoſtibus liberatione.*

OMnipotens Deus, qui famulis tuis turris fortitudinis & propugnaculum exiſtis adverſus hoſtes ipſorum tibi laudem & gratiarum actiones tribuimus pro liberatione noſtra à magnis illis atque imminentibus periculis, quibus cingebamur. Benignitati tuæ acceptum ferimus quod ipſis præda facti non fuimus, obſecrantes ut miſericordiam hanc tuam perpetuam nobis eſſe velis, quo omnibus hominibus palam ſit te ſervatorem noſtrum & liberatorem magnum exiſtere, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Pro reſtitutâ domi Pace publicâ.*

SEmpiterne Deus Pater noſter cœleſtis, qui ſolus efficis ut homines ſint in eadem domo concordes, quique ſolus ferocientes & immorigeri populi æſtus compeſcis: ſancto tuo Nomini benedicimus quòd ſeditiones ac tumultus in nobis nuper excitatos ſedare dignatus ſis, ſummâ te animi demiſſione rogantes, ut eam nobis omnibus gratiam concedas, quâ deinceps in ſanctis mandatis tuis obſequenter ambulantes, & tranquillam ac quietam vitam degentes cum omni pietate & honeſtate, laudis tibi & gratiarum actionis ſacrificium continuò offeramus, ob hæc tua in nos immerita beneficia, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Pro liberatione à Peſte aut alio quolibet morbo Epidemico.*

DOmine Deus, qui propter peccata noſtra nobis vulnus inflixiſti, & nos propter tranſgreſſiones conſumpſiſti: nuperâ tuâ eâque gravi atque terribili viſitatione, nunc verò in medio judicio recordatus miſericordiæ animas noſtras è faucibus mortis redemiſti; Paternæ tuæ benignitati noſmetipſos animaſque noſtras ac corpora noſtra, quæ liberaſti, hoſtiam vivam offerimus, continuò laudantes & extollentes miſerationes tuas in Eccleſiâ tuâ, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Aut hæc.*

PAter ſummè miſericors, quâ par eſt animi demiſſione, agnoſcimus in conſpectu tuo eas omnes pœnas, quæ in lege tua peccatoribus intentantur, in nos jure merito cadere potuiſſe, ptopter multiplicia peccata noſtra & cordis duritiem; quum tamen ex ſummâ miſericordiâ tuâ tibi viſum fuerit, poſt

poſt noſtram quamquam imperfectam & indignam humiliationem, peſtilentem & contagioſum morbum qua nuper graviter afflicti fuimus, auferre & vocem ſalutis lætitiæ denuo inferre in habitationes noſtras; Divinæ tuæ Majeſtati offerimus ſacrificium laudis ac gratiarum actionis, collaudantes & extollentes glorioſum Nomen tuum, ob ſuſceptam à te noſtri tutelam & illam tuam erga nos providentiam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Collectæ, Epiſtolæ ac Evangelia per totum annum uſurpanda.

¶ *Obſerva quod Collecta pro qualibet die Dominicâ, aut quolibet Feſto (quod Vigiliam habeat) aſſignata recitabitur in Veſpertinis Precibus immediatè præcedentibus Dominicam aut Feſtum.*

Dominica Prima Adventus.

Collecta.

OMnipotens Deus, da nobis, quæſumus, ut abjectis operibus tenebrarum induamur arma lucis in hac mortali vitâ, in qua Jeſus Chriſtus Filius tuus cum magna humilitate ad nos viſitandos advenit, ut in extremo die, quo rediturus eſt cum gloria Majeſtatis ſuæ ad judicandos vivos & mortuos, reſurgamus ad vitam immortalem, per eum, qui tecum, & cum Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Hæc Collecta quotidie repeti debet unà cum reliquis Collectis Adventus, uſque ad Vigiliam Nativitatis Chriſti.*

Epiſtola. Rom. xiij. 8.

NEmini quicquam debeatis: niſi, ut invicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces: & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur; Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis eſt dilectio. Et hoc ſcientes tempus, quia hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cum credidimus. Nox præceſſit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum & induamur arma lucis. Sicut in die honeſtè ambulemus non in comeſtationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impuditiis, non in contentione, & æmulatione. Sed induamini Dominum Jeſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis.

Evangelium. S.Matth. xxj. 1.

CUM appropinquaſſent Jeroſolymis, & veniſſent Bethphage ad Montem Oliveti, tunc Jeſus miſit duos diſcipulos dicens eis, ite in Caſtellum quod contra vos eſt, & ſtatim

invenietis aſinam alligatam & pullum cum ea : ſolvite & adducite mihi, & ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & conſeſtim dimittet eos. Hoc autem factum eſt ut adimpleretur quod dictum eſt, per Prophetam dicentem, dicite Filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus ſedens ſuper Aſinam, & pullum filium ſubjugalis. Euntes autem Diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis Jeſus, & adduxerunt Aſinam, & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua & eum deſuper ſedere fecerunt : Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via ; alii autem cædebant ramos de arboribus & ſternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes, Hoſanna Filio David, benedictus qui venit in Nomine Domini, Hoſanna in altiſſimis. Et cùm intraſſet Jeroſolymam, commota eſt univerſa civitas, dicens, Quis eſt hic ? Populi autem dicebant ; Hic eſt Jeſus propheta a Nazareth Galileæ, & intravit Jeſus in templum Dei. Et ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & menſas numulariorum, & Cathedras vendentium columbas evertit, & dicit eis, ſcriptum eſt, Domus mea domus Orationis vocabitur, vos autem feciſtis ſpeluncam latronum.

Dominica Secunda Adventus.

Collecta.

BEnedicte Deus, qui effeciſti, ut quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcriberentur, concede nobis ut Scripturas ita audiamus, legamus, obſervemus, diſcamus, & animo meditemur, ut per patientiam, & conſolationem Scripturarum amplectamur, & indeſinenter retineamus beatam ſpem vitæ illius æternæ, quam dediſti nobis in Servatore noſtro Jeſu Chriſto. *Amen.*

Epiſtola. Rom. xv. 4.

QUæcunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. Deus autem patientiæ & ſolatii det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundum Jeſum Chriſtum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Propter quod ſuſcipite invicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei. Dico enim Chriſtum Jeſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis ; propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones patrum. Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum, ſicut ſcriptum eſt, Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit, Lætamini Gentes cum plebe ejus. Et iterum, laudate omnes Gentes Dominum & magnificate eum omnes Populi. Et rurſus Eſaias ait, erit radix Jeſſe, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes ſperabunt, Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis in ſpe & virtute Spiritus ſancti.

Evange-

Evangelium. Luc. xxi. 25.

ET erunt ſigna in Sole & Luna, & Stellis, & in terris preſſura Gentium præ confuſione ſonitus Maris & fluctuum *areſcentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi. Nam virtutes cœlorum movebuntur, & tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum poteſtate magna & majeſtate. His autem fieri incipientibus reſpicite, & levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra. Et dixit illis ſimilitudinem, Videte ficulneam & omnes arbores, cùm producunt jam ex ſe fructum, ſcitis quoniam propè eſt æſtas; ita & vos cùm videritis hæc fieri, ſcitote quoniam prope eſt regnum Dei. Amen dico vobis quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.

Epiſtola. 1 Cor. iv. 1.

SIC nos æſtimet homo ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores Myſteriorum Dei. Hic jam quæritur inter diſpenſatores ut fidelis quis inveniatur, mihi autem pro minimo eſt ut à vobis judicer aut ab humano judicio, ſed neque me ipſum judico. Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed in hoc juſtificatus non ſum, qui autem judicat me Dominus eſt. Itaque nolite ante tempus judicare quoadusque veniat Dominus qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.

Dominica Tertia Adventus.

Collecta.

O Domine Jeſu Chriſte, qui in primo tuo Adventu miſiſti nuncium tuum, qui viam pararet ante faciem tuam, da ut Myſteriorum tuorum Miniſtri ac Diſpenſatores, ſic etiam viam tuam parent & rectam faciant, cordibus rebellium ad prudentiam juſtorum converſis; ut in ſecundo Adventu tuo ad judicandum mundum habeamur populus acceptus in conſpectu tuo, qui vivis & regnas cum Patre & Spiritu ſancto ſemper unus Deus, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Evangelium. Matth. xi. 2.

JOannes autem cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti, mittens duos de Diſcipulis ſuis, ait illi, Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et reſpondens Jeſus ait illis, Euntes renunciate Joanni quæ audiſtis & vidiſtis; cœci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur, & beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Jeſus dicere ad turbas de Joanne, Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis & pluſquam Prophetam. Hic enim eſt de quo ſcriptum eſt, Ecce ego

mitto Angelum meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te.

Dominica Quarta Adventus.

Collecta.

EXcita quæſumus Domine, potentiam tuam, & ad nos veni. Ac magna nobis virtute ſuccurre, adeo ut quamquam peccata noſtra à decurrendo ſtadio quod nobis propoſitum eſt, admodum nos præpediunt, benigna gratia tua ac miſericordia auxilium nobis atque liberationem accelerent, per ſatisfactionem Filii tui Domini noſtri; cui tecum & cum Spiritu ſancto, ſit honor ac gloria in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Epiſtola. Philip. iv. 4.

GAudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Dominus prope eſt. Nihil ſoliciti ſitis, ſed in omni oratione & obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Et pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras in Chriſto Jeſu.

Evangelium. S. Joan. i. 19.

HOC teſtimonium Joannis quando miſerunt Judæi ab Jeroſolymis Sacerdotes & Levitas ad eum ut interrogarent eum, Tu qnis es? Et confeſſus eſt, & non negavit, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Et interrogaverunt eum quid ergo, Elias es tu? Et dixit non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit, non. Dixerunt ergo ei quis es, ut reſponſum demus his qui miſerunt nos? Quid dicis de teipſo? Ait, ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini, ſicut dixit Eſaias Propheta. Et qui miſſi fuerant erant ex Phariſæis. Et interrogaverunt eum & dixerunt ei, Quid ergo Baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta? Reſpondit eis Joannes dicens, Ego Baptizo in aqua; medius autem veſtrum ſtetit quem vos neſcitis, ipſe eſt qui poſt me venturus eſt qui ante me factus eſt, cujus ego non ſum dignus ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti. Hæc in Bethabara facta ſunt trans Jordanem ubi erat Joannes baptizans.

Nativitas Domini noſtri, ſeu Dies Natalis CHRISTI.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui Filium tuum unigenitum nobis dediſti, qui naturam noſtram aſſumeret, & ex caſta Virgine quaſi hoc tempore naſceretur, da ut regenerati, & Filii tui per adoptionem ac gratiam facti, ſancto tuo Spiritu indies renovemur, per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui vivit & regnat tecum, & cum eodem Spiritu ſancto ſemper unus Deus, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Epiſtola.

Epiſtola: Hebr. i. 1.

MUltifariam multiſq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula: qui cum ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ ejus, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum per ſeipſum faciens, ſedet ad dexteram Majeſtatis in excelſis, tanto melior Angelis effectus quanto differentius præ illis nomen hæreditavit: cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſum, ego ero illi in patrem, Et ipſe erit mihi in Filium? Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit, qui facit Angelos ſuos Spiritus & Miniſtros ſuos flammam ignis. Ad Filium autem; Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi, virga æquitatis virga regni tui, dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem. Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Et tu in principio Domine Terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli; ipſi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ut veſtimentum veteraſcent; & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

Evangelium. S. Joan. i. 1.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum. Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Johannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de Lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis, (& vidimus gloriam ejus gloriam quaſi unigeniti à Patre) plenum gratiæ & veritatis.

Dies Sancti Stephani.

Collecta.

COncede Domine, ut in omnibus quibus hic in terris premimur calamitatibus, propter teſtimonium veritatis tuæ, attentè in cœlum intueamur, & fide perſpiciamus gloriam quæ futura eſt revelari, Et Spiritu ſancto repleti, doceamur perſecutoribus noſtris benedicere, ad exemplum Protomartyris tui Sancti *Stephani*, qui pro interfectoribus ſuis oravit te, O beate Jeſu, qui ſedes ad dexteram Dei, ut eos omnes adjuves, qui pro te, unico Mediatore & Advocato noſtro patiuntur. *Amen.*

¶ *Tum ſequetur Collecta Nativitatis, quæ nunquam intermittetur uſque ad Vigiliam Circumciſionis.*

Pro Epiſtola. Act. vij. 55.

CUM autem eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in Cœlum, vidit gloriam Dei, & Jeſum ſtantem à dextris virtutis Dei. Et ait, video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei. Exclamantes autem voce magnâ continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt unanimiter in eum, & ejicientes eum extra Civitatem, lapidabant; & teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum invocantem & dicentem, Domine Jeſu, ſuſcipe Spiritum meum. Poſitis autem genibus clamavit voce magnâ, dicens, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixiſſet, obdormivit.

Evangelium. S. Matth. xxiij. 34.

IDeo dico vobis, Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex iis flagellabitis in Synagogis veſtris, & perſequemini de civitate in civitatem: ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper Terram, à ſanguine Abel juſti, uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam. Jeruſalem, Jeruſalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Dico enim vobis, non me videbitis à modo, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini.

Dies S. Johannis Evangeliſtæ.

Collecta.

ECcleſiam tuam, benigne Domine, lucis tuæ coruſcantibus radiis illuſtra quæſumus, ut beati Apoſtoli atq; Evangeliſtæ Sancti *Johannis* illuminata doctrinis, in viarum tuarum luce ita ambulet, ut ad vitæ æternæ lucem tandem perve-

perveniat, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. 1 S. Johan. i. 1.

QUod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ; (& vita manifeſtata eſt, & vidimus & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis) quod vidimus & audivimus, annunciamus vobis, ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum; & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio ejus Jeſu Chriſto. Et hæc ſcribimus vobis ut gaudeatis, & gaudium veſtrum ſit plenum. Et hæc eſt annuntiatio quam audivimus ab eo, & annunciamus vobis. Quoniam Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ. Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur & veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad invicem, & ſanguis Jeſu Chriſti Filii ejus emundat nos ab omni peccato. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, & verbum ejus non eſt in nobis.

Evangelium. S. Johan. xxi. 19.

JEſus Petro dixit, ſequere me. Converſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Jeſus, ſequentem, qui & recubuit in Cœna ſuper pectus ejus, & dixit, Domine quis eſt qui tradet te? Hunc ergo cùm vidiſſet Petrus, dicit, Jeſu Domine hic autem quid? Dicit ei Jeſus, ſi eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me ſequere. Exivit ergo ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur, & non dixit ei Jeſus non moritur, ſed ſi eum volo manere donec veniam, quid ad te? Hic eſt diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus. Sunt autem & alia multa quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos qui ſcribendi ſunt libros.

Dies Innocentium.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui ex ore Infantium & parvulorum adhuc lactantium perfeciſti laudem, atque effeciſti ut infantes te morte ſuâ glorificarent; vitia omnia in nobis mortifica & perime, ac gratiâ tuâ nos ita corrobora, ut innocentiâ vitæ noſtræ & fidei conſtantiâ etiam ad mortem uſque ſanctum nomen tuum glorificemus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Epiſtola. Apocal. xiv. 1.

VIdi, & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis. Et audivi vocem de cœlo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni, & vocem quam audivi ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis, & cantabant quaſi canticum novum ante ſedem, & ante quatuor animalia & ſeniores, & nemo poterat diſcere cantum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia qui empti ſunt de terra : hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt, hi ſequuntur Agnum quocunque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno ; & in ore eorum non eſt inventum mendacium : ſine macula enim ſunt ante thronum Dei.

Evangelium. S. Matth. ij. 13.

ANgelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph dicens, ſurge & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum ; qui conſurgens accepit puerum, & matrem ejus nocte. Et ſeceſſit in Ægyptum, & erat ibi uſque ad obitum Herodis, ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam, dicentem, ex Ægypto vocavi filium meum. Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlem. Et in omnibus finibus ejus à bimatu, & infra, ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis. Tunc adimpletum eſt quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam dicentem, vox in Rama audita eſt, ploratus & ululatus multus ; Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.

Dominica poſt Nativitatem.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui Filium tuum unigenitum nobis dediſti, qui naturam noſtram aſſumeret, & ex caſtâ Virgine quaſi hoc tempore naſceretur, da ut regenerati & Filii tui per adoptionem ac gratiam facti ſancto tuo Spiritu indies renovemur per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui vivit & regnat tecum, & cum eodem Spiritu ſancto, ſemper unus Deus, in ſecula ſæculorum. *Amen.*

Epiſtola. Gal. iv. 1.

DIco autem, quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, cum ſit Dominus omnium, ſed ſub tutoribus & actoribus eſt uſque ad præfinitum tempus à Patre. Ita & nos cum eſſemus parvuli, ſub elementis mundi eramus ſervientes. Ac ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub

lege

lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem eſtis filii Dei, miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra clamantem, Abba Pater. Itaque jam non eſt ſervus, ſed filius. Quod ſi filius, & hæres per Deum.

Evangelium. S. Matth. i. 18.

CHriſti autem generatio ſic erat. Cum eſſet deſponſata mater Jeſu Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto. Joſeph autem vir ejus, cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimitttere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens; Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt. Pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum; ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. (Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam, dicentem, Ecce Virgo in utero habebit & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel, quod eſt interpretatum, (nobiſcum Deus) Exurgens autem Joſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem ſuam, & non cognoſcebat eam donec peperit Filium ſuum primogenitum, & vocavit nomen ejus Jeſum.

Circumciſio Chriſti.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui beatum Filium tuum circumcidi voluiſti, veram Spiritus circumciſionem da nobis, ut cordibus ac membris noſtris univerſis, quoad mundanas omnes & carnales concupiſcentias, mortificatis, beatæ voluntati tuæ in omnibus obſequamur, per eundem Filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Rom. iv. 8.

BEatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. Beatitudo ergo hæc in Circumciſione tantum manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata eſt Abrahæ fides ad juſtitiam: quomodo ergo reputata eſt? In circumciſione, an in præputio? Non in circumciſione, ſed in præputio. Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei quæ eſt in præputio; ut ſit Pater omnium credentium per præputium: ut reputetur & illis ad juſtitiam. Et ſit Pater circumciſionis non iis tantum qui ſunt ex circumciſione, ſed & eis qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ. Non enim per legem promiſſio Abrahæ aut ſemini ejus ut hæres eſſet mundi, ſed per juſtitiam fidei; ſi enim qui ex lege hæredes ſunt, exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio.

Evangelium. S. Luc. ij. 15.

ET factum eſt ut diſceſſerunt ab eis Angeli in Cœlum, paſtores loquebantur ad invicem : Tranſeamus uſque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum eſt, quod fecit Dominus & oſtendit nobis. Et venerunt feſtinantes, & invenerunt Mariam & Joſeph, & infantem poſitum in præſepi. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc, & omnes qui audierunt mirati ſunt de his quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos. Maria autem conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. Et reverſi ſunt Paſtores glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant, ſicut dictum eſt ad illos. Et poſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus Jeſus, quod vocatum eſt ab Angelo priuſquam in utero conciperetur.

¶ *Collecta eadem, eadem Epiſtola, & idem Evangelium prælegentur exinde uſque ad Epiphaniam.*

Epiphania, ſeu Chriſtus Gentibus revelatus.

Collecta.

DEus, qui unigenitum Filium tuum Gentibus, ſtellâ duce, revelaſti : concede propitius ut qui jam te fide cognoſcimus, poſt hanc vitam glorioſi Numinis fruitionem conſequamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Epheſ. iij. 1.

CUjus rei gratiâ, ego Paulus, vinctus Chriſti Jeſu pro vobis Gentibus : ſi autem audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi in vobis : quoniam ſecundum revelationem notum mihi factum eſt ſacramentum, ſicut ſuprà ſcripſi in brevi, prout poteſtis legentes intelligere, prudentiam meam in myſterio Chriſti, quod aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicuti nunc revelatum eſt ſanctis Apoſtolis ejus & Prophetis in Spiritu. Gentes eſſe cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis ejus in Chriſto Jeſu, per Evangelium : cujus factus ſum ego Miniſter, ſecundum donum gratiæ Dei quæ data eſt mihi ſecundum operationem virtutis ejus. Mihi enim omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, in Gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti ; & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſeculis in Deo, qui omnia creavit, ut innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei ; ſecundum præfinitionem ſæculorum quam fecit in Chriſto Jeſu Domino noſtro. In quo habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem ejus.

Evangelium. S. Matth. ij. 1.

CUM ergo natus eſſet Jeſus in Bethlehem Judæ in diebus Herodis regis, ecce, Magi ab Oriente venerunt Jeroſoly-

roſolymam, dicentes, Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum? Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Jeroſolyma cum illo. Et congregans omnes principes Sacerdotum & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis ubi Chriſtus naſceretur. Et illi dixerunt ei, In Bethlehem Judæ. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam: & tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux qui regat populum Iſrael. Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ quæ apparuit eis. Et mittens illos in Bethlehem, dixit, ite, & interrogate diligenter de puero: & cùm inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum. Qui cùm audiſſent regem abierunt: & ecce ſtella quam viderant in Oriente, antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſupra, ubi erat puer. Videntes autem ſtellam, gavisi ſunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum: & apertis Theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Et reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in Regionem ſuam.

Dominica prima poſt Epiph.

Collecta.

VOta, quæſumus, Domine, ſupplicantis populi tui propitius exaudi, ac concede ut quæ illi facienda ſunt pereipiat, & ut gratiâ & virtute tuâ adjutus, ea quæ perceperit fideliter impleat, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Rom. xij. 1.

OBſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Et nolite conformari huic ſæculo; ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis quæ ſit voluntas Dei, bona, & beneplacens, & perfecta. Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere quàm oportet ſapere; ſed ſapere ad ſobrietatem, & unicuique ſicut Deus divilit menſuram fidei. Sicut enim in uno corpore, multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.

Evangelium. S. Luc. ij. 41.

ET ibant parentes ejus per omnes annos in Jeruſalem, in die ſolenni Paſchæ. Et cùm factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis in Jeroſolymam, ſecundum conſuetudinem diei feſti. Conſummatiſque diebus

diebus cùm redirent remanſit puer Jeſus in Jeruſalem, & non cognoverunt parentes ejus. Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non invenientes, regreſſi ſunt in Jeruſalem, requirentes eum. Et factum eſt poſt triduum invenerunt illum in templo, ſedentem in medio doctorum, audientem illos & interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſpõnſis ejus. Et videntes admirati ſunt: & dixit mater ejus ad illum, Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce, pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos, Quid eſt quod me quærebatis? Neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Et ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos. Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis: & mater ejus conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo. Et Jeſus proficiebat ſapientiâ & ætate, & gratia apud Deum & homines.

Dominica ſecunda poſt Epiphaniam.

Collecta.

OMnipotens & ſempiterne Deus, qui cuncta moderaris in cœlo pariter atque in terris, populi tui ſupplicationes propitius exaudi, & pacem tuam omnibus vitæ noſtræ diebus concede nobis, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Rom. xij. 6.

HAbentes donationes, ſecundum gratiam quæ data eſt nobis differentes, ſive prophetiam, ſecundum rationem fidei; ſive miniſterium, in miniſtrando; ſive qui docet, in doctrina; qui exhortatur, in exhortando; qui tribuit, in ſimplicitate; qui præeſt, in ſolicitudine; qui miſeretur, in hilaritate. Dilectio ſine ſimulatione. Odientes malum; adhærentes bono. Charitatem fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes: ſolicitudine non pigri; Spiritu ſerventes; Domino ſervientes; ſpe gaudentes; in tribulatione patientes; orationi inſtantes; neceſſitatibus ſanctorum communicantes; hoſpitalitatem ſectantes. Benedicite perſequentibus vos; benedicite, & nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Idipſum invicem ſentientes. Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes.

Evangelium. S. Johan ij. 1.

ET die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat mater Jeſu ibi. Vocatus eſt autem & Jeſus, & diſcipuli ejus ad nuptias. Et deficiente vino dicit mater Jeſu ad eum, vinum non habent. Et dicit ei Jeſus, quid mihi & tibi, mulier? Nondum venit hora mea. Dicit mater ejus miniſtris, quodcunque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Judæorum, capientes

pientes ſingulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Jeſus, implete hydrias aquâ. Et impleverunt eas uſque ad ſummum. Et dicit eis Jeſus, Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem guſtavit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat unde eſſet, miniſtri autem ſciebant qui hauſerant aquam: vocat ſponſum architriclinus, & dicit ei, Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt: tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc. Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galilææ, & manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli ejus.

Dominica tertia poſt Epiph.

Collecta.

OMnipotens & ſempiterne Deus, infirmitates noſtras propitius reſpice, atque in omnibus, in quibus verſamur, periculis ac neceſſitatibus dexteram tuam ad adjuvandum & protegendum nos extende, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Rom. xij. 16.

NOlite eſſe prudentes apud voſmetipſos. Nulli malum pro malo reddentes. Providentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes: non voſmetipſos defendentes chariſſimi; ſed date locum iræ; Scriptum enim eſt, mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitit, potum da illi: Hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput ejus. Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.

Evangelium. S. Matth. viij. 1.

CUM autem deſcendiſſet Jeſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ. Et ecce, leproſus veniens adorabat eum dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare. Et extendens Jeſus manum, tetigit eum, dicens, volo, mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra ejus. Et ait illi Jeſus, vide nemini dixeris, ſed vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus tuum quod præcepit Moiſes, in teſtimonium illis. Cum autem introiſſet Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens, Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Jeſus, Ego veniam, & curabo eum. Et reſpondens Centurio, ait, Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum; ſed tantùm dic verbo & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites; & dico huic, vade, & vadit; & alii, veni & venit; & ſervo meo, fac hoc, & facit. Audiens autem Jeſus,

Jeſus, miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit, Amen dico vobis non inveni tantam fidem, in Iſrael. Dico autem vobis quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in Regno Cœlorum. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores : ibi erit fletus & ſtridor dentium. Et dicit Jeſus Centurioni, vade, & ſicut credidiſti fiat tibi. Et ſanatus eſt puer ex illa hora.

Dominica quarta poſt Epiph.

Collecta.

DEus, qui ſcis nos in tot tantiſque periculis conſtitutos pro naturæ noſtræ fragilitate non poſſe ſubſiſtere, eâ nos virtute protege, quæ nos in omnibus periculis ſuſtentet, & per omnes tentationes traducat incolumes, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Rom. xiij. 1.

OMnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo : quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei Ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem ? Bonum fac & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time; Non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt ; vindex in iram ei qui malum agit. Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, Ideo enim & tributa præſtatis. Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergo omnibus debita ; cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal ; cui timorem, timorem ; cui honorem, honorem.

Evangelium. S. Matth. viij. 23.

ET aſcendente eo in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus. Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus ; ipſe vero dormiebat. Et acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, & ſuſcitarunt eum dicentes, Domine, ſalva nos, perimus. Et dicit eis Jeſus, Quid timidi eſtis, modicæ fidei ? Tunc ſurgens imperavit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Porro homines mirati ſunt, dicentes, Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei ? Et cùm veniſſet Jeſus trans fretum, in Regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, ſævi nimis, ita ut nemo poſſet tranſire per viam illam. Et ecce clamaverunt, dicentes, Quid nobis & tibi, Jeſu Fili Dei ? Veniſti huc ante tempus torquere nos ? Erat autem non longè ab illis grex multorum porcorum paſcens. Dæmones autem rogabant eum, dicentes, Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis, ite. Ac illi exeuntes, abierunt in porcos : & ecce, magno impetu abiit totus grex per præceps

ceps in mare, & mortui ſunt in aquis. Paſtores autem fugerunt, & venientes in civitatem, nunciaverunt hæc omnia & de iis qui dæmonia habuerant. Et ecce tota civitas exiit obviam Jeſu: & viſo eo, rogabant eum ut tranſiret a finibus eorum.

Dominica quinta poſt Epiph.

Collecta.

ECcleſiam & familiam tuam, quæſumus, Domine, in vera tuâ Religione ſemper cuſtodi, ut qui gratiæ tuæ cœleſti unica ſpe nituntur, potenti tuâ virtute ſemper protegantur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Coloſſ. iij. 12.

INduite vos ergo (ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti) viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes invicem, & donantes vobiſmet-ipſis, ſi quis adverſus aliquem habeat querelam: ſicut & Dominus donavit vobis, ita & vos. Super autem omnia hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. Et pax Chriſti exultet in cordibus veſtris in qua & vocati eſtis in uno corpore; & grati eſtote. Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, in omni ſapientia, docentes & commonentes voſmetipſos in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo. Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, gratias agentes Deo & Patri per ipſum.

Evangelium. S. Matth. xiij. 24.

SImile factum eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo. Quum autem dormirent homines, venit inimicus ejus & ſuperſeminavit zizania in medio tritici & abiit. Quum autem creviſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem ſervi patris-familias, dixerunt ei, Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis, inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei, vis igitur imus & colligimus ea? Et ait, non, ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul & triticum. Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus, colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum.

Dominica ſexta poſt Epiph.

Collecta.

O Deus, cujus benedictus Filius apparuit, ut opera Diaboli everteret, nos autem faceret filios Dei, & hæredes vitæ æternæ; Da quæſumus, ut hanc ſpem habentes nos ipſos mundemus, ſicuti ipſe mundus eſt; adeò ut cùm iterum apparuerit cum virtute & gloria magna aſſimulemur ipſi in æterno ac glorioſo illius regno,

in

in quo tecum, ô Pater, & tecum ô ſancte Spiritus, vivit & regnat unus Deus, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Epiſtola. 1 S. Joh. iij. 1.

VIdete qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur & ſumus. Propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum. Chariſſimi, nunc Filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus: ſcimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus; quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt. Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum eſt iniquitas. Et ſcitis quia ille apparuit ut peccata noſtra tolleret: & peccatum in eo non eſt. Omnis qui in eo manet, non peccat; & omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum. Filioli, nemo vos ſeducat: qui facit juſtitiam, juſtus eſt, ſicut & ille juſtus eſt. Qui facit peccatum, ex Diabolo eſt: quoniam ab initio Diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli.

Evangelium S. Matth. xxiv. 23.

TUnc ſi quis vobis dixerit, Ecce hîc eſt Chriſtus, aut illuc: nolite credere. Surgent enim pſeudo-Chriſti, & pſeudo-Prophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia: ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. Ecce, prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, in deſerto eſt, nolite exire: Ecce, in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret uſque in Occidentem: ita & erit adventus Filii hominis. Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Statim autem poſt tribulationem dierum illorum Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & Stellæ cadent de Cœlo, & virtutes Cœlorum commovebuntur. Et tunc parebit ſignum Filii hominis in Cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cœli cum virtute multa, & majeſtate. Et mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à ſummis cœlorum uſque ad terminos eorum.

Dominica quæ Septuageſima dicitur, ſeu Dominica tertia ante Quadrageſimam.

Collecta.

PReces populi tui, quæſumus Domine propitius exaudi, ut qui juſte ob delicta noſtra plectimur, per clementiam tuam, pro nominis tui gloria liberemur, per Jeſum Chriſtum Servatorem noſtrum, qui vivit & regnat unà tecum, & cum Spiritu ſancto, ſemper unus Deus, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Epiſtola.

Epiſtola. 1 Cor. ix. 24.

NEſcitis quod ii qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit brabium; Sic currite ut comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet. Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro non quaſi in incertum: ſic pugno non quaſi aerem verberans: Sed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè quum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.

Evangelium. S. Matth. xx. 1.

SImile eſt regnum cœlorum homini patri-familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Conventione autem factâ cum operariis ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam. Et egreſſus circa horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro otioſos, & dixit illis, Ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit, dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa ſextam & nonam horam, & fecit ſimiliter. Circa undecimam vero exiit & invenit alios ſtantes, & dicit illis, quid hic ſtatis tota die otioſi? Dicunt ei, quia nemo nos conduxit. Dicit illis, Ite & vos in vineam meam. Cùm ſero autem factum eſſet, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo, Voca operarios & redde illis mercedem, incipiens a noviſſimis uſque ad primos. Cùm veniſſent ergò qui circa undecimam horam venerant; acceperunt ſingulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati ſunt quod plus eſſent accepturi; acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios. Et accipientes, murmurabant adverſus patrem-familias, dicentes, Hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei & æſtus. At ille reſpondens uni eorum dixit, Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario conveniſti mecum? Tolle quod tuum eſt, & vade, volo autem & huic noviſſimo dare ſicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi: multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.

Dominica quæ Sexageſima dicitur, ſeu Dominica ſecunda ante Quadrageſimam.

Collecta.

DOmine Deus, qui vides quod in nullo opere noſtro confidimus; propitius concede ut potentiâ tuâ contra adverſa omnia muniamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola.

Epiſtola. 2 Cor. xj. 19.

LIbenter enim ſuffertis inſipientes, cum ſitis ipſi ſapientes. Suſtinetis enim, ſiquis vos in ſervitutem redigit, ſiquis devorat, ſiquis accipit, ſiquis extollitur, ſiquis in faciem vos cædit. Secundum ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte: in quo quis audet (in inſipientia dico) audeo & ego. Hebræi ſunt? & ego: Iſraelitæ ſunt? & ego: ſemen Abrahæ ſunt? & ego: Miniſtri Chriſti ſunt? & ego: (ut minus ſapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius; in plagis ſupra modum; in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas, una minus, accepi. Ter virgis cæſus ſum. Semel lapidatus ſum. Ter naufragium feci: nocte dieque in profundum maris fui: in itineribus ſæpe; periculis fluminum; periculis latronum; periculis ex genere; periculis ex Gentibus; periculis in civitate; periculis in ſolitudine; periculis in mari; periculis in falſis fratribus; in labore & ærumna; in vigiliis multis; in fame & ſiti; in jejuniis multis; in frigore & nuditate. Præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror? ſi gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt gloriabor. Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula, ſcit quod non mentior.

Evangelium. S. Luc. viij. 4.

CUM autem turba plurima conveniret, & de civitatibus properant ad eum, dixit per ſimilitudinem. Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum: & dum ſeminat aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit ſupra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum, fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat, qui habet aures audiendi, audiat. Interrogant autem eum diſcipuli ejus quæ eſſet hæc parabola? Quibus ipſe dixit, Vobis datum eſt noſſe myſterium Regni Dei: cæteris autem in parabolis: ut videntes non videant, audientes non intelligant. Eſt autem hæc parabola: ſemen eſt verbum Dei. Qui autem ſecus viam, hi ſunt qui audiunt: deinde venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant. Nam qui ſupra petram, qui cùm audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui audierunt, & à ſolicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes, ſuffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi ſunt qui in corde bono & optimo audientes, verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

Dominica

Dominica quæ Quinquageſima dicitur, ſeu Dominica ante Quadrageſimam proxima.

Collecta.

DOmine, qui nos docuiſti, quod omnia opera noſtra ſine charitate nihil ſunt: mitte ſanctum Spiritum tuum, & cordibus noſtris infunde præſtantiſſimum illud donum charitatis, pacis ac virtutum omnium vinculum, quo ſiquis deſtitutus vivit, pro mortuo habetur in conſpectu tuo. Hoc largire propter Jeſum Chriſtum Filium tuum unicum. *Amen.*

Epiſtola. 1 Cor. xiij. 1.

SI linguis hominum loquor & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut Cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam; & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Charitas patiens eſt, benigna eſt; charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitatem, congaudet autem veritati; omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Charitas nunquam excidit, ſive prophetiæ, evacuabuntur; ſive linguæ, ceſſabunt; ſive ſcientia, deſtruetur. Ex parte enim cognoſcimus, ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt. Cum eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus: quando autem factus ſum vir, evacuavi quæ erant parvuli. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte; tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas, tria hæc; major autem horum eſt charitas.

Evangelium. S. Luc. xviij. 31.

ASſumpſit autem Jeſus duodecim, & ait illis, Ecce, aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur & conſpuetur. Et poſtquam flagellaverint occident eum; & tertiâ die reſurget. Et ipſi nihil horum intellexerunt: & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur, Factum eſt autem, cùm appropinquaret Jericho, cœcus quidam ſedebat ſecus viam, mendicans: Et cùm audiret turbam prætereuntem interrogabat quid hoc eſſet. Dixerunt autem ei, quod Jeſus Nazarenus tranſiret. Et clamavit dicens, Jeſu Fili David, miſerere mei. Et qui præibant, increpa-

increpabant eum ut taceret: ipſe verò multo magis clamabat, Fili David miſerere mei. Stans autem Jeſus juſſit illum adduci ad ſe: & cùm appropinquaſſet interrogavit illum, dicens, Quid tibi vis faciam? Ac ille dixit, Domine, ut videam. Et Jeſus dixit illi, Reſpice, fides tua te ſalvum fecit. Et confeſtim vidit, & ſequebatur illum magnificans Deum: & omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

Feria quarta poſt Quinquageſimam, vulgò dies Cinerum.

Collecta.

OMnipotens & ſempiterne Deus, qui nihil eorum odiſti quæ condidiſti, quique peccata condonas omnibus reſipiſcentibus; Crea & finge in nobis corda nova & contrita, ut peccata noſtra pro meritis lamentantes, & miſeriam noſtram agnoſcentes, à te omnis miſericordiæ Deo, perfectam remiſſionem conſequamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Hæc Collecta recitanda eſt quotidie per totam Quadrageſimam, poſt Collectam diei.*

Pro Epiſtola. Joel ij. 12.

NUnc ergo, dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu. Et ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum: quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. Quis ſcit ſi convertatur, & ignoſcat Deus & relinquat poſt ſe benedictionem, ſacrificium, & libamen Domino Deo noſtro? Canite tubâ in Sion, ſanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum, ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes, congregate parvulos, & ſugentes ubera; egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo; inter veſtibulum & altare plorabunt ſacerdotes miniſtri Domini, & dicent; Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes: quare dicunt in populis, Ubi eſt Deus eorum?

Evangelium. S. Matth. vj. 16.

CUM autem jejunatis, nolite fieri ſicut Hypocritæ triſtes. Exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam. Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, ſed Patri tuo qui eſt in abſconſo. Et Pater tuus qui videt in abſconſo, reddet tibi. Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur. Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.

Dominica.

Dominica prima Quadrageſimæ.

Collecta.

DOmine, qui noſtrâ causâ dies quadraginta & quadraginta noctes jejunaſti; Da nobis eâ uti abſtinentiâ, ut carne noſtrâ Spiritui ſubjectâ piis tuis monitis ſemper obſequamur in juſtitia & vera ſanctitate, ad honorem & gloriam tnam, qui vivis & regnas unà cum Patre & Spiritu ſancto, unus Deus, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Epiſtola. 2 Cor. vj. 1.

ADjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, (ait enim, Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te: ecce nunc tempus acceptabile; ecce, nunc dies ſalutis) nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum; ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis; in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei; per arma juſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam; ut ſeductores, & veraces; ſicut qui ignoti, & cogniti; quaſi morientes, & ecce vivimus: ut caſtigati, & non mortificati; quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes; ſicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.

Evangelium. S. Matth. iv. 1.

TUnc Jeſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo. Et cùm jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit. Et accedens tentator, dixit ei, Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant. Qui reſpondens dixit, Scriptum eſt, Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tunc aſſumpſit eum Diabolus in ſanctam Civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum Templi, & dixit ei, Si Filius Dei es, mitte te deorſum; ſcriptum eſt enim, Quia Angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Jeſus rurſum ſcriptum eſt, Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum aſſumpſit eum Diabolus in montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum; & dixit ei, Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. Tunc dicit ei Jeſus, Vade Satana; ſcriptum enim eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Tunc reliquit eum Diabolus, & ecce, Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.

Dominica.

Dominica ſecunda Quadrageſimæ

Collecta.

OMnipotens Deus, qui vides nullam nobis ineſſe virtutem ad adjuvandum nos ipſos; Interiùs nos quoad animam, & exteriùs quoad corpus cuſtodi, ut contra adverſa omnia quæ corpori poſſint accidere, & omnes malas cogitationes quæ animam impetere valeant, probe muniamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. 1 Theſſ. iv. 1.

ROgamus vos & obſecramus in Domino Jeſu, ut quemadmodum accepiſtis à nobis quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, ſicut & ambulatis, ut abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jeſum. Hæc enim eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos à fornicatione; ut ſciat unuſquiſque veſtrûm vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore; non in paſſione deſiderii, ſicut & Gentes quæ ignorant Deum; & nequis ſupergrediatur neque circumveniat in negotio fratrem ſuum, quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus vobis, & teſtificati ſumus. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem. Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis.

Evangelium. S. Matth. xv. 21.

ET egreſſus inde Jeſus, ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Cananæa à finibus illis egreſſa, clamavit dicens ei, Miſerere mei, Domine Fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non reſpondit ei verbum. Et accedentes diſcipuli ejus rogabant eum, dicentes, Dimitte eam quia clamat poſt nos. Ipſe autem reſpondens, ait, Non ſum miſſus, niſi ad oves quæ perierunt domus Iſrael. At illa venit, & adoravit eum, dicens, Domine, adjuva me. Qui reſpondens ait, Non eſt bonum ſumere panem filiorum & mittere canibus. At illa dixit, etiam Domine; nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum. Tunc reſpondens Jeſus, ait illi, ô mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. Et ſanata eſt filia ejus ex illa hora.

Dominica tertia Quadrageſimæ.

Collecta.

QUæſumus, Omnipotens Deus, humilium famulorum tuorum vota fervida reſpice, & in defenſionem noſtram adverſus omnes inimicos noſtros, Majeſtatis tuæ dextram extende, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Eph. v. 1.

ESTote ergo imitatores Dei, ſicut Filii chariſſimi; & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit

dit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis. Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos; aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet; ſed magis gratiarum actio. Hoc enim ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus (quod eſt idolorum ſervitus) non habet hæreditatem in Regno Chriſti, & Dei. Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum; eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate; (fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia, & veritate) probantes quid ſit beneplacitum Deo. Et nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite: Quæ enim in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt, & dicere. Omnia autem quæ arguuntur à lumine manifeſtantur; omne enim quod manifeſtat, lumen eſt. Propter quod dicit, Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.

Evangelium. S.Luc. xj. 14.

ERat Jeſus ejiciens Dæmonium, & illud erat mutum. Et cum ejeciſſet Dæmonium, locutus eſt mutus; & admiratæ ſunt turbæ. Quidam autem ex iis dixerunt, in Beelzebub, principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia. Et alii tentantes, ſignum de Cœlo quærebant ab eo. Ipſe autem ut vidit cogitationes eorum dixit eis, Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur; & domus ſupra domum cadet. Si autem & Satanus in ſeipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus? Quia dicitis in Beelzebub me ejicere Dæmonia. Si autem ego in Beelzebub ejicio Dæmonia, filii veſtri in quo ejiciunt? Ideo ipſi judices veſtri erunt. Porro, ſi in digito Dei ejicio Dæmonia, profectò pervenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet; ſi autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus auferet in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuet. Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit. Cùm immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem. Et non inveniens, dicit, Revertar in domum meam unde exivi: & cùm venerit, Invenit eam ſcopis mundatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe: Et ingreſſi habitant ibi. Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. Factum eſt autem cùm hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illis; Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti. At ille dixit, quinimò, beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

Dominica

Dominica quarta Quadrageſimæ

Collecta.

COncede quæſumus omnipotens Deus, ut qui propter iniquitates noſtras jure pœnis affici meremur, gratiæ tuæ conſolatione clementer ſublevemur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Gal. iv. 21.

DIcite mihi qui ſub lege vultis eſſe, legem non legiſtis? Scriptum eſt enim quoniam Abraham duos filios habuit: unum de ancillâ & unum de liberâ. Sed qui de ancillâ, ſecundum carnem natus eſt: qui autem de liberâ, per repromiſſionem: quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta: unum quidem a monte Sina, in ſervitutem generans, quæ eſt Agar: (Sina enim mons eſt in Arabia: qui conjunctus eſt ei, quæ nunc eſt Jeruſalem) & ſervit cum filiis ſuis. Illa autem quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Scriptum eſt enim lætare ſterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis: quia multi filii deſertæ, magis quàm ejus quæ habet virum. Nos autem fratres ſecundum Iſaac promiſſionis filii ſumus. Sed quomodo tunc is qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritum; ita & nunc. Sed quid dicit ſcriptura? Ejice ancillam & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque fratres, non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ.

Evangelium. S. Joh. vj. 1.

ABiit Jeſus trans mare Galileæ, quod eſt Tiberiadis: Et ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Jeſus: & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Erat autem proximum Paſcha, dies Feſtus Judæorum. Cùm ſublevaſſet ergo oculos Jeſus, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum, unde ememus panes, ut manducent hi? hoc autem dicebat tentans eum. Ipſe enim ſciebat, quod eſſet facturus. Reſpondit ei Philippus, Ducentorum denariorum panes non ſufficient eis, ut unuſquiſque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex diſcipulis ejus Andreas, frater Simonis Petri, eſt puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos? Dicit ergo Jeſus, facite homines diſcumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Diſcubuerunt ergo viri, numero quaſi quinque millia. Accepit ergo Jeſus panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus, ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant. Ut autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis, colligite quæ ſuperfuerunt fragmenta ne pereant. Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, & duobus piſcibus quæ ſuperfuerunt his qui manducaverant. Illi ergo homines, cùm vidiſſent

vidiſſent quod fecerat ſignum, dicebant, Quia hic eſt verè Propheta qui venturus eſt in mundum.

Dominica quinta Quadrageſimæ

Collecta.

POpulum tuum, Omnipotens Deus, clementer reſpice, ut magnâ tuâ bonitate dirigatur, & corpore atque animo indeſinenter conſervetur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Heb. ix. 11.

CHriſtus autem aſſiſtens, pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum; id eſt, non hujus creationis; neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum; ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa. Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat, ad emundationem carnis; quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortis, ad ſerviendum Deo viventi? Et ideò novi teſtamenti mediator eſt, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum quæ erant ſub priori Teſtamento repromiſſionem accipiant qui vocati ſunt, hæreditatis æternæ.

Evangelium. S. Joh. viij. 46.

DIxit Jeſus, quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare non creditis mihi? Qui ex Deo eſt, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Reſponderunt ergo Judæi, & dixerunt ei, Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes? Reſpondit Jeſus, Ego Dæmonium non habeo; ſed honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me. Ego autem non quæro gloriam meam; eſt qui quærat, & judicet. Amen, amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo ei Judæi, Nunc cognovimus, quia Dæmonium habes. Abraham mortuus eſt, & Prophetæ; & tu dicis ſi quis ſermonem meum ſervaverit, non guſtabit mortem in æternum. Nunquid tu major es Patre noſtro Abraha, qui mortuus eſt? Et Prophetæ mortui ſunt: quem teipſum facis? Reſpondit Jeſus, Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt; Eſt Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus veſtra eſt; & non cognoviſtis eum; ego autem novi eum: & ſi dixero, quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis mendax; ſed ſcio eum & ſermonem ejus ſervo. Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum, & vidit, & gaviſus eſt. Dixerunt ergo Judæi, ad eum, Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti? Dixit eis Jeſus, Amen, amen, dico vobis, Antequam

Abráham fieret, ego ſum. Tulerunt ergo lapides ut jacerent in eum: Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit de templo.

Dominica proxima ante Paſcha.

Collecta.

OMnipotens & æterne Deus, qui ex ſummo tuo amore erga genus humanum, Jeſum Chriſtum Filium tuum Servatorem noſtrum miſiſti, ut carnem noſtram ſibi aſſumeret, & mortem crucis ſubiret, ut univerſum genus hominum ejus magnæ humilitatis exemplum ſequeretur, concede propitius ut ipſius tum patientiæ exemplum ſequi, tum reſurrectionis participes fieri valeamus, per eundem Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Phil. ij. 5.

HOC enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu: qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo: Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen; ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus, in gloria eſt Dei Patris.

Evangelium. S. Matth. xxvij. 1.

MAne autem facto conſilium inierunt omnes principes ſacerdotum, & ſeniores populi adverſus Jeſum, ut eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi. Tunc videns Judas qui eum tradidit, quod damnatus eſſet, pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum & ſenioribus, dicens, Peccavi, tradens ſanguinem juſtum. At illi dixerunt, quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis in templo, receſſit, & abiens, laqueo ſe ſuſpendit. Principes autem ſacerdotum acceptis argenteis, dixerunt, non licet mittere eos in corbonam, quia pretium ſanguinis eſt. Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus eſt ager ille Haceldama, hoc eſt ager ſanguinis, uſque in hodiernum diem. (Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam, dicentem, Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Iſrael, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.) Jeſus autem ſtetit ante præſidem; & interrogavit eum præſes, dicens, Tu es Rex Judæorum? Dicit illi Jeſus, Tu dicis. Et cùm accuſaretur à principibus ſacerdotum, & ſenioribus, nihil reſpondit. Tunc dicit illi Pilatus. Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia? Et non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur

faretur præſes vehementer. Per diem autem ſolennem conſueverat præſes populo dimittere unum vinctum quem voluiſſet. Habebat autem tunc vinctum inſignem qui dicebatur Barabbas. Congregatis autem illis, dixit Pilatus, Quem vultis dimittam vobis? Barabbam an Jeſum, qui dicitur Chriſtus, Sciebat enim quod per invidiam tradidiſſent eum. . Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum uxor ejus, dicens, Nihil tibi & juſto illi: multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum. Principes autem ſacerdotum & ſeniores perſuaſerunt populo ut peterent Barabbam, Jeſum verò perderent. Reſpondens autem præſes, ait illis, Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt, Barabbam. Dixit illis Pilatus, Quid igitur faciam de Jeſu, qui dicitur Chriſtus? Dicunt omnes, crucifigatur. Ait illis præſes, Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes, Crucifigatur. Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, acceptâ aquâ, lavit manus coram populo, dicens, Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus: vos videritis. Et reſpondens univerſus populus, dixit, Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Tunc dimiſit illis Barabbam: Jeſum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur. Tunc milites præſidis ſuſcipientes Jeſum in prætorium, congregaverunt ad eum univerſam cohortem. Et exeuntes eum clamydem coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextra ejus: & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes, Ave, Rex Judæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus. Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum clamyde, & induerunt eum veſtimentis ejus, & duxerunt eum ut crucifigerent. Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus. Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod eſt Calvariæ locus, & dederunt ei vinum bibere, cum felle miſtum: & cùm guſtaſſet, noluit bibere. Poſtquam autem crucifixerunt eum, diviſerunt veſtimenta ejus, ſortem mittentes; ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam, dicentem, Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Et ſedentes ſervabant eum; & impoſuerunt ſuper caput ejus cauſam ipſius ſcriptam, HIC EST JESUS REX JUDÆORUM. Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones: unus à dextris, & unus à ſiniſtris. Prætereuntes autem blaſphemabant eum, moventes capita ſua, & dicentes, Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, ſalva teipſum: ſi Filius Dei es, deſcende de cruce. Similiter & principes ſacerdotum illudentes, cum ſcribis & ſenioribus, dicebant, Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere: ſi rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credemus ei. Confidit in Deo; liberet nunc eum ſi vult: dixit enim, Quia Dei Filius ſum.

Idipſum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. A ſexta autem hora, tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, uſque ad horam nonam. Et circa horam nonam clamavit Jeſus voce magnâ, dicens, *Eli, Eli, lamma ſabacthani?* hoc eſt, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Quidam autem illic ſtantes, & audientes dicebant, Eliam vocat iſte. Et continuo currens unus ex eis, acceptam ſpongiam implevit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere. Cæteri autem dicebant, Sine, videamus an veniat Elias liberans eum. Jeſus autem iterum clamans voce magnâ, emiſit Spiritum. Et ecce, velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum qui dormierant, ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes Jeſum, viſo terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes, Verè, Dei Filius erat iſte.

Feria ſecunda ante Paſcha.

Pro Epiſtola. Eſaiæ lxiij. 1.

QUis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ? Ego qui loquor juſtitiam, & propugnator ſum ad ſalvandum. Quare ergo eſt rubeum indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum: calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea, & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi. Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. Circumſpexi, & non erat auxiliator; quæſivi, & non fuit qui adjuvaret: & ſalvavit mihi brachium meum, & indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi. Et conculcavi populos in furore meo, & inebriavi eos in indignatione mea, & detraxi in terram virtutem eorum. Miſerationum Domini recordabor, laudem Domini ſuper omnibus quæ reddidit nobis Dominus, & ſuper multitudinem bonorum domui Iſrael, quæ largitus eſt eis ſecundum indulgentiam ſuam, & ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum. Et dixit, Veruntamen populus meus eſt filii non negantes: & factus eſt eis Salvator. In omni tribulatione eorum, non eſt tribulatus, & Angelus faciei ejus ſalvavit eos: in dilectione ſua, & in indulgentia ſua, ipſe redemit eos, & portavit eos, & elevavit eos cunctis diebus ſæculi. Ipſi autem ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt Spiritum ſanctum ejus, & converſus eſt eis in inimicum, & ipſe debellavit eos. Et recordatus eſt dierum ſæculi, Moyſi & populi ſui: Ubi eſt qui eduxit eos de mari, cum paſtoribus gregis ſui? Ubi eſt qui poſuit in medio ejus Spiritum ſancti ſui? Qui eduxit ad dextram Moyſen brachio

chio majeſtatis ſuæ, qui ſcidit aquas ante eos, ut faceret ſibi nomen ſempiternum? Qui eduxit eos per abyſſos quaſi equum in deſerto non impingentem? Quaſi animal in campo deſcendens, Spiritus Domini ductor ejus fuit: ſic adduxiſti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ. Attende de cœlo; & vide de habitaculo ſancto tuo, & ſolio gloriæ tuæ: Ubi eſt zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viſcerum tuorum, & miſerationum tuarum? Super me continuerunt ſe. Tu enim Pater noſter, & Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos: Tu Domine, Pater noſter, Redemptor noſter, à ſæculo Nomen tuum. Quare errare nos feciſti Domine de viis tuis? Induraſti cor noſtrum, ne timeremus te? Convertere propter ſervos tuos, tribus hæreditatis tuæ. Quaſi nihilum poſſederunt populum ſanctum tuum: hoſtes noſtri conculcaverunt ſanctificationem tuam. Facti ſumus quaſi in principio, cùm non dominareris noſtri; neque invocaretur Nomen tuum ſuper nos.

Evangelium. S. Marc. xiv. 1.

ERat autem Paſcha & Azyma poſt biduum: & quærebant ſummi ſacerdotes, & ſcribæ quomodo dolo eum tenerent, & occiderent. Dicebant autem, Non in die Feſto, ne fortè tumultus fieret in populo. Et cùm eſſet Bethaniæ, in domo Simonis leproſi, & recumberet, venit mulier habens alabaſtrum unguenti nardi ſpicati pretioſi; & fracto alabaſtro, effudit ſuper caput ejus. Erant autem quidam indignè ferentes intra ſemetipſos, & dicentes, Ut quid perditio iſta unguenti facta eſt? Poterat enim unguentum illud venundari pluſquam trecentis denariis, & dari pauperibus & fremebant in eam. Jeſus autem dixit, Sinite eam, quid illi moleſti eſtis? Bonum opus operata eſt in me. Semper enim pauperes habetis vobiſcum, & cùm volueritis, poteſtis illis benefacere: me autem non ſemper habetis. Quod habuit hæc fecit: pervenit ungere corpus meum in ſepulturam. Amen dico vobis, Ubicunque prædicatum fuerit Evangelium iſtud in univerſo mundo; & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus. Et Judas Iſcariotes unus de duodecim abiit ad ſummos ſacerdotes, ut proderet eum illis. Qui audientes gaviſi ſunt, & promiſerunt ei pecuniam ſe daturos. Et quærebat quomodo illum opportunè traderet. Et primo die Azymorum quando Paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli. Quo vis eamus, & paremus tibi ut manduces Paſcha? Et mittit duos ex diſcipulis ſuis, & dicit eis, Ite in civitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans: ſequimini eum. Et quocunque introierit, dicite Domino domûs, quia magiſter dicit, Ubi eſt refectio mea, ubi Paſcha cum diſcipulis meis manducem? Et ipſe vobis demonſtrabit cœnaculum grande, ſtratum: & illic parate nobis. Et abierunt diſcipuli ejus, & venerunt in civitatem, & invenerunt ſicut dixerat illis: & paraverunt Paſcha. Veſpere autem facto venit cum duode-

cim. Et diſcumbentibus eis & manducantibus, ait Jeſus, Amen dico vobis quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum. At illi cœperunt contriſtari, & dicere ei ſingulatim, Nunquid ego? Qui ait illis, unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino. Et Filius quidem hominis vadit, ſicut, ſcriptum eſt de eo: væ autem homini illi per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, ſi non eſſet natus homo ille. Et manducantibus illis, accepit Jeſus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait, Sumite, hoc eſt corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis, Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, uſque in diem illum cum illud bibam (novum) in regno Dei. Et hymno dicto exierunt in montem Olivarum. Et ait eis Jeſus, Omnes ſcandalizabimini in me in nocte iſta: quia ſcriptum eſt, percutiam Paſtorem, & diſpergentur oves. Sed poſtquam reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. Petrus autem ait illi, Etſi omnes ſcandalizati fuerint, ſed non ego. Et ait illi Jeſus, Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priuſquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. At ille amplius loquebatur, Et ſi oportuerit me ſimul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant. Et veniunt in prædium cui nomen Gethſemani, & ait diſcipulis ſuis, Sedete hîc, donec orem. Et aſſumit Petrum, & Jacobum, & Joannem ſecum, & cœpit pavere, & tædere, & ait illis, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem: ſuſtinete hic, & vigilate. Et cùm proceſſiſſet paululum, procidit ſuper terram, & orabat ut ſi fieri poſſet tranſiret ab eo hora. Et dixit, Abba, Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt; tranſfer calicem hunc à me. Sed non quod ego volo, ſed quod tu. Et venit, & invenit eos dormientes, & ait Petro, Simon, dormis? Non potuiſti unâ horâ vigilare? Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem; Spiritus quidem promptus eſt, caro verò infirma. Et iterum abiens oravit, eundem ſermonem dicens. Et reverſus, denuo invenit eos dormientes (erant enim oculi eorum gravati) & ignorabant quid reſponderent ei. Et venit tertio, & ait illis, Dormite jam, & requieſcite, ſufficit, venit hora. Ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus; ecce, qui me tradit prope eſt. Et adhuc eo loquente, venit Judas Iſcariotes, unus de duodecim, & cum eo turba multa cum gladiis & lignis, miſſi à ſummis ſacerdotibus, & ſcribis, & ſenioribus. Dederat autem traditor eis ſignum, dicens, Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum; & ducite cauté. Et cùm veniſſet, ſtatim accedens ad eum, ait, Ave, Rabbi, & oſculatus eſt eum. At illi manus injecerunt in Jeſum, & tenuerunt eum. Unus autem quidam de circumſtantibus educens gladium, percuſſit ſervum ſummi pontificis, & amputavit illi

illi auriculam. Et reſpondens Jeſus, ait illis, Tanquam ad latronem exiiſtis, cum gladiis, & lignis comprehendere me? Quotidiè eram apud vos in templo, docens; & non me tenuiſtis: ſed ut impleantur Scripturæ. Tunc diſcipuli ejus relinquentes eum omnes fugerunt. Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo, & tenuerunt eum. At ille rejectâ ſindone, nudus profugit ab eis. Et adduxerunt Jeſum ad ſummum ſacerdotem, & convenerunt omnes ſacerdotes, & ſcribæ, & ſeniores; Petrus autem à longe ſecutus eſt eum, uſque intro in atrium ſummi ſacerdotis, & ſedebat cum miniſtris ad ignem, & calefaciebat ſe. Summi verò ſacerdotes, & omne concilium quærebant adverſus Jeſum teſtimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant. Multi autem teſtimonium falſum dicebant adverſus eum, Et convenientia teſtimonia non erant. Et quidam ſurgentes, falſum teſtimonium ferebant adverſus eum, dicentes, Quoniam nos audivimus eum dicentem, Ego diſſolvam templum hoc manufactum, & poſt triduum aliud non manufactum ædificabo. Et non erat conveniens teſtimonium illorum. Exurgens autem ſummus ſacerdos in medium, interrogavit Jeſum, dicens, Non reſpondes quidquam ad ea quæ tibi objiciuntur ab his? Ille autem tacebat, & nihil reſpondit. Rurſum ſummus ſacerdos interrogabat eum, & dixit ei, Tu es Chriſtus Filius Dei benedicti? Jeſus autem dixit illi, Ego ſum; & videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cœli. Summus autem ſacerdos ſcindens veſtimenta ſua, ait, Quid adhuc deſideramus teſtes? Audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum eſſe reum mortis. Et cœperunt quidam conſpuere in eum, & velare faciem ejus, & colaphis eum cædere, & dicere ei, Prophetiza; & miniſtri alapis eum cedebant. Et cùm eſſet Petrus in atrio deorſum, venit una ex Ancillis ſummi ſacerdotis; & cùm vidiſſet Petrum calefacientem ſe, aſpiciens illum ait, Et tu cùm Jeſu Nazareno eras. At ille negavit, dicens, Neque ſcio, neque novi quid dicas. Et exiit foras ante atrium, & gallus cantavit. Rurſus autem cùm vidiſſet illum ancilla, cœpit dicere circumſtantibus, quia hic ex illis eſt. At ille iterum negavit. Et poſt puſillum rurſus, qui aſtabant dicebant Petro, Vere ex illis es, nam & Galilæus es. Ille autem cœpit anathematizare, & jurare, quia neſcio hominem iſtum quem dicitis. Et ſtatim gallus iterum cantavit. Et recordatus eſt Petrus verbi quod dixerat ei Jeſus, priuſquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere.

Feria tertia ante Paſcha.

Pro Epiſtola. Eſaiæ L. 5.

DOminus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico; retrorſum non abii. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellen-

tibus : Faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus, ideo non ſum confuſus, ideò poſui faciem meam ut petram duriſſimam, & ſcio quoniam non confundar. Juxta eſt qui juſtificat me, quis contradicit mihi ? Stemus ſimul. Quis eſt adverſarius meus ? Accedat ad me. Ecce, Dominus Deus auxiliator meus : quis eſt qui condemnet me ? Ecce, omnes quaſi veſtimentum conterentur, tinea comedet eos. Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem ſervi ſui, qui ambulavit in tenebris, & non eſt lumen ei ? Speret in nomine Domini, & innitatur ſuper Deum ſuum. Ecce, vos omnes accendentes ignem accincti flammis, ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis quas ſuccendiſtis, de manu mea factum eſt hoc vobis, in doloribus dormietis.

Evangelium. S. Marc. xv. 1.

ET confeſtim, mane conſilium facientes ſummi ſacerdotes, cum ſenioribus & ſcribis, & univerſo concilio, vinctes Jeſum duxerunt, & tradiderunt Pilato. Et interrogavit eum Pilatus ; Tu es Rex Judæorum ? At ille reſpondens ait illi ; Tu dicis. Et accuſabant eum ſummi ſacerdotes in multis. Pilatus autem interrogavit eum, dicens ; non reſpondes quidquam ? Vide in quantis te accuſant. Jeſus autem amplius nihil reſpondit : ita ut miraretur Pilatus. Per diem autem feſtum ſolebat dimittere illis unum ex vinctis quemcunque petiiſſent. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum ſeditioſis erat vinctus, qui in ſeditione fecerat homicidium. Et cùm aſcendiſſet turba, cœpit rogare, ſicut ſemper faciebat illis. Pilatus autem reſpondit eis, & dixit : vultis dimittam vobis Regem Judæorum ? Sciebat enim quod per invidiam tradidiſſent eum ſummi ſacerdotes. Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabban dimitteret eis. Pilatus autem iterum reſpondens, ait illis ; Quid ergo vultis faciam Regi Judæorum ? At illi iterum clamaverunt ; crucifige eum. Pilatus verò dicebat illis, quid enim mali fecit ? At illi magis clamabant, crucifige eum. Pilatus autem volens populo ſatisfacere, dimiſit illis Barabban, & tradidit Jeſum flagellis cæſum, ut crucifigeretur. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii, & convocant totam cohortem, & induunt eum purpurâ, & imponunt ei, plectentes ſpineam coronam. Et cœperunt ſalutare eum : ave Rex Judæorum. Et percutiebant caput ejus arundine : & conſpuebant eum, & ponentes genua adorabant eum. Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt illum purpurâ, & induerunt eum veſtimentis ſuis : & educunt illum ut crucifigerent eum. Et angariaverunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum, venientem de villâ, patrem Alexandri & Rufi, ut tolleret crucem ejus. Et perducunt eum in Golgotha locum : quod eſt interpretatum, Calvariæ locus ; & dabant ei bibere myrrhatum vinum : & non accepit. Et crucifigentes eum, diviſerunt veſtimenta ejus, mitten-

tentes ſortem ſuper eis, quis quid tolleret. Erat autem hora tertia : & crucifixerunt eum, & erat titulus cauſæ ejus Inſcriptus, REX JUDÆORUM. Et cum eo crucifigunt duos latrones ; unum à dextris, alterum à ſiniſtris ejus. Et impleta eſt ſcriptura, quæ dicit ; & cum iniquis reputatus eſt. Et prætereuntes blaſphemabant eum, moventes capita ſua, & dicentes, Vah qui deſtruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas: ſalvum fac temetipſum deſcendens de cruce. Similiter & ſummi ſacerdotes illudentes, ad alterutrum cum ſcribis dicebant : Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere ; Chriſtus Rex Iſrael deſcendat nunc de cruce, ut videamus, & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant conviciabantur ei. Et factâ horâ ſextâ, tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram uſque in horam nonam. Et horâ nonâ exclamavit Jeſus voce magnâ, dicens : *Eloi. Eloi, lamma ſabachthani?* Quod eſt interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me ? Et quidam de circumſtantibus audientes, dicebant, Ecce Eliam vocat. Currens autem unus implens ſpongiam aceto, circumponenſque calamo, potum dabat ei, dicens : Sinite ; videamus ſi veniat Elias ad deponendum eum. Jeſus autem emiſſâ voce magnâ exſpiravit. Et velum Templi ſciſſum eſt in duo, â ſummo uſque deorſum. Videns autem Centurio qui ex adverſo ſtabat, quia ſic clamitans expiraſſet : ait, Verè hic homo Filius Dei erat.

Feria quarta ante Paſcha.

Epiſtola. Heb. ix. 16.

UBI teſtamentum eſt ; mors neceſſe eſt, intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt : alioquin nondum valet, dum vivit qui teſtatus eſt. Unde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt. Lecto enim omni mandato legis à Moyſe univerſo populo : accipiens ſanguinem vitulorum & hircorum, cum aquâ & lanâ coccineâ & hyſſopo ; ipſum quoque librum & omnem populum aſperſit, dicens : Hic ſanguis teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus, Etiam tabernaculum & omnia vaſa miniſterii ſanguine ſimiliter aſperſit. Et omnia pene in ſanguine ſecundum legem mundantur : & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Neceſſe eſt ergo exemplaria quidem cœleſtium, his mundari : ipſa autem cœleſtia, melioribus hoſtiis quàm iſtis. Non enim in manufacta ſancta Jeſus introivit, exemplaria verorum : ſed in ipſum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis : neque ut ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno : alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi : nunc autem ſemel in conſummatione ſæculorum, ad deſtitutionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit. Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium : ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum

exhaurienda peccata ; ſecundò ſine peccato apparebit expectantibus ſe in ſalutem.

Evangelium. S. Luc. xxii. 1.

APropinquabat autem dies feſtus Azymorum, qui dicitur Paſcha : Et quærebant principes ſacerdotum, & ſcribæ, quomodo eum interficerent ; timebant verò plebem. Intravit autem Satanas in Judam, qui cognominabatur Iſcariotes, unum de duodecim : & abiit, & locutus eſt cum principibus ſacerdotum & magiſtratibus, quemadmodum illum traderet eis. Et gavisi ſunt, & pacti ſunt pecuniam illi dare. Et ſpoſpondit. Et quærebat opportunitatem ut traderet illum ſine turbis. Venit autem dies Azymorum, in quâ neceſſe erat occidi Paſcha. Et miſit Petrum & Joannem dicens, euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus : illi dixerunt, ubi vis paremus ? Et dixit ad eos : Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans : ſequimini eum in domum, in quam intrat, & dicetis patri-familias Domus ; dicit tibi magiſter ; Ubi eſt diverſorium ubi Paſcha cum diſcipulis meis manducem ? Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum, & ibi parate. Euntes autem, invenerunt ſicut dixit illis : & paraverunt Paſcha. Et cùm facta eſſet hora, diſcubuit, & Duodecim Apoſtoli cum eo. Et ait illis ; deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit : accipite, & dividite inter vos ; dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec Regnum Dei veniat. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens ; Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem, poſtquam cœnavit, dicens : Hic calix eſt novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur. Verumtamen ecce manus tradentes me, mecum eſt in menſa. Et quidem Filius hominis, ſecundum quod definitum eſt, vadit : verumtamen væ homini illi, per quem tradetur. Et ipſi cœperunt quærere inter ſe, quis eſſet ex eis, qui hoc facturus eſſet. Facta eſt autem & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major. Dixit autem eis : Reges gentium dominantur eorum : & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic ; ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor ; & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator, Nam quis major eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat ? Nonne qui recumbit ? Ego autem in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat. Vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis ; Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo : & ſedeatis ſuper Thronos, judicantes duodecim tribus Iſrael. Ait autem Dominus : Simon, Simon, ecce

ecce Satanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum: Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos. Qui dixit ei; Domine, tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire. At ille dixit; Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me. Et dixit eis; quando miſi vos ſine ſacculo & perâ, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil. Dixit ergo eis: ſed nunc qui habet ſacculum, tollat; ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium. Dico enim vobis quoniam adhuc hoc quod ſcriptum eſt, oportet impleri in me. Et cum iniquis deputatus eſt. Etenim ea, quæ ſunt de me, finem habent. At illi dixerunt; Domine, ecce duo gladii hîc, at ille dixit eis: ſatis eſt. Et egreſſus ibat ſecundum conſuetudinem in Montem Olivarum. Secuti ſunt autem illum & diſcipuli. Et cùm perveniſſet ad locum, dixit illis; Orate ne intretis in tentationem. Et ipſe avulſus eſt ab eis quantum jactus eſt lapidis: & poſitis genibus orabat, dicens: Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum à me: veruntamen non mea voluntas ſed tua fiat. Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in Agonia, prolixius orabat. Et factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Et cùm ſurrexiſſet ab oratione, & veniſſet ad diſcipulos ſuos, invenit eos dormientes præ triſtitia. Et ait illis; Quid dormitis? Surgite, orate, ne intretis in tentationem. Adhuc colloquente, ecce turba; & qui vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos: Et appropinquavit Jeſu ut oſcularetur eum. Jeſus autem dixit illi: Juda, oſculo Filium hominis tradis? Videntes autem hi, qui circa ipſum erant, quod futurum erat, dixerunt: Domine, ſi percutimus in gladio? Et percuſſit unus ex illis ſervum principis ſacerdotum, & amputavit auriculam ejus dexteram. Reſpondens autem Jeſus, ait: Sinite uſque huc. Et cùm tetigiſſet auriculam ejus ſanavit eum. Dixit autem Jeſus ad eos qui venerant ad ſe, principes ſacerdotum, & magiſtratus Templi, & ſeniores: Quaſi ad latronem exiiſtis cum gladiis & fuſtibus? Cùm quotidie vobiſcum fuerim in templo, non extendiſtis manus in me: ſed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis ſacerdotum: Petrus verò ſequebatur à longe. Accenſo autem igne in medio atrii, & circumſedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Quem cùm vidiſſet ancilla quædam ſedentem ad lumen, & eum fuiſſet intuita dixit; Et hic cum illo erat. At ille negavit eum, dicens: Mulier, non novi illum. Et poſt pusillum, alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus verò ait, O homo, non ſum. Et intervallo facto, quaſi horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens, Verè & hic cum illo erat: nam & Galilæus eſt. Et ait Petrus; homo, neſcio quid dicis. Et continuo, adhuc illo loquente cantavit gallus. Et

con-

converſus Dominus, reſpexit Petrum. Et recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat: quia prius quàm gallus cantet, ter me negabis, & egreſſus foras Petrus flevit amare. Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes. Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus: & interrogaverunt eum, Dicentes, Prophetiza, quis eſt qui te percuſſit? Et alia multa blaſphemantes dicebant in eum, & ut factus eſt dies convenerunt ſeniores plebis, & principes ſacerdotum, & ſcribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum, dicentes; Si tu es Chriſtus, dic nobis. Et ait illis; ſi vobis dixero, non creditis mihi: ſi autem & interrogavero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit Filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes, Tu ergo es Filius Dei? Qui ait, Vos dicitis, quia ego ſum. At illi dixerunt, quid adhuc deſideramus teſtimonium? Ipſi enim audivimus de ore ejus.

Feria quinta ante Paſcha.

Epiſtola. 1 Cor. xi. 17.

HOC autem præcipio; non laudans, quod non in melius, ſed in deterius convenitis. Primùm quidem convenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo. Nam oportet & hæreſes eſſe: ut & qui probati ſunt manifeſti fiant in vobis. Convenientibus ergo vobis in unum, jam non eſt Dominicam cœnam manducare. Unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum. Et alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Aut eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo. Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus in quâ nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit; Accipite & manducate: hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic calix, novum teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite, quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem. Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit: non dijudicans corpus domini. Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum judicamur autem à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Itaque fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate. Si quis eſurit,

ſurit, domi manducet: ut non in judicium conveniatis. Cætera autem, cùm venero, diſponam.

Evangelium. S. Luc. xxiij. 1.

SUrgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt illum accuſare, dicentes; Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum regum eſſe. Pilatus autem interrogavit eum dicens: Tu es Rex Judæorum? At ille reſpondens ait, Tu dicis. Ait autem Pilatus ad principes ſacerdotum, & turbas, nihil invenio cauſæ in hoc homine. At illi invaleſcebant, dicentes; Commovet populum, docens per univerſam Judæam, incipiens à Galilæâ uſque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit ſi homo Galilæus eſſet. Et ut cognovit quod de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Jeroſolymis erat illis diebus. Herodes autem viſo Jeſu, gaviſus eſt valdè; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audiret multa de eo; & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpondebat. Stabant autem principes ſacerdotum, & ſcribæ conſtanter accuſantes eum. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo: & illuſit indutum veſte albâ, & remiſit ad Pilatum. Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die; nam antea inimici erant invicem. Pilatus autem convocatis principibus ſacerdotum, & magiſtratibus, & plebe, dixit ad illos: obtuliſtis mihi hunc hominem, quaſi avertentem populum: & ecce ego coram vobis interrogans, nullam cauſam inveni in homine iſto ex his in quibus eum accuſatis. Sed neque Herodes: nam remiſi vos ad illum; & ecce nihil dignum morte actum eſt ei. Emendatum ergo illum dimittam, neceſſe autem habebat dimittere eis per diem feſtum, unum. Exclamavit autem ſimul univerſa turba dicens; Tolle hunc, & dimitte nobis Barabban, Qui erat propter ſeditionem quandam factam in civitate & homicidium, miſſus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus eſt ad eos, volens dimittere Jeſum. At illi ſuccłamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iſte? Nullam cauſam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam. At illi inſtabant vocibus magnis poſtulantes ut crucifigeretur: & invaleſcebant voces eorum: & Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum, Dimiſit autem illis eum, qui propter homicidium, & ſeditionem miſſus fuerat in carcerem, quem petebant; Jeſum verò tradidit voluntati eorum. Et cùm ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenſem, venientem de villa: & impoſuerunt illi crucem portare poſt Jeſum. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum: quæ plangebant & lamentabantur eum. Converſus autem ad illas Jeſus, dixit: Filiæ Jeruſalem, nolite flere ſuper me: ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios

lios veſtros. Quoniam, ecce venient dies in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus, Cadite ſuper nos; & collibus; operite nos. Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo, ut interficerentur. Et poſtquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum; & latrones, unum à dextris, & alterum à ſiniſtris. Jeſus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quid facient. Dividentes verò veſtimenta ejus miſerunt ſortes. Et ſtabat Populus ſpectans, & deribebant eum principes cum eis, dicentes: Alios ſalvos fecit, ſe ſalvum faciat, ſi hic eſt Chriſtus, Dei electus. Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei, dicentes: ſi tu es Rex Judæorum, ſalvum te fac. Erat autem & ſuperſcriptio ſcripta ſuper eum literis Græcis & Latinis, & Hebraicis: HIC EST REX JUDÆORUM. Unus autem de his qui pendebant latronibus, blaſphemabat eum dicens: Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum & nos. Reſpondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum qui in eadem damnatione es? Et nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit. Et dicebat ad Jeſum: Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jeſus, amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo. Erat autem ferè hora ſexta; & tenebræ factæ ſunt in univerſam terram uſque in horam nonam. Et obſcuratus eſt Sol: & velum Templi ſciſſum eſt medium. Et clamans voce magnâ Jeſus, ait, Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum. Et hæc dicens, expiravit. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: vere, hic homo juſtus erat, & omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur. Stabant autem omnes noti ejus à longe, & mulieres, quæ ſecutæ eum erant à Galilæâ, hæc videntes.

Feria ſexta in Paraſceue, ſeu Dies Paſſionis Domini.

Collecta.

OMnipotens Deus, hanc familiam tuam, quæſumus clementer reſpice, pro qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus prodi, in manus nocentum tradi, ac in cruce mortem ſubire non recuſavit, qui jam vivit & regnat unà tecum, & cum Spiritu Sancto ſemper unus Deus, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

OMnipotens & ſempiterne Deus, cujus Spiritu Eccleſiæ corpus univerſum regitur ac ſanctificatur, ſupplicationes ac preces noſtras quas tibi offerimus pro omnibus ordinibus eorum qui ſanctæ Eccleſiæ tuæ accenſentur propitius exaudi, ut omnes & ſinguli pro ſuo quiſque munere, & miniſterio piè ac ſincerè tibi ſerviant, per Dominum & Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum. *Amen.*

O Miſericors Deus omnium hominum creator, qui nihil odiſti eorum quæ condidiſti, neque vis mortem peccatoris, ſed potius ut convertatur ac vivat, miſerere Judæorum, Turcarum, Infidelium ac Hæreticorum omnium; auſer ab iis omnem ignorantiam ac duritiem cordis & contemptum verbi tui, & eos ita adducas, miſericors Domine, ad gregem tuum, ut ſerventur inter reliquias veri Iſraelis, fiantq; unum ovile ſub uno Paſtore Jeſu Chriſto Domino noſtro, qui vivit & regnat unà tecum & cum Spiritu Sancto, unus Deus, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Epiſtola. Heb. x. 1.

UMbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum, per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis, quas offerunt indeſinenter, nunquam poteſt accedentes perfectos facere: alioquin ceſſaſſent offerri: ideò quod nullam haberent ultra conſcientiam peccati, cultores ſemel mundati: ſed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit. Impoſſibile enim eſt, ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideò ingrediens mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi; Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio; (in capite libri ſcriptum eſt de me,) ut faciam Deus voluntatem tuam, ſuperius dicens: quia hoſtias, & oblationes & holocautomata, pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ ſecundum legem offeruntur. Tunc dixi, Ecce venio, ut faciam Deus, voluntatem tuâm; auſert primum, ut ſequens ſtatuat. In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel. Ut omnis quidem ſacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextra Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici ejus ſcabellum pedum ejus. Unâ enim oblatione, conſummavit in ſempiternum ſanctificatos. Conteſtatur autem nos & Spiritus Sanctus. Poſtquam enim dixit: hoc autem teſtamentum, quod teſtabor ad illos poſt dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum ſuperſcribam eas: & peccatorum, & iniquitatum eorum jam non recordabor amplius. Ubi autem horum remiſſio: jam non eſt oblatio pro peccato. Habentes itaq; fratres fiduciam in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id eſt, carnem ſuam, & ſacerdotem magnum ſuper domum Dei: accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda à conſcientia mala & abluti corpus aqua munda, teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem (fidelis enim eſt, qui repromiſit.) Et conſideremus invicem in provocationem charitatis, & bonorum operum: non deſerentes collectionem noſtram ſicut con-

conſuetudinis eſt quibuſdam, ſed conſolantes, & tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem.

Evangelium. S. Joan. xix. 1.

TUNC ergo apprehendit Pilatus Jeſum, & flagellavit, & milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti ejus: & veſte purpureâ circundederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant, Ave Rex Judæorum; & dabant ei alapas. Exivit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoſcatis quia in eo nullam invenio cauſam; exivit ergo Jeſus portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum. Et dicit eis; Ecce homo. Cùm ergo vidiſſent eum Pontifices, & miniſtri, clamabant, dicentes; Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Accipite eum vos; & crucifigite: Ego enim non invenio in eo cauſam. Reſponderunt ei Judæi, nos legem habemus: & ſecundum legem noſtram debet mori, quia Filium Dei ſe fecit. Cùm ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit. Et ingreſſus eſt Prætorium iterum: & dicit ad Jeſum; unde es tu? Jeſus autem reſponſum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? Reſpondit Jeſus; non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant, dicentes, ſi hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Omnis enim qui ſe regem facit, contradicit Cæſari. Pilatus autem cùm audiſſet hos ſermones, adduxit foras Jeſum: & ſedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithoſtrotos, Hebraicè autem Gabbatha. Erat autem Paraſceue Paſchæ, hora quaſi ſexta: & dicit Judæis, Ecce Rex veſter. Illi autem clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum, Dicit eis Pilatus, Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt pontifices; non habemus Regem, niſi Cæſarem. Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Suſceperunt autem Jeſum, & eduxerunt. Et bajulans ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur, Calvariæ locum, Hebraicè autem Golgotha: ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Jeſum. Scripſit autem & titulum Pilatus: & poſuit ſuper crucem. Erat autem Scriptum; JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt: quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus eſt Jeſus. Et erat ſcriptum Hebraice, Græcè, & Latinè, Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum: noli ſcribere Rex Judæorum: ſed quia ipſe dixit; Rex ſum Judæorum. Reſpondit Pilatus; quod ſcripſi, ſcripſi. Milites ergo cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus (& fecerunt quatuor partes: unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem, non ſcindamus eam, ſed ſor-

ſortiamur de illa cujus ſit. Ut ſcriptura impleretur, dicens, partiti ſunt veſtimenta mea ſibi; & in veſtem meam miſerunt ſortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Stabant autem juxta crucem Jeſu mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cùm vidiſſet ergo Jeſus matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo, ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſuam. Poſtea ſciens Jeſus quia omnia jam conſummata ſunt, ut conſummaretur ſcriptura, dixit: ſitio. Vas ergo erat poſitum aceto plenum. Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. Cùm ergo accepiſſet Jeſus acetum, dixit; conſummatum eſt. Et inclinato capite, tradidit ſpiritum. Judæi ergo, (quoniam Paraſceue erat) ut non remanerent in cruce corpora Sabbatho (erat enim magnus Dies ille Sabbathi) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo. Ad Jeſum autem cum veniſſent, & viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: ſed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua. Et qui vidit teſtimonium perhibuit: & verum eſt teſtimonum ejus; Et ille ſcit quia vera dicit: ut & vos credatis. Facta ſunt enim hæc ut ſcriptura impleretur, os non comminuetis ex eo. Et iterum alia ſcriptura dicit, videbunt in quem transfixerunt.

Vigilia Paſchæ.

Collecta.

COncede Domine, ut quemadmodum in mortem Filii tui benedicti Servatoris noſtri Jeſu Chriſti baptiſamur, ita mortificatis indelinenter pravis noſtris affectibus ſepeliamur cum eo, ſicque per ſepulchrum & portam mortis ad lætam reſurrectionem noſtram perveniamus propter merita ipſius qui mortuus ac ſepultus eſt, quique reſurrexit pro nobis, Filii tui Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

Epiſtola. 1 S. Pet. iij. 17.

MElius eſt bene facientes (ſi voluntas Dei velit) pati, quàm malè facientes. Quia & Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis: ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu. In quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cùm fabricaretur arca; in quâ pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam. Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma (non carnis depoſitio ſordium ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum) per reſurrectionem Jeſu Chriſti; Qui eſt in dexterâ Dei, deglutiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in Cœlum, ſubjectis ſibi Angelis, & poteſtatibus, & virtutibus. *Evan-*

Evangelium. S. Mat. xxvij. 57.

CUM ſero factum eſſet, venit quidam homo dives ab Arimathea, nomine Joſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Jeſu. Hic acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu. Tunc Pilatus juſſit reddi corpus, Et accepto corpore, Joſeph involvit illud in ſindone mundâ. Et poſuit illud in monumento ſuo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abiit. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, ſedentes contra ſepulchrum. Alterâ autem die, quæ eſt poſt Paraſceuen, convenerunt principes Sacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum, dicentes; Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens; poſt tres dies reſurgam. Jube ergo cuſtodiri ſepulchrum uſque in diem tertium: nè fortè veniant diſcipuli ejus & furentur eum, & dicant plebi: ſurrexit à mortuis: & erit noviſſimus error pejor priore. Ait illis Pilatus, habetis cuſtodiam: ite, cuſtodite, ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes, munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem, cum cuſtodibus.

DIES PASCHÆ.

¶ *Ad Matutinas, loco Pſalmi,* Venite exultemus, *&c. Cantabuntur, ſeu dicentur hæ Antiphonæ.*

PAſcha noſtrum Chriſtus immolatus eſt pro nobis; itaque epulemur, non in fermento veteri neq; in fermento malitiæ & nequitiæ; ſed in Azymis ſinceritatis & veritatis. 1 *Cor.* v. 7.

CHriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quòd enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo, in Chriſto Jeſu Domino noſtro. *Rom.* vi. 9.

NUnc Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur: ita in Chriſto omnes vivificabuntur. 1 *Cor.* xv. 20.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Reſponſio.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Collecta.

OMnipotens Deus, qui per Jeſum Chriſtum unigenitum Filium tuum, vitæ æternæ nobis aditum devictâ morte, reſeraſti; ſupplices te rogamus, ut quemadmodum ſpeciali gratiâ tuâ nos præveniente in animos noſtros pia deſideria inducis, ſic eadem nobis continuo opitulante ad affectum ea perducamus: per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui vivit & regnat unà tecum & cum Spiritu Sancto, ſemper unus Deus, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Epiſtola.

Epiſtola. Coloſſ. iij. 1.

IGitur ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt ſedens ad dexteram Dei. Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram; mortui enim eſtis: & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra; tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam quæ eſt ſimulachrorum ſervitus. Propter quæ venit ira Dei ſuper filios incredulitatis. In quibus & vos ambulaſtis aliquando, cùm viveretis in illis.

Evangelium. Joan. xx. 1.

UNA Sabbathi, Maria Magdalene venit manè, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum: & vidit lapidem ſublatum à monumento. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum, quem amabat Jeſus, & dixit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus ubi poſuerunt eum. Exiit autem Petrus & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum. Et cùm ſe inclinaſſet vidit poſita linteamina, non tamen introivit. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introivit in monumentum: & vidit linteamina poſita, & ſudarium quod fuerat ſuper caput ejus, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim involutum in unum locum. Tunc ergo introivit & ille diſcipulus qui venerat primus ad monumentum: & vidit, & credidit, nondum enim ſciebant ſcripturam, quia oportuit eum a mortuis reſurgere. Abierunt ergo iterum diſcipuli ad ſemetipſos.

Feria ſecunda poſt Paſcha.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui per Jeſum Chriſtum Filium tuum vitæ æternæ nobis aditum devictâ morte reſeraſti, ſupplices te rogamus ut quemadmodum ſpeciali gratiâ tuâ nos præveniente, in animos noſtros pia deſideria inducis, ſic eadem continuo nobis opitulante ad effectum ea perducamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui vivit ac regnat unà tecum, & cum Spiritu ſancto, ſemper unus Deus, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Pro Epiſtola. Act. x. 34.

APeriens Petrus os ſuum, dixit: in veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi. Verbum miſit Deus filiis Iſrael, annuncians pacem per Jeſum Chriſtum: (hic eſt omnium Dominus) vos ſcitis quod factum eſt verbum per univerſam Judeam: incipiens enim à Gali-

Galilæa, poſt baptiſmum quod prædicavit Joannes: Jeſum à Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu ſancto, & virtute, qui pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos teſtes ſumus omnium, quæ fecit in Regione Judæorum, & Jeruſalem, quem occiderunt ſuſpendentes in ligno. Hunc Deus ſuſcitavit tertiâ die, & dedit eum manifeſtum fieri, non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo; nobis qui manducavimus & bibimus cum illo poſtquam reſurrexit à mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum & mortuorum. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.

Evangelium. S. Luc. xxiv. 13.

ECCE duo ex diſcipulis ejus ibant ipsâ die in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Jeruſalem, nomine Emmaus. Et ipſi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum eſt, dum fabularentur, & ſecum quærerent; & ipſe Jeſus appropinquans ibat cum illis: oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoſcerent. Et ait ad illos, qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & eſtis triſtes? Et reſpondens unus cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu ſolus peregrinus es in Jeruſalem, & non cognoviſti quæ facta ſunt in illa, his diebus? Quibus ille dixit. Quæ? Et dixerunt; de Jeſu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & ſermone, coram Deo, & omni populo: Et quomodo eum tradiderunt ſummi ſacerdotes, & principes noſtri in damnationem mortis & crucifixerunt eum. Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſrael: & nunc ſuper hæc omnia, tertia dies eſt hodie quod hæc facta ſunt. Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, &, non invento corpore ejus venerunt, dicentes ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe, qui dicunt eum vivere, & abierunt quidam ex noſtris ad monumentum: & ita invenerunt, ſicut mulieres dixerunt, ipſum vero non invenerunt. Et ipſe dixit ad eos, ô ſtulti & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ: nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Et incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant. Et appropinquaverunt caſtello quo ibant, & ipſe ſe finxit longiùs ire. Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiſcum, quoniam adveſperaſcit, & inclinata jam eſt dies. Et intravit cum illis. Et factum eſt dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, & fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum: & ipſe evanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad invicem: nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas? Et ſur-

ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt in Jeruſalem : & invenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant, dicentes : Quod ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et ipſi narrabant quæ geſta erant in via, & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.

Feria tertia poſt Paſcha.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui per Jeſum Chriſtum unigenitum Filium tuum vitæ æternæ nobis aditum devictâ morte, reſeraſti, ſupplices te rogamus ut quemadmodum ſpeciali gratiâ tuâ nos præveniente in animos noſtros pia deſideria inducis, ſic eadem continuò nobis opitulante ad effectum ea perducamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui vivit ac regnat una tecum & cum Spiritu Sancto, ſemper unus Deus in ſecula ſeculorum. *Amen.*

Epiſtola. Act. xiij. 26.

VIri fratres, filii generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum ſalutis hujus miſſum eſt. Qui enim habitabant Jeruſalem, & principes ejus hunc ignorantes, & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, judicantes impleverunt : Et nullam cauſam mortis invententes in eo, petierunt à Pilato, ut interficerent eum. Cúmque conſummaſſent omnia, quæ de eo ſcripta erant, deponentes eum de ligno, poſuerunt eum in monumento. Deus verò ſuſcitavit eum à mortuis tertiâ die : qui viſus eſt per dies multos his, qui ſimul aſcenderant cum eo de Galilæa in Jeruſalem, qui uſque nunc ſunt teſtes ejus ad plebem. Et nos vobis annunciamus eam quæ ad patres noſtros repromiſſio facta eſt : quoniam hanc Deus adimplevit filiis noſtris, reſuſcitans Jeſum, ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod autem ſuſcitavit eum a mortuis, amplius jam non reverſurum in corruptionem, ita dixit : quia dabo vobis ſancta David fidelia. Ideoque & alias dicit non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. David enim in ſua generatione cùm adminiſtraſſet voluntati Dei dormivit, & appoſitus eſt ad patres ſuos, & vidit corruptionem. Quem verò Deus ſuſcitavit à mortuis, non vidit corruptionem. Notum igitur ſit vobis viri fratres, quia per hunc vobis, remiſſio peccatorum annunciatur, & ab omnibus quibus non potuiſtis in lege Moyſi juſtificari. In hoc omnis qui credit juſtificatur. Videte ergo ne ſuperveniat vobis quod dictum eſt in Prophetis, vide contemptores, & admiramini, & diſperdimini : quia opus operor ego in diebus veſtris, opus quod non credetis, ſi quis enarraverit vobis.

Evangelium. S. Luc. xxiv. 36.

STetit Jeſus in medio eorum, & dicit eis : Pax vobis ; ego ſum, nolite timere. Conturbati verò, & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum videre, & dixit eis : quid turbati eſtis,

eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas & pedes, quia ego ſum ipſe, palpate & videte: Quia Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Et cùm hæc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio, dixit: habetis hîc aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & favum mellis. Et cùm manducaſſet coram eis, ſumens reliquias dedit eis. Et dixit ad eos: hæc ſunt verba quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum, quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me, Tunc aperuit illis ſenſum ut intelligerent Scripturas; & dixit eis, quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertiâ die; & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jeroſolyma, Vos autem teſtes eſtis horum.

Dominica prima poſt Paſcha.

Collecta.

OMnipotens Pater, qui Filium tuum unigenitum dediſti ut pro peccatis noſtris moreretur, & propter juſtificationem noſtram reſurgeret, concede ut abjecto militiæ & nequitiæ fermento, in puritate vitæ & veritate ſemper tibi ſerviamus, per merita ejuſdem Filii tui Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

Epiſtola. 1 S. Joan. v. 4.

OMne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum: & hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra. Quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Jeſus eſt Filius Dei? Hic eſt, qui venit per aquam & ſanguinem, Jeſus Chriſtus: non in aqua ſolum: ſed in aqua & ſanguine. Et ſpiritus eſt, qui teſtificatur: quoniam Chriſtus eſt veritas: quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo: Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres, unum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, & aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt. Si teſtimonium hominum accipimus: teſtimonium Dei majus eſt, quoniam hoc eſt teſtimonium Dei quod majus eſt, quoniam teſtificatus eſt de Filio ſuo. Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe. Qui non credit filio, mendacem facit eum, quia non credit in teſtimonium quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo. Et hoc teſtimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita, in Filio ejus eſt: qui habet Filium Dei: habet vitam: qui non habet Filium Dei, vitam non habet.

Evangelium. S. Joan. xx. 19.

CUM ſero eſſet die illo, una Sabbathorum, & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati propter metum Judæorum; venit Jeſus, & ſtetit in medio, & dixit eis: pax

pax vobis. Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus. Gaviſi ſunt ergo diſcipuli viſo domino : dixit ergo eis iterum, pax vobis : ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos, & hoc cùm dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis : accipite Spiritum Sanctum : quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.

Dominica ſecunda poſt Paſcha.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui filium tuum unigenitum dediſti ut eſſet nobis & ſacrificium pro peccato, & exemplum piæ vitæ,da ut gratiſſimis mentibus illud ipſius ineſtimabile in nos collatum beneficium accipiamus, vitæque illius ſanctiſſimæ beata veſtigia indeſinenter ſequi ſtudeamus, per eundem Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. 1 S. Pet, ij. 19.

HÆC eſt gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens injuſtè. Quæ enim eſt gratia, ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis ? Sed ſi benefacientes patienter ſuſtinetis,hæc eſt gratia apud Deum. In hoc enim vocati eſtis : quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus, Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus. Qui cùm malediceretur, non maledicebat : cùm pateretur non comminabatur : tradebat autem judicanti ſe injuſtè, qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum : ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus ; cujus livore ſanati eſtis. Eratis enim ſicut oves errantes : ſed converſi eſtis nunc ad Paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum.

Evangelium. S. Joan. x. 11.

DIxit Jeſus, Ego ſum Paſtor bonus ; bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Mercenarius autem & qui non eſt Paſtor cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit : & lupus rapit, & diſpergit oves. Mercenarius autem fugit quia mercenarius eſt ; & non pertinet ad eum de ovibus. Ego ſum bonus Paſtor ; & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ. Sicut novit me Pater, & ego agnoſco Patrem : & animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili : & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus Paſtor.

Dominica tertia poſt Paſcha.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui in errore verſantibus veritatis tuæ lumen oſtendis, ut in juſtitiæ viam redeant, concede omnibus qui in Chriſtianæ Religionis ſocietatem admiſſi ſunt, ut ea omnia repudient, quæ profeſſioni ſuæ adverſantur,

tur, verò omnia ipſi quæ ſunt congrua ſectentur, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. *Amen.*

Epiſtola. 1 S. Pet. ij. 11.

CHariſſimi, obſecro vos tanquam advenas, & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam, converſationem veſtram inter Gentes habentes bonam: ut in eo, quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis. Subjecti igitur eſtote omni humanæ Creaturæ propter Deum. Sive Regi, quaſi præcellenti, ſive ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei, ut benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: Quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſervi Dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite. Deum timete. Regem honorificate.

Evangelium. S. Joan. xvi. 16.

DIxit Jeſus Diſcipulis ſuis, modicum, & jam non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me; quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo ex diſcipulis ejus ad invicem; quid eſt hoc quod dicit nobis, modicum, & non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem? Dicebant ergo, quid eſt hoc quod dicit modicum? Neſcimus quid loquitur. Cognovit autem Jeſus, quia volebant eum interrogare: & dixit eis; De hoc quæritis inter vos, quia dixi, modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me. Amen, Amen, dico vobis quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus; cùm autem peperierit puerum, jam non meminit preſſuræ, propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis, iterum autem videbo vos, [& gaudebit cor veſtrum: & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.

Dominica quarta poſt Paſcha.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui ſolus potes regere immorigeras hominum peccatorum voluntates & affectus, da populo tuo amare quod præcipis, idque optare quod promittis, ut inter varias multiplicéſque, mundi mutationes, corda noſtra ibi tutò fixa ſint, ubi gaudia vera repoſita ſunt, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. S. Jacob. i. 17.

OMne datum optimum, & omne donum perfectum, de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Voluntariè enim genuit nos verbo veritâ-

ritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus. Scitis fratres mei dilectiſſimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri, juſtitiam Dei non operatur: Propter quod abiicientes omnem immunditiam & abundantiam militiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras.

Evangelium. S. Joan. xvj. 5.

DIxit Jeſus diſcipulis ſuis, nunc vado ad eum, qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? ſed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam. Si enim ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me. De juſtitia verò; quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me. De judicio autem; quia princeps hujus mundi jam judicatus eſt. Adhuc habeo multa vobis dicere: ſed non poteſtis portare modo; cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à ſemetipſo: ſed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt annunciabit vobis. Ille me glorificabit quia de meo accipiet & annunciabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipit, & annunciabit vobis.

Dominica quinta poſt Paſcha.

Collecta.

DOmine, à quo bona cuncta procedunt, largire nobis ſupplicibus famulis tuis, ut quæ vera ſunt, ea, afflante ſancto tuo ſpiritu, cogitemus, & te clementer regente, eadem præſtemus, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. *Amen.*

Epiſtola. S. Jacob. i. 22.

EStotes factores verbi, & non auditores tantum; fallentes voſmetipſos. Quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo. Conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit. Qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliviosus factus, ſed factor operis: hic beatus in facto ſuo erit, Si quis autem putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum: hujus vana eſt religio. Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc eſt: viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum: & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.

Evangelium. S. Joan. xvi. 23.

AMen, amen, dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Uſque modo non petiſtis quicquam in nomine meo; petite, & accipietis; ut gaudium veſtrum ſit plenum. Hæc in proverbiis locutus ſum vobis: venit hora cùm jam non in proverbiis loquar vobis, ſed palam de Patre annunciabo vobis in illo die, in nomine meo petetis, & non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis quia ego à Deo exivi. Exivi à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Dicunt ei diſcipuli ejus, Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis. Nunc ſcimus quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi ut quis te interroget, in hoc credimus quia à Deo exiſti. Reſpondit eis Jeſus, modo creditis? Ecce venit hora, & jam venit, ut diſpergamini unuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis: & tamen non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt. Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum.

Dies Aſcenſionis Domini.

Collecta.

COncede, quæſumus omnipotens Deus, ut qui Jeſum Chriſtum Filium tuum unigenitum in cœlos aſcendiſſe credimus, ipſi quoque corde ac mente illuc aſcendamus, & cum eo perpetuò habitemus, qui vivit & regnat unà tecum, & cum Spiritu Sancto unus Deus, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Pro Epiſtola. Act. i. 1.

PRimum ſermonem feci de omnibus ô Theophile, quæ cœpit Jeſus facere & docere, uſque in diem qua præcipiens Apoſtolis per Spiritum Sanctum, quos elegit, aſſumptus eſt: quibus & præbuit ſeipſum vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei. Et conveſcens, præcipit eis, ab Jeroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem patris, quam audiſtis (inquit) per os meum, quia Joannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies. Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes; Domine, ſi in tempore hoc reſtitues Regnum Iſrael? Dixit autem eis: Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate: ſed accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ. Et cum hæc dixiſſet, videntibus illis elevatus eſt; & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Cúmque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt juxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt, viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic Jeſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.

Evan-

Evangelium. S. Marc. xvi. 14.

NOviſſime recumbentibus illis undecim apparuit; & exprobravit incredulitatem eorum & duritiam cordis; quia iis qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt. Et dixit eis; Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit, qui verò non crediderit; condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo Dæmonia ejicient: linguis loquentur novis. Serpentes tollent; Et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent: & bene habebunt. Et Dominus quidem Jeſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedit à dextris Dei. Illi autem profecti prædicaverunt ubique; Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.

Dominica poſt Aſcenſionem.

Collecta.

DEus Rex gloriæ, qui Jeſum Chriſtum Filium tuum unigenitum cum ingenti triumpho in Regnum tuum cœleſte exaltaſti, nos omni conſolatione deſtitutos quæſumus ne relinque, ſed Sanctum tuum Spiritum mitte nobis, qui nos conſoletur, quique nos evehat ad eandem gloriam ad quam prior aſcendit Servator noſter Chriſtus, qui vivit & regnat unà tecum, & cum Spiritu Sancto, unus Deus in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Epiſtola. 1 S. Pet. iv. 7.

OMnium finis appropinquavit. Eſtote itaque prudentes; & vigilate in orationibus. Ante omnia autem, mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum: hoſpitales invicem ſine murmuratione, unuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes: ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur quaſi Sermones Dei: ſiquis miniſtrat tanquam ex virtute, quam adminiſtrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per Jeſum Chriſtum cui eſt gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Evangelium. S. Joan. xv. 26.

CUM venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit: ille teſtimonium perhibebit de me: & vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis. Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini. Abſque Synagogis facient vos; ſed venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitratur obſequium ſe præſtare Deo, & hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem neque me. Sed hæc locutus ſum vobis: ut cùm venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.

Dies Pentecoſtes.

Collecta.

DEus qui quaſi hoc tempore fidelis populi tui corda docuiſti, ſancti Spiritus tui lumine in nos immiſſo, da nobis per eundem ſpiritum in omnibus recta ſapere, & in ejus ſancta conſolatione ſemper lætari, per merita Jeſu Chriſti Servatoris noſtri qui vivit & regnat tecum in unitate ejuſdem ſpiritus, unus Deus, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Pro Epiſtola. Act. ij. 1.

CUM complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus eſt repentè de cœlo ſonus: tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum: Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout ſpiritus dabat eloqui illis. Erant autem in Jeruſalem habitantes, Judæi, viri religioſi ex omni natione quæ ſub cœlo eſt. Facta autem hâc voce, convenit multitudo, & mente confuſa eſt quoniam audiebat unuſquiſque lingua ſua illos loquentes. Stupebant autem omnes & mirabantur, dicentes: Nonne, ecce, omnes iſti, qui loquuntur Galilæi ſunt? Et quomodo nos audimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus? Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Judæam & Cappadociam, Pontum & Aſiam, Phrygiam & Pamphyliam, Ægyptum & partes Libyæ, quæ eſt circa Cyrenem & advenæ Romani. Judæi quoque, & Proſelyti, Cretes, & Arabes: audimus eos loquentes linguis noſtris magnalia Dei.

Evangelium. S. Joh. xiv. 15.

JEſus dixit diſcipulis ſuis, ſi diligitis me mandata mea ſervate. Et ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis quem mundus non poteſt accipere: quia non videt eum, nec ſcit eum. Vos autem cognoſcetis eum; quia apud vos manebit, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos, adhuc modicum, & mundus me jam non videt. Vos autem videtis me; quia ego vivo, & vos vivetis. In illo die vos cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mandata mea, & ſervat ea: ille eſt qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Dicit ei Judas, non ille Iſcariotes, Domine quid factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo? Reſpondit Jeſus, & dixit ei, ſi quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum. Et ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus: Qui non diligit me; ſermones meos non ſervat. Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus, ſed

ſed ejus qui miſit me, Patris. Hæc locutus ſum vobis, apud vos manens. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor veſtrum, neque formidet. Audiſtis quia ego dixi vobis, vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem; quia Pater major eſt me. Et nunc dixi vobis priuſquam fiat; ut cum factum fuerit credatis. Jam non multa loquar vobiſcum. Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam. Sed ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.

Feria ſecunda poſt Pentecoſten.

Collecta.

DEus qui quaſi hoc tempore fidelis populi tui corda docuiſti, ſancti Spiritus tui lumine in eos immiſſo, da nobis per eundem ſpiritum, in omnibus recta ſapere, & in ejus ſancta conſolatione ſemper lætari, per merita Jeſu Chriſti Servatoris noſtri, qui vivit & regnat tecum, in unitate ejuſdem Spiritus, unus Deus in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Pro Epiſtola. Act. x. 34.

APeriens Petrus os ſuum dixit; in veritate comperi quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi. Verbum miſit Deus Filiis Iſrael annuncians pacem per Jeſum Chriſtum (hic eſt omnium Dominus) vos ſcitis quod factum eſt verbum per univerſam Judæam, incipiens enim à Galilæa, poſt Baptiſmum, quod prædicavit Joannes. Jeſum à Nazareth quomodo unxit eum Deus Spiritu ſancto & virtute, qui pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos ſumus teſtes omnium quæ fecit in regione Judæorum, & Jeruſalem, quem occiderunt ſuſpendentes in ligno. Hunc Deus ſuſcitavit tertiâ die; & dedit eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus præordinatis a Deo, nobis qui manducavimus & bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit a mortuis. Et præcepit nobis prædicare, & teſtificari quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt a Deo judex vivorum & mortuorum. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum: Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum, & obſtupuerunt ex circumciſione fideles, qui venerant cum Petro; quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt: audiebant enim illos

loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc reſpondit Petrus, nunquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, ſicut & nos? Et juſſit eos Baptizari in nomine Domini Jeſu Chriſti. Tunc rogaverunt eum ut maneret apud eos aliquot diebus.

Evangelium. S. Joan iij. 16.

SIC Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Qui credit in eum non judicatur: qui autem non credit jam judicatus eſt, quia non credidit in nomine unigeniti Filii Dei. Hoc eſt autem judicium; quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem; erant enim eorum mala opera: omnis enim qui malè agit, odit lucem & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo ſunt facta.

Feria tertia poſt Pentecoſten.

Collecta.

DEus, qui quaſi hoc tempore fidelis populi tui corda docuiſti, Sancti Spiritus tui lumine in eos immiſſo, da nobis per eundem Spiritum in omnibus recta ſapere, & in ejus ſancta conſolatione ſemper lætari, per merita Jeſu Chriſti Servatoris noſtri, qui vivit & regnat tecum; in unitate ejuſdem Spiritus, unus Deus, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Pro Epiſtola. Act. viij. 14.

CUM audiſſent Apoſtoli, qui erant in Jeroſolymis, quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem. Qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum: Nondum enim in quemquam eorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.

Evangelium. S. Joan. x. 1.

AMen, amen, dico vobis: qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde; ille fur eſt & latro. Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ovium. Huic oſtiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt: & proprias oves vocat nominatim & educit eas. Et cùm proprias oves emiſerit, ante eas vadit: & oves illum ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus. Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum. Hoc proverbium dixit eis Jeſus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Jeſus, Amen, amen, dico vobis, quia ego ſum oſtium ovium. Omnes quotquot venerunt, fures ſunt & latrones: ſed non audierunt eos oves. Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabi-

tur:

tur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet. Fur non venit, niſi ut furetur & mactet & perdat. Ego veni ut vitam habeant, abundantius habeant.

Dominica Trinitatis.

Collecta.

OMnipotens & æterne Deus, qui nobis famulis tuis gratiam largitus es ad cognoſcendam in confeſſione, veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam. & ad adorandam, in potentia divina Majeſtatis unitatem; quæſumus ut in ejuſdem fide firmitate tuo beneficio permanentes, ab omnibus adverſis nos immunes ſemper præſtare velis, qui vivis & regnas unus Deus, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Pro Epiſtola. Apocal. iv. 1.

POſt hæc vidi; & ecce oſtium apertum in cœlo; & vox prima quam audivi tanquam tubæ loquentis mecum, dicens, aſcende huc, & oſtendam tibi quæ oportet fieri poſt hæc, & ſtatim fui in ſpiritu: & ecce ſedes erat poſita in cœlo, & ſupra ſedem ſedens. Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis iaſpidis & ſardii: Et iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſioni ſmaragdinæ. Et in circuitu ſedis, ſedilia viginti quatuor: & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes, circum-amicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ. Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua: & ſeptem lampades ardentes ante thronum, quæ ſunt ſeptem ſpiritus Dei. Et in conſpectu ſedis, tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo, & in medio ſedis, & in circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis ante & retro. Et animal primum, ſimile leoni: & ſecundum animal ſimile vitulo; & tertium animal, habens faciem quaſi hominis: & quartum animal, ſimile aquilæ volanti. Et quatuor animalia ſingula eorum habebant alas ſenas: & in circuitu & intus plena ſunt oculis, & requiem non habebant die ac nocte dicentia; ſanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt. Et cùm darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum, viventi in ſæcula ſæculorum, procidebant viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viventem in ſæcula ſeculorum & mittebant coronas ſuas ante thronum dicentes: dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata ſunt.

Evangelium. S. Joan. iij. 1.

ERat homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jeſum nocte. & dixit ei; Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Reſpondit Jeſus, & dixit ei, Amen, amen, dico tibi niſi quis natus

fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus; quomodo poteſt homo naſci cùm ſit ſenex? Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterum introire, & renaſci? Reſpondit Jeſus; Amen, amen, dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Non mireris quia dixi tibi, oportet vos denuo naſci. Spiritus ubi vult ſpirat; & vocem ejus audis, ſed neſcis unde veniat aut quo vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu. Reſpondit Nicodemus & dixit ei: quomodo poſſunt hæc fieri? Reſpondit Jeſus, & dixit ei, Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras? Amen, amen, dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis. Si terrena dixi vobis & non creditis: quomodo, ſi dixero vobis cœleſtia, credetis? Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo. Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet Filium hominis; ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Dominica prima poſt Trinit.

Collecta.

DEus omnium in te ſperantium fortitudo, precibus noſtris adeſto propitius: & quia ſine te nihil boni præſtare poteſt mortalis infirmitas, gratiæ tuæ auxilium nobis largire, ut in exequendis mandatis tuis, & voluntate. & factis tibi acceptiſimus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. 1 S. Joan. iv. 7.

CHariſſimi, diligamus nos invicem; quia Charitas ex Deo eſt. Et omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum: qui non diligit non novit Deum, quoniam Deus charitas eſt. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc eſt charitas; non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ille prior dilexit nos, & miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Chariſſimi, ſi ſic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit unquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet: Et charitas ejus in nobis perfecta eſt. In hoc cognoſcimus quòd in eo manemus, & ipſe in nobis: quoniam de Spiritu ſancto ſuo dedit nobis. Et nos vidimus & teſtificamur, quoniam Pater miſit Filium ſuum ſalvatorem mundi. Quiſquis confeſſus fuerit quoniam Jeſus eſt Filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo. Et nos cognovimus, & credidimus charitati quam habet Deus in nobis: Deus charitas eſt; & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta eſt Charitas Dei nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die judicii: quia ſicut ille eſt & nos ſumus in hoc mundo. Timor

mor non eſt in charitate; ſed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet; qui autem timet non eſt perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deum: quoniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt: Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo: ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.

Evangelium. S. Luc. xvi. 19.

HOmo quidam erat dives, qui induebatur purpurâ, & byſſo; & epulabatur quotidiè ſplendidé. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat: ſed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus. Factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno. Elevans autem oculos ſuos cum eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu ejus: Et ipſe clamans dixit: Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti ſui in aquam ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hâc flammâ. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepiſti bona in vitâ tuâ, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris. Et in his omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt: ut hi qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare. Et ait, Rogo ergo te, Pater, ut mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: habent Moyſen & Prophetas, audiant illos. At ille dixit; Non, Pater Abraham: ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos pœnitentiam agent. Ait autem illi, ſi Moyſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexit, credent.

Dominica ſecunda poſt Trin.

Collecta.

DOmine, qui eos ſemper juvas ac dirigis, quos in ſolido tui timore & amore inſtituere dignaris; Cuſtodi nos, quæſumus, bonæ providentiæ tuæ clypeo munitos, & ſancti tui nominis timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. 1 S. Joan. iij. 13.

NOlite mirari fratres, ſi odit vos mundus. Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam

æternam in ſemetipſo manentem. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque linguâ, ſed opere & veritate. In hoc cognoſcimus, quoniam ex veritate ſumus: & in conſpectu ejus ſuadebimus corda noſtra. Quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrum: major eſt Deus corde noſtro, & novit omnia. Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Et quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo, facimus. Et hoc eſt mandatum ejus; ut credamus in nomine Filii ejus Jeſu Chriſti: & diligamus alterutrum, ſicut dedit mandatum nobis. Et qui ſervat mandata ejus in illo manet; & ipſe in eo, & in hoc ſcimus quoniam manet in nobis, de ſpiritu quem dedit nobis.

Evangelium. S. Luc. xiv. 16.

Homo quidam fecit cœnam magnam; & vocavit multos. Et miſit ſervum ſuum horâ cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata ſunt omnia. Et cœperunt omnes ſimul excuſare. Primus dixit ei, villam emi: & neceſſe habeo exire, & videre illam. Rogo te habe me excuſatum. Et alter dixit, juga boum emi quinque: & eo probare illa: rogo te habe me excuſatum. Et alius dixit, uxorem duxi; & ideo non poſſum venire. Et reverſus ſervus nunciavit hæc Domino ſuo. Tunc iratus Paterfamilias, dixit ſervo ſuo, exi cito in plateas & vicos civitatis: & pauperes, ac debiles & cœcos, & claudos introduc huc. Et ait ſervus: Domine, factum eſt ut imperaſti: & adhuc locus eſt. Et ait Dominus ſervo: Exi in vias & ſepes: & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.

Dominica tertia poſt Trin.

Collecta.

Quæſumus Domine, ut nos clementer exaudias, & ut nobis quibus tibi ſupplicandi ſincerum affectum ingenerasti, potentis tuæ defenſionis in periculis ac rebus adverſis omnibus auxilium pariter atque conſolationem indulgeas, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. 1. S. Pet. v. 5.

Adoleſcentes, ſubditi eſtote ſenioribus. Omnes autem invicem humilitatem inſinuate, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis, omnem ſolicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi

ipſi cura eſt de vobis. Sobrii eſtote & vigilate: quia adverſarius veſter Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. Cui reſiſtite fortes in fide: ſcientes eandem paſſionem ei, quæ in mundo eſt, veſtræ fraternitati fieri. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Jeſu, modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque, ipſi gloria & imperium in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Evangelium. S. Luc. xv. 1.

ERant autem appropinquantes ei Publicani, & peccatores; ut audirent illum. Et murmurabant Phariſæi, & Scribæ, dicentes, quia hic peccatores recipit & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam iſtam dicens: Quis ex vobis homo qui habet centum oves: & ſi perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginſta novem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam? Et cùm invenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens: & veniens domum convocat amicos, & vicinos, dicens illis: congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. Dico vobis quod ita gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentiâ. Aut quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat eam? Et cum inveniat convocat amicas, & vicinas, dicens, congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.

Dominica quarta poſt Trinit.

Collecta.

PRotector omnium in te ſperantium Deus, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum, adauge & multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, ut te rectore, te duce, ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Hæc concede, ô Pater cœleſtis, propter Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Rom. viij. 18.

EXiſtimo quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis. ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ revelationem Filiorum Dei expectat: Vanitati enim creatura ſubjecta eſt, non volens, ſed propter eum, qui ſubjecit eam in ſpe: Quia & ipſa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc: Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem Filiorum Dei expectantes redemptionem corporis noſtri.

Evan-

Evangelium. S. Luc. vi. 36.

ESTote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Nolite judicare, & non judicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini. dimittite & dimittemini. Date & dabitur vobis: menſuram bonam, & confertam, & agitatam, & ſuperefluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eadem quippe menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis. Dicebat autem illis & ſimilitudinem: Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in ſoveam cadent? Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum: perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter ejus. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui: trabem autem quæ in oculo tuo eſt, non conſideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: frater, ſine ejiciam feſtucam de oculo tuo: ipſe in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo: & tunc perſpicies ut educas feſtucam de oculo fratris tui.

Dominica quinta poſt Trinit.

Collecta.

DA nobis, quæſumus, Domine, ut hujus mundi curſus ita pacificè tuâ gubernatione dirigatur, ut Eccleſia tua tibi alacriter in piâ quiete famuletur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. 1 S. Pet. iij. 8.

OMnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, & humiles: non reddentes malum pro malo: nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes: quia in hoc vocati eſtis, ut benedictionem hæreditate poſſideatis. Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos; Coerceat linguam ſuam à malo, & labia ejus ne loquantur dolum; delcinet à malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & ſequatur eam; Quia oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini ſuper facientes mala: Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis? Sed & ſi quid patimini propter juſtitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini. Dominum autem Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris.

Evangelium. S. Luc. v. 1.

FActum eſt cùm turbæ irruerent in eum ut audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth. Et vidit duas naves ſtantes ſecus ſtagnum: piſcatores autem deſcenderant, & lavabant retia. Aſcendens autem in unam navim quæ erat Simonis, rogavit eum à terra reducere puſillum. Et ſedens docebat de navicula turbas. Ut ceſſavit autem loqui, dixit ad Simonem, duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam. Et reſpondens Simon dixit illi, Præceptor, per totam noctem labo-

laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam, rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt ſociis qui erant in alia navi, ut venirent & adjuvarent eos. Et venerunt & impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur. Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Jeſu, dicens: Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine. Stupor enim circumdederat eum & omnes qui cum illo erant in capturâ piſcium quam ceperant: Similiter autem Jacobum & Joannem filios Zebedæi, qui erant ſocii Simonis. Et ait ad Simonem Jeſus, noli timere: Ex hoc jam homines eris capiens; & ſubductis ad terram navibus, relictis omnibus, ſecuti ſunt eum.

Dominica ſexta poſt Trinit.

Collecta.

DEus, qui diligentibus te bona quæ captum humanum ſuperant præparaſti, tam eximium tui amorem cordibus noſtris infunde ut te ſuper omnia diligentes, promiſſiones tuas, quæ omne deſiderium ſuperant, conſequamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Rom. vj. 3.

AN ignoratis fratres, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem: ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus; ſimul & reſurrectionis erimus. Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, ut ultra non ſerviamus peccato. Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato. Si autem mortui ſumus cum Chriſto: credimus quia etiam ſimul vivemus cum Chriſto: ſcientes quod Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato: viventes autem Deo, in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

Evangelium. S. Matth. v. 20.

DIco enim vobis, quia niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam ſcribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Audiſtis quia dictum eſt antiquis, non occides, qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te; Relinque ibi munus tuum ante altare, vade, & prius reconciliare fratri tuo: & tunc veniens

ens offeres munus tuum. Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in via cum eo: ne forte tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde donec reddas noviſſimum quadrantem.

Dominica ſeptima poſt Trinit.

Collecta.

DEus virtutum & omnis fortitudinis, bonorum omnium author & largitor, cordidus noſtris amorem nominis tui inſere; veræ religionis incrementum in nobis promove, iis quæ bona ſunt nos innutri, & innutritos clementiſſimè cuſtodi, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Rom. vj. 19.

HUmanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ, ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: Ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ, in ſanctificatione. Cum enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ. Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt. Nunc vero liberati à peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam. Stipendia enim peccati mors. Gratia autem Dei, vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

Evangelium. S. Marc. viij. 1.

IN diebus illis cum turba multa eſſet, nec haberent quod manducarent: convocatis diſcipulis, ait illis Jeſus. Miſereor ſuper turbam: quia ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent. Et ſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt. Et reſponderunt ei diſcipuli ſui, unde illos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine? Et interrogavit eos, quot panes habetis? Qui dixerunt ſeptem. Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram. Et accipiens ſeptem panes, gratias agens fregit: & dabat diſcipulis ſuis ut apponerent, & poſuerunt turbæ. Et habebant piſciculos paucos: & ipſos benedixit & juſſit apponi, & manducaverunt, & ſaturati ſunt; & ſuſtulerunt quod ſuperfuerat de fragmentis ſeptem ſportas. Erant autem qui manducaverant, quaſi quatuor millia; & dimiſit eos.

Dominica octava poſt Trinit.

Collecta.

DEus, cujus nunquam deficiens providentia cuncta moderatur tam in cœlo quàm in terra, te ſupplices rogamus ut noxia omnia à nobis avertas, & omnia profutura, nobis largiaris, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola.

Epiſtola. Rom. viij. 12.

FRatres, debitores ſumus: non carni, ut ſecundum carnem vivamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicunque enim ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt Filii Dei. Non enim accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore: ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis Filiorum Dei in quo clamamus Abba, (Pater.) Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſumus Filii Dei. Si autem Filii: & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.

Evangelium. S. Matth. vij. 15.

ATtendite à falſis prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Nunquid de ſpinis colligunt uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit, non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidêtur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt.

Dominica nona poſt Trinit.

Collecta.

LArgire nobis quæſumus, Domine, ſpiritum cujus ope ea ſemper, & cogitare, & agere quæ recta ſunt poſſimus, ut qui ſine te recti quicquam facere non poſſumus per te juxta voluntatem tuam vivere valeamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. 1 Cor. x. 1.

NOlo vos ignorare fratres, quoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt. Et omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari; & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. (Bibebant enim de ſpirituali conſequente eos, Petra: Petra, autem erat Chriſtus) Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo: Nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figurâ facta ſunt noſtri, ut non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt. Neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis: quemadmodum ſcriptum eſt: ſedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt una die viginti tria millia: Neque tentemus Chriſtum: ſicut quidam eorum tentaverunt, & à ſerpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, ſicut quidam

dam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in ſigurâ contingebant illis: ſcripta autem ſunt ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerunt. Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendit, niſi humana. Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari, ſupra id quod poteſtis: ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.

Evangelium. S. Luc. xvj. 1.

DIcebat Jeſus ad diſcipulos ſuos: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum: & hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius. Et vocavit illum, & ait illi. Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra ſe: quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubeſco. Scio quid faciam; ut cùm amotus fuero à villicatione recipiant me in domos ſuas. Convocatis itaque ſingulis debitoribus Domini ſui, dicebat primo, quantum debes Domino meo? At ille dixit, centum cados olei, dixitque illi, accipe cautionem tuam: & ſede cito; ſcribe quinquaginta. Deinde alii dixit. Tu verò quantum debes? Qui ait, centum choros tritici. Ait illi, accipe literas tuas, & ſcribe octoginta. Et laudavit Dominus villicum iniquitatis; quia prudenter feciſſet: quia filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt. Et ego vobis dico, facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Dominica decima poſt Trinit.

Collecta.

PAteant aures miſericordiæ tuæ Domine, precibus ſupplicantium famulorum tuorum, & ut petita conſequantur, fac eos quæ tibi accepta ſunt poſtulare, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. 1 Cor. xij. 1.

DE ſpiritualibus, nolo vos ignorare fratres. Scitis quoniam cum gentes eſſetis ad ſimulachra muta prout ducebamini euntes. Ideò notum vobis facio quod nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit Anathema Jeſum. Et nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto. Diviſiones vero gratiarum ſunt: idem autem Spiritus & diviſiones miniſtrationum ſunt: idem autem Dominus. Et diviſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum. Alteri fides in eodem ſpiritu, alii gratia ſanitatum, in uno ſpiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum, hæc autem

tem omnia operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult.

Evangelium. S. Luc. xix. 41.

ET ut appropinquavit videns civitatem flevit ſuper illam, dicens, quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te undique. Et ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ. Et ingreſſus in templum cœpit ejicere vendentes in illo & ementes, dicens illis: Scriptum eſt, quia domus mea domus orationis eſt, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Et erat docens quotidiè in templo.

Dominica undecima poſt Trin.

Collecta.

O Deus, qui omnipotentem virtutem tuam parcendo maximè & miſerendo manifeſtas, eam nobis gratiæ tuæ menſuram clementer impertire, quâ nos in mandatis tuis gnaviter ambulantes, tuas promiſſiones utcunque immeriti conſequamur, & cœleſtis tui theſauri fiamus participes; per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. 1 Cor. xv. 1.

NOtum vobis facio, fratres, Evangelium quod prædicavi vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſalvamini, qua ratione prædicaverim vobis ſi tenetis, niſi fruſtra credidiſtis. Tradidi enim vobis imprimis quod & accepi: quod Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum ſcripturas: Et quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertiâ die ſecundum ſcripturas: & quia viſus eſt Cephæ: & poſt hoc undecim. Deinde viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul: ex quibus multi manent uſque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde viſus eſt Jacobo: deinde Apoſtolis omnibus. Noviſſimè autem omnium, tanquam abortivo, viſus eſt & mihi. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum: quia non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Gratiâ autem Dei ſum id quod ſum: & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem ſed gratia Dei mecum. Sive enim ego, ſive illi: ſic prædicavimus & ſic credidiſtis.

Evangelium. S. Luc. xviij. 9.

DIxit Jeſus ad quoſdam qui in ſe confidebant tanquam juſti, & aſpernabantur cæteros, parabolam iſtam. Duo homines aſcenderunt in templum ut orarent: unus Phariſæus, & alter Publicanus. Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat; Deus gratias ago tibi quia

non

nòn ſum ſicut cæteri hominum, raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Jejuno bis in Sabbatho, decimas do omnium quæ poſſideo. Et Publicanus à longe ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori. Dico vobis, deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo, quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.

Dominica duodecima poſt Trin.

Collecta.

OMnipotens, æterne Deus, qui ſemper promptior es ad audiendum, quàm nos ad orandum, quique vota pariter atque merita ſupplicantium ſuperas, effunde ſuper nos abundantiam miſericordiæ tuæ, ea nobis quæ conſcientia metuit, condonans, atque ea concedens quæ noſtra oratio poſtulare non audet, niſi per merita & mediationem Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Amen.*

Epiſtola. 1 Cor. iij. 4.

FIduciam talem habemus per Chriſtum ad Deum: non quod ſimus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros Novi Teſtamenti, non Literæ, ſed Spiritus. Litera enim occidit, Spiritus autem vivificat. Quod ſi miniſtratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non poſſent intendere filii Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus ejus quæ evacuatur: quomodo non magis miniſtratio Spiritus erit in gloria? Nam ſi miniſtratio damnationis, gloria eſt: multo magis abundat miniſterium juſtitiæ in gloria.

Evangelium. S. Marc. vij. 31.

ITerum exiens Jeſus de finibus Tyri venit per Sidonem ad Mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos: & adducunt ei ſurdum & mutum: & deprecabantur eum ut imponeret illi manum. Et apprehendens eum de turba ſeorſim, miſit digitos ſuos in auriculas ejus: & expuens tetigit linguam ejus: Et ſuſcipiens in cœlum, ingemuit: & ait illi Hephethah, quod eſt adaperire. Et ſtatim apertæ ſunt aures ejus: & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte, & præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat tanto magis plus prædicabant: & eo amplius admirabantur, dicentes, bene omnia fecit, ſurdos fecit audire, & mutos loqui.

Dom. decima tertia poſt Trin.

Collecta.

OMnipotens & miſericors Deus, cujus beneficentia ſola fit, ut fideles tui dignè & laudabiliter tibi ſerviant, nobis tribue quæſumus, ut eam tuo cultui fidelem navemus operam in hac vita, quâ tandem promiſſiones tuas cœleſtes conſequi valeamus, per merita

merita Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

Epiſtola. Galat. iij. 16.

ABrahæ dictæ ſunt promiſſiones; & ſemini ejus. Non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis; ſed quaſi in uno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Hoc autem dico confirmatum teſtamentum à Deo, quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt lex, non irritum facit ad evacuandam promiſſionem. Nam ſi ex lege hæreditas, jam non ex promiſſione. Abrahæ autem per repromiſſionem donavit Deus. Quid igitur lex? Propter transgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſerat: ordinata per Angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius non eſt: Deus autem unus eſt. Lex ergo adverſus promiſſa Dei? Abſit: Si enim data eſſet lex quæ poſſet vivificare, verè ex lege eſſet juſtitia. Sed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus.

Evangelium. S. Luc. x. 23.

BEati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis quod multi prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Et ecce quidam legiſperitus ſurrexit, tentans illum, & dicens, magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo. At ille dixit ad eum, in lege quid ſcriptum eſt? Quomodo legis? Ille reſpondens dixit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum ſicut teipſum. Dixitque illi, rectè reſpondiſti: hoc fac & vives. Ille autem volens juſtificare ſeipſum, dixit ad Jeſum, Et quis eſt meus proximus? Suſcipiens autem Jeſus dixit, homo quidam deſcendebat ab Jeruſalem, ad Jericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum: & plagis impoſitis abierunt ſemimortuo relicto. Accidit autem ut ſacerdos quidam deſcenderet eâdem viâ; & viſo illo præterivit. Similiter & Levita, cùm eſſet ſecus locum, & videret eum pertranſivit. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus eum: & videns eum miſericordiâ motus eſt. Et approprians, alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum: & imponens illum in jumentum ſuum duxit in ſtabulum, & curam ejus egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait, Curam illius habe, & quodcunque ſupererogaveris, ego cùm rediero, reddam tibi. Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi qui incidit in latrones? At ille dixit, qui fecit miſericordiam in illum. At ait illi Jeſus, vade, & tu fac ſimiliter.

Dom. decima quarta poſt Trin.

Collecta.

OMnipotens æterne Deus, da nobis fidei, ſpei & charitatis incrementa: atque ut ea quæ

quæ promittis aſſequi valeamus, fac ea nos amare quæ præcipis, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Gal. v. 16.

DIco autem ſpiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur: ut non quæcunque vultis, illa faciatis. Quod ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege: manifeſta ſunt autem opera carnis; quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſentiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequuntur. Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Adverſus hujuſmodi non eſt lex. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.

Evangelium. S. Luc. xvij. 11.

ET factum eſt, dum iret in Jeruſalem, tranſibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cùm ingrederetur quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt à longè: & levaverunt vocem, dicentes, Jeſu præceptor, miſerere noſtri. Quos ut vidit, dixit, ite, oſtendite vos ſacerdotibus. Et factum eſt, dum irent mundati ſunt. Unus autem ex illis ut vidit quia mundatus eſt, regreſſus eſt, cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agere: & hic erat Samaritanus: Reſpondens autem Jeſus, dixit, Nonne decem mundati ſunt? Et novem ubi ſunt? Non eſt inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena, & ait illi, ſurge, vade; quia fides tua te ſalvum fecit.

Dom. decima quinta poſt Trin.

Collecta.

CUſtodi quæſumus, Domine Eccleſiam tuam, miſeratione perpetuâ. Et quia ſine te non poteſt non labi humana fragilitas, gratiæ tuæ auxilium concede nobis, quo ab omnibus noxiis abſtrahamur, & ad cuncta ſalutaria dirigamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Gal. vj. 11.

VIdete qualibus literis ſcripſi vobis meâ manu. Quicunque volunt placere in carne: hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Chriſti perſecutionem non patiantur. Neque enim qui circumciduntur, legem cuſtodiunt: ſed volunt vos circumcidi, ut in carne veſtra glorientur. Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus cru-

crucifixus eſt, & ego mundo. In Chriſto enim Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed nova creatura. Et quicunque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſrael Dei. De cætero nemo mihi moleſtus ſit. Ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro, fratres. *Amen.*

Evangelium. S. Matth. vj. 24.

NEmo poteſt duobus Dominis ſervire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ. Ideò dico vobis, ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis neque corpori veſtro quid induamini. Nonne anima plus eſt quàm eſca, & corpus pluſquam veſtimentum? Reſpicite volatilia cœli quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: Et Pater veſter cœleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis? Quis autem veſtrum cogitans, poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum? Et de veſtimento quid ſoliciti eſtis? Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt, non laborant neque nent. Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni glorià ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis: ſi autem fœnum agri quod hodiè eſt, & cras in clibanum mittitur Deus ſic veſtit quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo ſoliciti eſſe dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum; craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi. Sufficit diei malitia ſua.

Dom. decima ſexta poſt Trin.

Collecta.

ECcleſiam tuam Domine; perpetuo miſericordiæ tuæ ſubſidio mundato & munito: & quia ſine ope tua non poteſt ſalva conſiſtere, tuo ſemper auxilio tuaque bonitate cuſtodiatur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Epheſ. iij. 13.

PEto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra: hujus rei gratia flecto genua mea, ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur: ut det vobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ virtute corroborari per Spiritum ejus in interiori homine, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris in charitate radicati & fundati, ut poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti,

ut

ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Et autem qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quam petimus aut intelligimus, ſecundum virtutem quæ operatur in nobis, ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto Jeſu, in omnes generationes ſæculi ſæculorum. *Amen.*

Evangelium. S. Luc. vij. 11.

ET factum, deinceps ibat Jeſus in civitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo diſcipuli ejus, & turba copioſa. Cùm autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ: & hæc vidua erat: & turba civitatis multa cum illa. Quam cùm vidiſſet Dominus miſericordia motus ſuper eam dixit illi, noli flere. Et acceſſit & tetigit loculum; hi autem qui portabant ſteterunt. Et ait; Adoleſcens, tibi dico ſurge: & reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes, Quia propheta magnus ſurrexit in nobis: & quia Deus viſitavit plebem ſuam. Et exiit hic ſermo in univerſam Judæam de eo, & in omnem circa regionem.

Dom. decima ſeptima poſt Trin.

Collecta.

TUA nos Domine, ſemper gratia præveniat & ſequatur, adeóque bonis omnibus operibus jugiter præſtet intentos, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Epheſ. iv. 1.

OBſecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in charitate, ſoliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ: unus Dominus, una fides, unum baptiſma. Unus Deus & Pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.

Evangelium. S. Luk. xiv. 1.

FActum eſt cùm intraſſet Jeſus in domum cujuſdam principis Phariſæorum Sabbatho manducare panem, & ipſi obſervabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et reſpondens Jeſus dixit ad Legiſperitos, & Phariſæos, dicens, ſi licet Sabbatho curare? At illi tacuerunt. Ipſe verò apprehenſum ſanavit eum, ac dimiſit. Et reſpondens ad illos dixit. Cujus veſtrum Aſinus aut Bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbathi? Et non poterant ad hæc reſpondere illi. Dicebat autem & ad invitatos Parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: cum invitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne fortè honoratior te ſit invitatus ab illo: Et veniens

ens is qui te & illum vocavit, dicat tibi, da huic locum, & tunc incipias cum rubore noviſſimum locum tenere. Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in noviſſimo loco: ut cùm venerit qui te invitavit, dicat tibi, Amice aſcende ſuperiùs. Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus: quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.

Dom. decima octava poſt Trin.

Collecta.

GRatiam eam populo tuo concede quæſumus, Domine, quâ mundi, carnis & Diaboli tentationibus reſiſtere, & te ſolum verum Deum puro affectu puráque mente ſectari poſſit, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. 1 Cor. i. 4.

GRatias ago Deo meo ſemper pro vobis, in gratia Dei quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu, quod in omnibus facti eſtis divites in illo in omni verbo, & in omni ſcientia (ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis) ita ut nihil vobis deſit in ulla gratia expectantibus revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui & confirmabit vos uſque in finem ſine crimine in die adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Evangelium. S. Matth. xxij. 34.

PHariſæi autem audientes quod ſilentium impoſuiſſet Sadducæis, convenerunt in unum: & interrogavit eum unus ex eis, Legis doctor, tentans eum, magiſter quod eſt mandatum magnum in Lege? Ait illi Jeſus, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in toto anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic, diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ. Congregatis autem Phariſæis, interrogavit eos Jeſus dicens; quid vobis videtur de Chriſto? Cujus filius eſt? Dicunt ei, David. Ait illis, quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens, dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus eſt? Et nemo poterat ei reſpondere verbum, neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare.

Dom. decima nona poſt Trin.

Collecta.

QUæſumus Domine, quia tibi ſine te placere non polumus, dirigat corda noſtra in omnibus Sanctus Spiritus tuus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola.

Epistola. Ephes. iv. 17.

HOc igitur dico, & testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ est in illis, propter cœcitatem cordis ipsorum: qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. Vos autem non ita didicistis Christum: si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu, deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestræ: & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cùm proximo suo: quoniam sumus invicem membra. Irascimini & nolite peccare: Sol non occidat super iracundiam vestram: nolite locum dare Diabolo. Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: Sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem sicut & Deus in Christo donavit vobis.

Evangelium. S. Matth. ix. 1.

ASCendens Jesus in naviculam, transfretavit: & venit in civitatem suam, & ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico; confide fili, remittuntur tibi peccata tua: Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se, hic blasphemat. Et cùm vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata tua: An dicere, Surge, & ambula? Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata: tunc ait paralytico, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam: & surrexit, & abiit in domum suam. Videntes autem turba timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

Dominica vigesima post Trin.

Collecta.

OMnipotens ac summe misericors Deus, ab omnibus noxiis clementi tua bonitate, nos protege; ut mente juxta atque corpore expediti, ea quæ fieri vis, alacriter exequamur, per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola.

Epiſtola. Epheſ. v. 15.

VIdete itaque fratres quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes: ſed ut ſapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Propterea nolite fieri imprudentes: ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino in quo eſt luxuria, ſed impleamini Spiritu ſancto. Loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino: gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Deo & Patri; ſubjecti invicem, in timore Chriſti.

Evangelium. S. Matth. xxij. 1.

REſpondens Jeſus, dixit iterum in parabolis eis, dicens; Simile factum eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo, & miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias: & nolebant venire. Iterum miſit alios ſervos dicens, Dicite invitatis, Ecce prandium meum paravi; tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata, venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam ſuam, alius vero ad negotiationem ſuam: reliqui vero tenuerunt ſervos ejus, & contumeliis affectos occiderunt. Rex autem cùm audiſſet iratus eſt, & miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos & civitatem illorum ſuccendit. Tunc ait ſervis ſuis, nuptiæ quidem paratæ ſunt: ſed qui invitati erant non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum: & quoſcunque inveneritis, vocate ad nuptias. Et egreſſi ſervi ejus in vias congregaverunt omnes quos invenerunt malos & bonos: & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium. Intravit autem rex ut videret diſcumbentes: & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali. Et ait illi, Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex miniſtris, ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium. Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.

Domin. vigeſim. prima poſt Trin.

Collecta.

LArgire quæſumus, miſericors Domine, fidelibus tuis veniam ac pacem, ut ab omnibus peccatis mundati, ſecurâ tibi mente deſerviant, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Epheſ. vi. 10.

DE cætero fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli; quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem: Sed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. Propterea accipite armaturam

turam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis: in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Et galeam ſalutis aſſumite; & gladium ſpiritus (quod eſt Verbum Dei) per omnem orationem & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu: & in ipſo vigilantes in omni inſtantia, & obſecratione pro omnibus ſanctis: & pro me; ut detur mihi ſermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere myſterium Evangelii; pro quo legatione fungor in catenâ, ita ut in ipſo audeam, prout oportet me, loqui.

Evangelium. S. Joan. iv. 46.

ERat quidam regulus cujus filius infirmabatur Capharnaum. Hic cùm audiſſet quia Jeſus adveniret à Judæa in Galilæam, abiit ad eum: & rogabat eum, ut deſcenderet & ſanaret filium ejus: Incipiebat enim mori. Dixit ergo Jeſus ad eum; Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. Dicit ad eum regulus. Domine deſcende, priuſquam moriatur filius meus. Dicit ei Jeſus, vade, filius tuus vivit. Credidit homo ſermoni quem dixit ei Jeſus, & ibat; jam autem eo deſcendente, ſervi occurrerunt ei, & nunciaverunt. dicentes quia filius ejus viveret, Interrogabat ergo horam ab eis in qua melius habuerit; & dixerunt ei, quia heri horâ ſeptimâ reliquit eum febris. Cognovit ergo Pater quia illa hora erat in qua dixit ei Jeſus, Filius tuus vivit; & credidit ipſe & domus ejus tota. Hoc iterum ſecundum ſignum fecit Jeſus, cùm veniſſet à Judæa in Galilæam.

Dominica vigeſima ſecunda poſt Trinitat.

Collecta.

ECcleſiam familiam tuam, quæſumus Domine, in continua pietate cuſtodi, ut ab omnibus adverſis, te protegente, ſit libera, & ad tibi ſerviendum in bonis operibus devota, ad tui nominis gloriam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Philip. i. 3.

GRatias ago Deo meo in omni memoria veſtri, (ſemper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens) ſuper communicatione veſtra in Evangelio Chriſti à prima die uſque nunc: Confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu; ſicut eſt mihi juſtum hoc ſentire pro omnibus vobis: eò quod habeam vos in corde & in vinculis meis, & in defenſione, & confirmatione Evangelii ſocios gaudii mei omnes vos eſſe. Teſtis enim mihi eſt Deus quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Jeſu Chriſti: & hoc oro, ut charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu:

ut

ut probetis potiora, ut sitis sinceri & sine offensa in diem Christi, repleti fructu justitiæ, per Jesum Christum in gloriam & laudem Dei.

Evangelium, S. Matth. xviij. 21.

PEtrus dixit ad Jesum. Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Usque septies? Dixit illi Jesus, non dico tibi usque septies. sed usque septuagies septies. Ideò assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis, Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta. Cùm autem non haberet unde redderet, jussit eum Dominus ejus venundari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem servus ille, orabat eum dicens, patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus servi illius dimisit eum, & debitum dimisit ei. Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum, dicens, redde quod debes. Et procidens conservus ejus rogabat eum, dicens, patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit; sed abiit, & misit eum in carcerem donec redderet debitum. Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valdè; & venerunt, & narraverunt Domino suo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocavit illum Dominus suus, & ait illi, serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoad usque redderet ei universum debitum. Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Domin. vigesim. tertia post Trin.

Collecta.

DEus nostrum refugium & virtus, omnis bonitatis author, piis quæsumus Ecclesiæ tuæ precibus adesto propitius, ac præsta ut quæ fideliter petimus ea efficaciter consequamur, per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Epistola. Phil. iij. 17.

IMitatores mei estote, fratres: & observate eos, qui ita ambulant sicut habetis formam nostram: multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis, interitus: quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum: qui terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in cœlis est, unde etiam salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ secundum operationem virtutis suæ, qua etiam possit subjicere sibi omnia.

Evangelium. S. Matth. xxij. 15.

TUnc abeuntes Phariſæi conſilium inierunt ut caperent eum in ſermone. Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes: Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo; non enim reſpicis perſonam hominum: Dic ergo nobis quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæſari an non? Cognitâ autem Jeſus nequitiâ eorum, ait, Quid me tentatis hypocritæ? Oſtendite mihi numiſma cenſus. Ac illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jeſus, Cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Dicunt ei, Cæſaris. Tunc ait illis, reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Et audientes mirati ſunt; & relicto eo abierunt.

Domin. vigeſim. quarta poſt Trin.

Collecta.

POpulos tuos quæſumus, Domine, à delictis ſuis abſolve, ut à peccatorum eorum nexibus, quæ pro noſtra fragilitate contraximus, tuâ benignitate liberemur, propter benedictum Dominum & Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum. *Amen.*

Epiſtola. Col. i. 3.

GRatias agimus Deo, & Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti ſemper pro vobis orantes. Audientes fidem veſtram in Chriſto Jeſu & dilectionem quam habetis in Sanctos omnes, propter ſpem quæ repoſita eſt vobis in cœlis, quam audiſtis in verbo veritatis Evangelii, quod pervenit ad vos; ſicut & in univerſo mundo eſt; & fructificat, & creſcit ſicut in vobis, ex ea die quâ audiſtis & cognoviſtis gratiam Dei in veritate, ſicut didiciſtis ab Epaphra chariſſimo conſervo noſtro, qui eſt fidelis pro vobis miniſter Chriſti Jeſu, Qui etiam manifeſtavit nobis dilectionem veſtram in ſpiritu: Ideò & nos ex quâ die audivimus, non ceſſamus pro vobis orantes & poſtulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus in omni ſapientia & intellectu ſpirituali: ut ambuletis dignè, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei, in omni virtute confortati ſecundum potentiam claritatis ejus, in omni patientia & longanimitate cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine.

Evangelium. S. Matth. ix. 18.

JEſu hæc loquente ad eos, ecce princeps unus acceſſit & adoravit eum, dicens, Domine filia mea modò defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet. Et ſurgens Jeſus, ſequebatur eum, & diſcipuli ejus. (Et ecce mulier quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus. Dicebat enim intra ſe, ſi tetigero tantùm

tum veſtimentum ejus ſalva ero. At Jeſus converſus & videns eam, dixit, Confide filia, fides tua te ſalvam fecit, & ſalva facta eſt mulier ex illa hora.) Et cùm veniſſet Jeſus in domum Principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem dicebat, recedite; non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum. Et cùm ejecta eſſet turba; intravit, & tenuit manum ejus, & ſurrexit puella. Et exiit fama hæc in univerſam terram illam.

Domin. vigeſim. quinta poſt Trin.

Collecta.

EXcita quæſumus, Domine, tuorum fidelium voluntates, ut uberes bonorum operum fructus ferentes uberem à te mercedem conſequantur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Epiſtola. Jer. xxiij. 5.

ECce, dies veniunt, dicit Dominus: & ſuſcitabo David germen juſtum: & regnabit rex, & ſapiens erit: & faciet judicium, & juſtitiam in terra. In diebus illius ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit confidenter: Et hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter. Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus: & non dicent ultra, vivit Dominus qui eduxit filios Iſrael de terra Ægypti: ſed vivit Dominus, qui eduxit & adduxit ſemen domus Iſrael de terra Aquilonis, & de cunctis terris ad quas ejeceram eos illuc, & habitabunt in terra ſua.

Evangelium. S. Joan. vj. 5.

CUM ſublevaſſet ergo oculos Jeſus, & vidiſſet quia multitudo magna venit ad eum, dicit ad Philippum, unde ememus panes ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum. Ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus; reſpondit ei Philippus, ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unuſquiſque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex diſcipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri; eſt puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos? Dicit ergo Jeſus facite homines diſcumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Diſcubuerunt ergo viri, numero quaſi quinque millia: accepit ergo Jeſus panes; & cùm gratias egiſſet diſtribuit diſcumbentibus: Similiter & ex piſcibus quantum volebant. Ut autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis, Colligite quæ ſuperfuerunt fragmenta ne pereant. Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeacis, quæ ſuperfuerunt his qui manducaverant. Illi ergo homines cùm vidiſſent quod Jeſus fecerat ſignum, dicebant: Quia hic eſt vere propheta qui venturus eſt in mundum.

¶ *Si ante Dominicam Adventus plures Dominicæ ſupra nominatis fuerint, Collecta,*

Epiſtola, & Evangelium, earum Dominicarum quæ poſt Epiphaniam omiſſa ſunt recitabuntur iis Dominicis quæ hic ſupererunt: ſi pauciores extiterint, cætera omittantur. Modo hæc ultima Collecta, Epiſtola, & Evangelium ſemper uſurpentur Dominica proxima ante Adventum.

Dies Sancti Andreæ.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui Sancto Andreæ Apoſtolo tuo dediſti ut vocanti Filio tuo Jeſu Chriſto ſtatim pareret; cúmque ſine mora ſequeretur; nobis omnibus concede, ut per ſanctum verbum tuum vocati, noſmet ipſi ſtatim tradamus ad ſancta mandata tua omni obſequio adimplenda, per eundem Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Rom. x. 9.

QUia ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris quod Deus illum excitavit à mortuis; ſalvus eris. Corde enim creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Dicit enim ſcriptura, omnis qui credit in illum non confundetur. Non enim eſt diſtinctio Judæi & Græci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum; omnis enim qui invocaverit nomen Domini ſalvus erit. Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur? Sicut ſcriptum eſt, quàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona? Sed non omnes obediunt Evangelio. Eſaias enim dicit, Domine quis credidit auditui noſtro? Ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti. Sed dico, nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. Sed dico, Nunquid Iſrael non cognovit? Primus Moyſes dicit, Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem inſipientem, in iram vos mittam. Eſaias autem audet & dicit, Inventus ſum à non quærentibus me: palam apparui iis qui me non interrogabant. Ad Iſrael autem dicit, Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.

Evangelium. S. Matth. iv. 18.

AMbulans Jeſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare, (erant enim piſcatores) & ait illis, venite poſt me: & faciam vos fieri piſcatores hominum. Ac illi continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum. Et procedens inde vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi & Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua: & vocavit

vocavit eos. Illi autem ſtatim relictis retibus, & patre, ſecuti ſunt eum.

Sanctus Thomas Apoſtolus.

Collecta.

OMnipotens æterne Deus, qui ad majorem fidei confirmationem Thomam Sanctum Apoſtolum tuum de Filii tui reſurrectione dubitare permiſiſti; da nobis adeò perfectè & ſine ulla dubitatione in Filium tuum Jeſum Chriſtum credere, ut fides noſtra in conſpectu tuo nunquam reprehendi mereatur. Exaudi nos Domine, per eundem Jeſum Chriſtum, cui una tecum, & cum Spiritu Sancto ſit omnis honor & gloria nunc & ſemper. *Amen.*

Epiſtola. Epheſ. ij. 19.

ERgo jam non eſtis hoſpites & advenæ: ſed eſtis cives ſanctorum & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Jeſu Chriſto: in quo omnis ædificatio conſtructa, creſcit in templum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in ſpiritu.

Evangelium. S. Joan. xx. 24.

THomas unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jeſus; dixerunt ergo ei alii diſcipuli, vidimus Dominum: Ille autem dixit eis, Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus; non credam. Et poſt dies octo, iterum erant diſcipuli ejus intus: & Thomas cum eis. Venit Jeſus januis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit eis, Pax vobis; deinde dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Thomas & dixit ei, Dominus meus & Deus meus. Dixit ei Jeſus, quia vidiſti me Thoma credidiſti: beati qui non viderunt & crediderunt. Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei: & ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.

Converſio Sancti Pauli.

Collecta.

DEus, qui beati Pauli Apoſtoli prædicatione mundum univerſum Evangelii luce colluſtraſti, concede quæſumus ut qui mirabilem illius converſionem memoriâ recolimus, gratitudinem noſtram erga te hoc nomine teſtatam faciamus, ſanctam doctrinam quam docuit ſequendo, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Epiſtola. Act. ix. 1.

SAulus adhuc ſpirans minarum & cædis in Diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo Epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas: ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jeruſalem. Et cùm iter faceret, contigit ut appropinquaret Damaſco: & ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo, & cadens in terram, audivit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule, quid me perſequeris? Qui dixit, Quis es Domine? Et ille, Ego ſum Jeſus quem tu perſequeris. Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Et tremens ac ſtupens dixit, Domine quid me vis facere? Et Dominus ad eum, ſurge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi qui comitabantur cum eo ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Surrexit autem Saulus de terra, apertiſque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damaſcum. Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducavit, neque bibit. Erat autem quidam Diſcipulus Damaſci nomine Ananias: & dixit ad illum in viſu Dominus, Anania; at ille ait, Ecce ego Domine. Et Dominus ad eum, Surge, & vade in vicum qui vocatur Rectus: & quære in domo Judæ Saulum nomine, Tarſenſem. Ecce enim orat. (Et vidit virum Ananiam nomine, introeuntem & imponentem ſibi manus ut viſum recipiat.) Reſpondit autem Ananias, Domine, audivi à multis de viro hoc, quanta mala fecerit ſanctis tuis in Jeruſalem. Et hic habet poteſtatem à principibus Sacerdotum alligandi omnes qui invocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dominus, vade quoniam vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram Gentibus & Regibus, & filiis Iſrael. Ego enim oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Et abiit Ananias & introivit in domum: & imponens ei manus, dixit, Saule frater, Dominus miſit me Jeſus. qui apparuit tibi in via quâ veniebas; ut videas & implearis Spiritu ſancto. Et confeſtim ceciderunt ab oculis ejus tanquam ſquamæ, & viſum recepit; & ſurgens baptizatus eſt. Et cùm accepiſſet cibum, confortatus eſt. Fuit autem cum diſcipulis qui erant Damaſci, per dies aliquot. Et continuo ingreſſus in Synagogas, prædicabat Jeſum quoniam hic eſt Filius Dei.

Evangelium. S. Mat. xix. 27.

REſpondens Petrus dixit ad Jeſum, Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: qui ergo erit nobis? Jeſus autem dixit illis, Amen dico vobis quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſrael. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem,

rem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet; & vitam æternam poſſidebit. Multi autem erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi.

Præſentatio Chriſti in Templo, quæ vulgò dicitur Purificatio Sanctæ Mariæ Virginis.

Collecta.

OMnipotens æterne Deus, Majeſtatem tuam rogamus ſupplices, ut quemadmodum Filius tuus unigenitus, in carnis noſtræ ſubſtantia tibi hodie in Templo præſentatus eſt, ſic nos tibi purgatis ac mundis cordibus præſentemur. per eundem filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Epiſtola. Malac. iij. 1.

ECce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & ſtatim veniet ad Templum ſuum dominator quem vos quæritis. Et Angelus teſtamenti, quem vos vultis: ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus? Et quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum, Et ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum; Et erunt Domino offerentes ſacrificia in juſtitia. Et placebit Domino ſacrificium Judæ & Jeruſalem, ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui. Et accedam ad vos in judicio, & ero teſtis velox maleficis & adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenarii, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.

Evangelium. S. Luc. ij. 22.

ET poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino. (Sicut ſcriptum eſt in lege Domini, quia omne maſculinum adaperiens vulvam ſanctum Domino vocabitur.) Et ut darent hoſtiam ſecundum quod dictum eſt in lege Domini; par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce; homo erat in Jeruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte juſtus & timoratus, expectans conſolationem Iſrael; & Spiritus ſanctus erat in eo. Et reſponſum acceperat à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini. Et venit in ſpiritu in templum, & cùm inducerent puerum Jeſum parentes ejus, ut facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo, & ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum & dixit. Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum: lumen ad revelationem gentium & gloriam plebis tui Iſrael. Et erant pater ejus & mater mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo.

Et benedixit illis Simeon & dixit ad Mariam matrem ejus, ecce positus est hic in ruinam; & in resurrectionem multorum in Israel. Et in signum cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna Prophetissa, filia Phanuel de tribu Aser; hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo, annis septem à virginitate suâ: Et hæc vidua usque ad annos octaginta quatuor, quæ non discedebat de Templo, jejuniis, & obsecrationibus serviens nocte ac die. Et hæc ipsâ horâ superveniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel. Et ut perfecerunt omnia secundum legem domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth: Puer autem crescebat & confortabatur, plenus sapientiâ; & gratia Dei erat in illo.

Dies Sancti Matthiæ.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui in locum Judæ proditoris fidelem famulum tuum Matthiam elegisti, qui esset unus ex numero duodecim Apostolorum, da ut Ecclesia tua à Pseudo-Apostolis tuta semper existens, à fidelibus & veris Pastoribus semper dirigatur ac gubernetur, per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Pro Epistolâ. Act. i. 15.

IN diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit (Erat autem turba hominum simul ferè centum viginti) Viri fratres, oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum: qui connumeratus erat in nobis, & sortitus erat sortem ministerii hujus. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius: & diffusa sunt omnia viscera ejus. Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem: ita ut appellaretur ager ille, linguâ eorum, Haceldema, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio ejus deserta: Et non sit qui inhabitet in ea. Et Episcopatum ejus accipiat alter. Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore quo intravit & exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens à Baptismate Joannis usque in diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. Et statuerunt duos, Joseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus; & Matthiam: Et orantes dixerunt, Tu Domine qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus & Apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis; & cecidit sors super Matthiam: Et annume-

ratus

ratus eſt cum undecim Apoſtolis.

Evangelium. S. Matth. xi. 25.

IN illo tempore reſpondens Jeſus dixit, confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo, & nemo novit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis: & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.

Annuntiatio Beatæ Virginis.

Collecta.

MEntibus noſtris, quæſumus Domine, gratiam tuam infunde, ut quemadmodùm Angelo annuntiante Filii tui incarnationem cognovimus, ſic per crucem & paſſionem ejus, ad ejus reſurrectionis gloriam perducamur, per eundem Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Epiſtola. Eſai. vij. 10.

ADiecit Dominus loqui ad Achaz, dicens, Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo, in profundum inferni, ſive in excelſum ſupra. Et dicit Achaz non petam & non tentabo Dominum. Et dixit, Audite ergo domus David. Nunquid parum vobis eſt, moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum, Ecce, Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel: Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum & eligere bonum.

Evangelium. S. Luc. i. 26.

IN menſe autem ſexto miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph de domo David: & nomen Virginis Maria. Et ingreſſus Angelus ad eam dixit, Ave gratiâ plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus; quæ cùm audiſſet turbata eſt in ſermone ejus & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Et ait Angelus ei, Ne timeas Maria, inveniſti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries filium & vocabis nomen ejus Jeſum. Hic erit magnus & filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus: & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum, quomodo fiet iſtud: quoniam virum non cognoſco; & reſpondens Angelus, dixit ei, Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideóque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius

Dei.

Dei. Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua : & hic menſis ſextus eſt illi quæ vocatur ſterilis : quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Et diſceſſit ab illa Angelus.

Dies Sancti Marci.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui ſanctam Eccleſiam tuam ſancti Evangeliſtæ tui Marci doctrinâ cœleſti inſtituiſti, gratiam nobis concede, per quam non ſimus ſemper pueri ad omnem doctrinæ ventum fluctuantes, ſed in ſancti Evangelii tui veritate ſtabiliamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Epheſ. iv. 7.

UNicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, propter quod dicit ; aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem ; dedit dona hominibus (quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ ? Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſupra omnes cœlos ut impleret omnia) & ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti : donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti : ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris, veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput, Chriſtus : ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram uniuſcujuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.

Evangelium. S. Joan. xv. 1.

EGO ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum : & omnem qui fert fructum purgabit eum ut plus fructus afferat. Jam vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis. Manete in me, & ego in vobis : ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere. Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent & ardet. Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis, petetis & fiet vobis. In hoc clarificatus eſt Pater meus : ut fructum pluri-

plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli. Sicut dilexit me Pater & ego dilexi vos: manete in dilectione mea. Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea: ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione. Hæc locutus ſum vobis, ut gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur.

Dies Sanct. Philippi & Jacobi.

Collecta.

OMnipotens Deus, quem verè noſſe vita æterna eſt, da nobis certò cognoſcere Filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eſſe viam, veritatem, & vitam, ut ſanctorum tuorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi veſtigia prementes, in via quæ ducit ad vitam æternam conſtanter ambulemus, per eundem Filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. S. Jacob. i. 1.

JAcobus Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervus, duodecim tribubus quæ ſunt in diſperſione; ſalutem. Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: ſcientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habeat: ut ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes: ſi quis autem veſtrûm indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans. Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur. Non ergo exiſtimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino. Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſua: Dives autem in humilitate ſua, quoniam ſicut flos fœni tranſibit: Exortus eſt enim ſol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos ejus decidit, & decor vultus ejus deperiit: ita & dives in itineribus ſuis marceſcet. Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ quam repromiſit Deus diligentibus ſe.

Evangelium. S. Joan. xiv. 1.

ET ait Jeſus diſcipulis ſuis, non turbetur cor veſtrum. Creditis in Deum, & in me credite. In domo Patris mei manſiones multi ſunt. Si quo minus, dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum. Et ſi abiero & præparavero vobis locum; iterum venio, & accipiam vos ad meipſum ut ubi ſum ego & vos ſitis. Et quo ego vado ſcitis, & viam ſcitis. Dicit ei Thomas, Domine neſcimus quo vadis, & quomodo poſſumus viam ſcire? Dicit ei Jeſus, Ego ſum via, & veritas & vita. Nemo venit ad Patrem niſi per me. Si cognoviſſetis me & Patrem meum utique cognoviſſetis, & à modo cognoſcitis eum, & vidiſtis eum. Dicit ei Philippus, Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis. Dicit ei Jeſus, tanto tempore vobiſ-

vobiſcum ſum, & non cognoviſti me, Philippe? Qui videt me, videt & Patrem: quomodo tu dicis, oſtende nobis Patrem? Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Verba, quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor. Pater autem in me manens ipſe facit opera. Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Alioquin propter opera ipſa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me opera quæ ego facio & ipſe faciet, & majora horum faciet quia ego ad Patrem vado. Et quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

Sanctus Barnabas Apoſtolus.

Collecta.

DOmine Deus omnipotens, qui ſanctum Apoſtolum tuum Barnabam Spiritus ſancti donis ſingularibus ornaſti, ne nos ſinas quæſumus, multiplicibus donis tuis, neque gratiâ deſtitui, quibus utamur ad honorem & gloriam tuam, per Jeſum Chriſtum dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Epiſtola. Act. xi. 22.

PErvenit ſermo ad aures Eccleſiæ quæ erat Jeroſolymis, ſuper iſtis; & miſerunt Barnabam uſque ad Antiochiam. Qui cùm perveniſſet, & vidiſſet gratiam Dei, gaviſus eſt: & hortabatur omnes in propoſito cordis permanere in Domino: quia erat vir bonus, & plenus Spiritu ſancto, & fide. Et appoſita eſt multa turba Domino. Profectus eſt autem Barnabas Tharſum ut quæreret Saulum: quem cùm inveniſſet, perduxit Antiochiam, & annum totum converſati ſunt ibi in Eccleſia: & docuerunt turbam multam; ita ut cognominarentur primùm Antiochiæ diſcipuli, Chriſtiani. In his autem diebus ſupervenerunt ab Jeroſolymis Prophetæ Antiochiam. Et ſurgens unus ex eis, nomine Agabus, ſignificabat per ſpiritum famem magnam futuram in univerſo orbe terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio Cæſare. Diſcipuli autem prout quiſque habebat, propoſuerunt ſinguli eorum in miniſterium mittere habitantibus in Judæa fratribus, quod & fecerunt, mittentes ad ſeniores per manus Barnabæ & Sauli.

Evangelium. S. Joan. xv. 12.

HOC eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. Jam non dico vos ſervos; quia ſervus neſcit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunq; audivi à Patre meo nota feci vobis. Non vos me elegiſtis; ſed ego elegi vos; & poſui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat; ut quodcunque petieritis Patrem in nomine meo det vobis.

Sanctus

Sanctus Joannes Baptiſta.

Collecta.

OMnipotens Deus, cujus providentiâ famulus tuus Joannes Baptiſta miraculoſe natus eſt, & miſſus, ut Filio tuo Servatori noſtro per prædicationem pœnitentiæ viam pararet, fac nos illius doctrinam ac vitam ſanctam ita imitari, ut verè reſipiſcamus juxta illius doctrinam, & ſecundum illius exemplum conſtanter veritatem annunciemus, liberéque crimina reprehendamus, atque patienter pro confeſſione veritatis mortem perferamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Epiſtola, Eſa. xl. 1.

COnſolamini, conſolamini, populo meus, dicit Deus veſter: loquimini ad cor Jeruſalem, & advocate eam, quoniam completa eſt malitia ejus, dimiſſa eſt iniquitas illius, ſuſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Vox clamantis in deſerto. Parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri, omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur; & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas; & revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum eſt. Vox dicentis, Clama: Et dixi, Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri. Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, quia Spiritus Domini ſufflavit in eo. Verè fœnum eſt populus. Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos: verbum autem Dei noſtri manet in æternum. Super montem excelſum aſcende tu qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jeruſalem: exalta, noli timere, dic civitatibus Judæ. Ecce Deus veſter: ecce Dominus Deus in fortitudine veniet: & brachium ejus dominabitur: Ecce merces ejus cum eo, & opus illius coram illo. Sicut Paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo levabit, fœtus ipſe portabit.

Evangelium. S. Luc. i. 57.

ELizabeth impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini & cognati ejus, quia magnificavit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei. Et factum eſt in die octavo venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine Patris ſui, Zachariam. Et reſpondens mater ejus dixit, nequaquam, ſed vocabitur Joannes. Et dixerunt ad illam, quia nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem Patri ejus quem vellet vocari eum, & poſtulans pugillarem ſcripſit, dicens, Joannes eſt nomen ejus, & mirati ſunt univerſi. Apertum eſt autem ilico os ejus, & lingua ejus: & loquebatur benedicens Deum. Et factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum: & ſuper omnia montana Judææ divul-

divulgabantur omnia verba hæc. Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo dicentes, quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias Pater ejus repletus est Spiritu sancto: & propheravit dicens. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit & fecit redemptionem plebi suæ, & erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui, sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt prophetarum ejus. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos: ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti. Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis; ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi, in sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus nostris. Et tu puer propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum, per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel.

Dies Sancti Petri.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui per Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum Sancto Petro Apostolo tuo multa excellentia dona contulisti, & serio uti gregem tuum diligenter pasceret præcepisti; præsta quæsumus, ut omnes Episcopi & Pastores diligenter sanctum verbum tuum prædicent, & ut populus eorum doctrinæ sit obsequens, ut coronam æternæ gloriæ consequantur, per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Pro Epistola. Act. xij. 1.

EOdem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. Videns autem quia placeret Judæis, apposuit apprehendere & Petrum (erant autem dies Azymorum.) Quem cùm apprehendisset, misit in carcerem tridens quatuor quaternionibus militum ad custodiendum eum, volens post Pascha producere eum populo. Et Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Cùm autem productus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duobus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et Ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in

in habitaculo: percuſsóque latere Petri, excitavit eum dicens, Surge velociter; & ceciderunt catenæ de manibus ejus. Dixit autem Angelus ad eum, præcingere, & calceare caligas tuas. Et fecit ſic, & dicit illi, circunda tibi veſtimentum tuum & ſequere me: Et exiens ſequebatur eum, & neſciebat quia verum eſt quod fiebat per Angelum; exiſtimabat autem ſe viſum videre. Tranſeuntes autem primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream quæ ducit ad civitatem, quæ ultro aperta eſt eis: & exeuntes proceſſerunt vicum unum: & continuò diſceſſit Angelus ab eo. Et Petrus ad ſe reverſus, dixit, Nunc ſcio verè quia Dominus miſit Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum.

Evangelium. S. Mat. xvj. 13.

VEnit Jeſus in partes Cæſareæ Philippi: & interrogabat diſcipulos ſuos, dicens, Quem me dicunt homines eſſe Filium hominis? At illi dixerunt, Alii Joannem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii verò Jeremiam, aut unum ex prophetis. Dicit illis Jeſus, Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus dixit, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Reſpondens autem Jeſus, dixit ei, Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus; & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.

Sanctus Jacobus Apoſtolus.

Collecta.

MIſericors Deus, concede ut ſicut S. Jacobus Apoſtolus tuus, parente & omnibus quæ habebat relictis, ſtatim vocanti Filio tuo Jeſu Chriſto obſequens fuit, & eum ſecutus eſt, ita nos relictis omnibus mundanis & carnalibus affectibus, ſemper parati ſimus, ad exequenda mandata tua ſancta, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. *Amen.*

Pro Epiſtola. Act. xj. 27. *& pars Cap.* xij.

IN his diebus ſupervenerunt ab Jeroſolymis Prophetæ Antiochiam. Et ſurgens unus ex eis nomine Agabus, ſignificabat per ſpiritum famem magnam futuram in univerſo orbe terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio Cæſare. Diſcipuli autem prout quiſque habebat, propoſuerunt in miniſterium mittere habitantibus in Judæa fratribus: quod & fecerunt, mittentes ad ſeniores per manus Barnabæ & Sauli. Eodem autem tempore miſit Herodes Rex manus, ut affligeret quoſdam de Eccleſia. Occidit autem Jacobum fratrem

fratrem Joannis gladio; videns autem quia placeret Judæis, appoſuit apprehendere & Petrum.

Evangelium. S. Matth. xx. 10.

TUnc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei, quid vis? Ait illi, dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dextram tuam & unus ad ſiniſtram in regno tuo. Reſpondens autem Jeſus dixit, Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei, poſſumus. Ait illis calicem quidem meum bibetis, ſedere autem ad dextram meam & ſiniſtram non eſt meum dare vobis: ſed quibus paratum eſt à Patre meo. Et audientes decem indignati ſunt de duobus fratribus. Jeſus autem vocavit eos ad ſe: & ait, Scitis quia Principes Gentium dominantur eorum: & qui majores ſunt poteſtatem exercent in eos: non ita erit inter vos. Sed quicunque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter: & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus. Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare & dare animam ſuam redemptionem pro multis.

Sanctus Bartholomæus Apoſtolus.

Collecta.

OMnipotens & æterne Deus, qui dediſti Apoſtolo tuo Bartholomæo ut verè verbo tuo crederet, & illud annunciaret, da quæſumus Eccleſiæ tuæ verbum cui credidit, adamare; tum etiam illud ipſum annunciare, & recipere per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Pro Epiſtola. Act. v. 12.

PER manus Apoſtolorum fiebant ſigna, & prodigia multa in plebe (& erant unanimiter omnes in porticu Salomonis; Cæterorum autem nemo audebat ſe conjungere illis: ſed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum:) Ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabbatis: ut veniente Petro ſaltem umbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis. Concurrebat autem & multitudo vicinarum civitatum Jeruſalem afferentes ægros & vexatos à ſpiritibus immundis: qui curabantur omnes.

Evangelium. S. Luc. xxij. 24.

FActa eſt autem & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major. Dixit autem eis, Reges Gentium dominantur eorum: & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic: ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt ſicut miniſtrator. Nam quis major eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat. Vos autem eſtis qui permanſiſtis mecum in ten-

tentationibus meis. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo; & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel.

Sanctus Matthæus Apostolus.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui per benedictum Filium tuum vocasti Matthæum, ut ex Publicano fieret Apostolus ac Evangelista; gratiam largire nobis quâ omnes avaras cupiditates, & opum inordinatum studium abjiciamus, & eundem Filium tuum Jesum Christum sequamur, qui vivit & regnat tecum, & cum Spiritu sancto unus Deus in sæcula sæculorum. *Amen.*

Epistola. 2 Cor. iv. 1.

IDeo habentes hanc ministrationem juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei; sed in manifestatione veritatis commandantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum: in iis qui pereunt est opertum, in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum: nos autem, servos vestros, per Jesum. Quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Jesu.

Evangelium S. Matth. ix. 9.

ET cùm transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine. Et ait illi, Sequere me. Et surgens secutus est eum: Et factum est, discumbente eo in domo, ecce, multi Publicani & peccatores venientes, discumbebant cum Jesu, & discipulis ejus. Et videntes Pharisæi dicebant discipulis ejus, quare cum Publicanis & peccatoribus manducat magister vester? At Jesus audiens, ait, Non est opus valentibus medico, sed male habentibus: euntes autem discite quid est misericordiam volo, & non sacrificium; non enim veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Sanct. Michael & omnes Angeli.

Collecta.

OÆterne Deus, qui miro ordine Angelorum hominumque ministeria dispensas, concede propitius, ut quemadmodum Sancti Angeli tui tibi ministrant in cœlo, ita ad nutum tuum nos hic in terra versantes adjuvent atque tueantur, per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Pro Epiſtola. Apocal. xij. 7.

FActum eſt prælium magnum in cœlo, Michael & Angeli ejus præliabuntur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli ejus, & non valuerunt; neque locus inventus eſt eorum amplius in cœlo. Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem: & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt. Et audivi vocem magnam in cœlo dicentem, nunc facta eſt ſalus & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus. Quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte: & ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni & propter verbum teſtimonii ſui, & non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem. Propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis. Væ terræ & mari: quia deſcendit Diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet.

Evangelium. S. Mat. xviij. 1.

IN illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes, Quis putas major eſt in regno cœlorum? Et advocans Jeſus parvulum, ſtatuit eum in medio eorum, & dixit; Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt major in regno cœlorum: & qui ſuſceperit unum parvulum talem in nomine meo, me ſuſcipit. Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ mundo a ſcandalis, neceſſe eſt enim ut veniant ſcandala: veruntamen væ homini illi per quem ſcandalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum & projice abs te: bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem vel claudum quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te; bonum tibi eſt unum oculum habentem in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Videte ne contemnatis unum ex his puſillis. Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei qui in cœlis eſt.

Sanctus Lucas Evangeliſta.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui vocaſti Lucam medicum, cujus laus eſt in Evangelio, ut Evangeliſta fieret, & animarum quoque curam ſuſciperet, præſta quæſumus, ut ſalubribus doctrinæ illius medicinis omnes animarum noſtrarum morbi ſanentur, per merita Filii tui Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

Epiſtola.

Epiſtola. 2 Tim. iv. 5.

TU vigila in omnibus, labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple. Sobrius eſto. Ego enim jam delibor: & tempus reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, juſtus judex: non ſolum autem mihi, ſed & iis, qui diligunt adventum ejus. Feſtina ad me venire citó. Demas enim me reliquit, diligens hoc ſæculum, & abiit Theſſalonicam. Creſcens in Galatiam. Titus in Dalmatiam. Lucas eſt mecum ſolus. Marcum aſſume & adduc tecum: eſt enim mihi utilis in miniſterio. Tychicum autem miſi Epheſum. Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas. Alexander ærariùs multa mala mihi oſtendit, reddat illi Dominus ſecundum opera ejus: quem & tu devita; valde enim reſiſtit verbis noſtris.

Evangelium. S. Luc. x. 1.

DEſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos: & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem civitatem, & locum quo erat ipſe venturus. Et dicebat illis, Meſſis quidem multa: operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum meſſis ut mittat operarios in meſſem ſuam. Ite, ecce, ego mitto vos ſicut agnos inter lupos; nolite portare ſaculum, neque peram, neque calceamenta: & neminem per viam ſalutaveritis. In quamcunque domum intraveritis, primùm dicite, Pax huic domui: Et ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra; ſin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes & bibentes, quæ apud illos ſunt, dignus eſt enim operarius mercede ſuâ.

Sancti Simon & Judas Apoſtoli.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui Eccleſiam tuam ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum in ipſo ſummo angulari lapide Jeſu Chriſto, ædificaſti, concede nobis ut per eorum doctrinam in unitate Spiritûs ita conjungamur, ut in ſanctum Templum tibi gratum evadamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. S. Judas i.

JUudas Chriſti Jeſus Servus, frater autem Jacobi: his qui ſunt in Deo Patre dilectis, & Chriſto Jeſu conſervatis, & vocatis: miſericordia vobis & pax & charitas adimpleatur. Chariſſimi, omnem ſolicitudinem faciens ſcribendi vobis de communi veſtra ſalute, neceſſe habui ſcribere vobis: deprecans ſuper certare ſemel traditæ ſanctis fidei. Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præſcripti ſunt

sunt in hoc judicium) impii, Domini nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum dominatorem, & Dominum nostrum Jesum Christum negantes. Commonere autem vos volo scientes semel omnia, quod Jesus populum de terrâ Ægypti salvens, secundò eos qui non crediderunt perdidit. Angelos verò qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit. Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant.

Evangelium, S. Joan. xv. 17.

HÆC mando vobis, ut diligatis invicem. Si mundus vos odit: scitote quia me Priorem vobis odio habuit: si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei quem ego dixi vobis, non est servus major Domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum servaverunt: & vestrum servabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum qui misit me. Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit; & Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum; sed ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio me habuerunt gratis. Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis qui à Patre procedit: ille testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis quia ab initio mecum estis.

Dies omnium Sanctorum.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui omnes electos tuos conjunxisti in una communione, & societate mystici corporis Domini nostri Jesu Christi, da ut omnes sanctos tuos in omnibus virtutibus ac operibus bonis imitemur, ut ad ineffabilia illa gaudia quæ præparasti iis qui te haud fictè diligunt perveniamus, per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Pro Epistola, Apocal. vii. 2.

ET vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei vivi: & clamavit voce magnâ quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens, Nolite nocere terræ neque mari, neque arboribus, quod usque signemus servos Dei nostri in frontibus suis. Et audivi numerum signatorum centum quadraginta

draginta quatuor millia ſignati ex omni tribu filiorum Iſrael.

Ex tribu Juda duodecim millia ſignati.

Ex tribu Reuben duodecim millia ſignati.

Ex tribu Gad duodecim millia ſignati.

Ex tribu Aſer duodecim millia ſignati.

Ex tribu Nephthali duodecim millia ſignati.

Ex tribu Manaſſe duodecim millia ſignati.

Ex tribu Simeon duodecim millia ſignati.

Ex tribu Levi duodecim millia ſignati.

Ex tribu Iſſachar duodecim millia ſignati.

Ex tribu Zabulon duodecim millia ſignati.

Ex tribu Joſeph duodecim millia ſignati.

Ex tribu Benjamin duodecim millia ſignati.

Poſt hæc vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magnâ dicentes, Salus Deo noſtro qui ſedet ſuper thronum, & Agno. Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni, & ſeniorum, & quatuor animalium, & ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adoraverunt Deum, dicentes, Amen: benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæculâ ſæculorum. *Amen.*

Evangelium, S. Matth. v. 1.

VIdens autem Jeſus turbas, aſcendit in montem: & cùm ſediſſet acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus. Et aperiens os ſuum docebat eos dicens: Beati pauperes ſpiritu; quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati mites; quoniam ipſi poſſidebunt terram. Beati qui lugent; quoniam ipſi conſolabuntur. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Beati miſericordes; quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Beati mundo corde; quoniam ipſi Deum videbunt. Beati pacifici; quoniam Filii Dei vocabuntur. Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam; quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Sic enim perſecuti ſunt prophetas qui fuerunt ante vos.

Ordo

Ordo Administrandæ Cœnæ Domini, seu Sacræ Communionis.

¶ *Quotquot cupiunt participes fieri sacræ Communionis, nomina sua, pridie saltem sacrorum, Ministro indicabunt.*

¶ *Si quis autem sit manifestè flagitiosus, aut proximum verbis factisve injuria affecerit, ita ut Ecclesia eo pacto sit offensa; de hoc certior factus Minister eum advocabit, & monebit ne ullo modo audeat ad Mensam Domini accedere, usque dum veræ resipiscentiæ, & morum emendationis indicia manifesta præbuerit; ita ut Ecclesiæ quam prius offenderat sit satisfactum, ut & iis quos affecerat injuria; aut saltem promittat id sibi propositum quam primum id commodè fieri poterit.*

¶ *Eundem agendi modum & ordinem tenebit Minister cum iis, inter quos intelliget vigere simultates & odia, nec sinet eos mensæ Domini communicare donec certior factus fuerit de eorum reconciliatione. Quod si pars altera alteri offensam acceptam ex animo remittere, aut pro illata satisfacere parata sit, altera id detrectante & in odio & malitia sua persistente, ita ut ad piam concordiam adduci nolit: Minister pœnitentem ad sacram Communionem admittet, non vero pertinacem. Cum hac cautela, ut Minister qui quemquam à sacris arcuerit prout habetur in hoc aut præcedente hujus Rubricæ paragrapho, totum negotium cum Ordinario communicet intra dies quatuordecim ad summum. Ordinarius autem inquiret in eum qui sic offenderit, juxta Canonem.*

¶ *Quo tempore Cœna Domini celebrabitur, mensa panno mundo lineo strata stabit in medio vel Templi, vel Chori, ubi Matutinæ & Vespertinæ Preces debent recitari, Presbyter autem stans ad Septentrionalem partem Mensæ, Orationem Dominicam cum Collecta sequente recitabit, populo in genua provoluto.*

PATER noster qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terrâ. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. *Amen.*

Collecta.

OMnipotens Deus, cui omne cor patet, omnes affectus cogniti sunt, & nullum

lum ſecretum eſt abſconditum; Purifica cogitationes cordium noſtrorum per inſpirationem Spiritus ſancti, ut te ex animo amemus, & ſanctum nomen tuum debita veneratione celebremus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum Presbyter converſus ad populum, Decalogum integrum clarâ voce recitabit, Populus autem in genua adhàc provolutus poſt unumquodque mandatum, veniam petet à Deo pro illius violatione tempore præterito, & rogabit ut ſibi gratia concedatur quâ illud ſervet in futurum, in hunc modum.*

Miniſter.

I. LOcutus eſt Deus hos ſermones, & dixit, Ego ſum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me.

Populus.

Domine miſerere noſtri, & corda noſtra ad ſervandum hoc mandatum inclina.

Miniſter.

II. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea neque coles? Ego enim ſum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me & cuſtodiunt præcepta mea.

Populus.

Domine miſerere noſtri, & corda noſtra ad ſervandum hoc mandatum inclina.

Miniſter.

III. Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit inſontem Dominus eum qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra.

Populus.

Domine miſerere noſtri, & corda noſtra ad ſervandum hoc mandatum inclina.

Miniſter.

IV. Memento ut diem Sabbati ſanctifices, ſex diebus operaberis & facies omnia opera tua; ſeptimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt, non facies omne opus in eo, tu & filius tuus & filia tua, ſervus tuus & ancilla tua, jumentum tuum, & advena qui eſt intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare & omnia quæ in eis ſunt: & requievit in die ſeptimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati & ſanctificavit eum.

Populus.

Domine miſerere noſtri, & corda noſtra ad ſervandum hoc mandatum inclina,

Miniſter.

V. Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

Populus.

Domine miſerere noſtri, & corda noſtra ad ſervandum hoc mandatum inclina.

Miniſter.

VI. Non occides.

Populus.

Domine miſerere noſtri, & corda noſtra ad ſervandum hoc mandatum inclina.

Miniſter.

VII. Non mœchaberis.

Populus.

Domine miſerere noſtri, & corda noſtra ad ſervandum hoc mandatum inclina.

Miniſter.

VIII. Non furtum facies.

Populus.

Domine miſerere noſtri, & corda noſtra ad ſervandum hoc mandatum inclina.

Miniſter.

IX. Non loquêris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

Populus.

Domine miſerere noſtri, & corda noſtra ad ſervandum hoc mandatum inclina.

Miniſter.

X. Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis uxorem ejus, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.

Populus.

Domine miſerere noſtri, & hæc omnia mandata tua cordibus noſtris, quæſumus, inſcribe.

¶ *Tum ſequetur harum Collectarum alterutra pro Rege, Presbytero ut antea ſtante, ac dicente,*

Oremus.

OMnipotens Deus, cujus regnum æternum, & potentia infinita, miſerere univerſæ Eccleſiæ; Et cor electi famuli tui Wilhelmi Regis ac Gubernatoris noſtri ita dirige, ut ipſe (gnarus cujus ſit Miniſter) ſupra omnia honorem & gloriam tuam quærat; nos verò, & quotquot ei ſubjecti ſunt (debitè penſitantes à quo ſit illius authoritas) fideliter ei ſerviamus, illum honoremus, & ei humiliter obediamus, in te, ac propter te, juxta ſacrum verbum & mandatum tuum; per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui unà tecum & cum Spiritu ſancto vivit & regnat, ſemper unus Deus in ſæcula ſæculorum.

¶ *Aut,*

OMnipotens & ſempiterne Deus, ex ſacro verbo tuo diſcimus corda regum in manu tua eſſe, eáque à te dirigi atq; inclinari, prout divinæ tuæ ſapientiæ optimè viſum fuerit; ſupplices te rogamus uti cor famuli tui Wilhelmi Regis Gubernatoris noſtri, ita inclines atq; dirigas ut omni cogitatione, verbo, ac opere, indeſinenter quærat honorem ac gloriam tuam; & populum tuum curæ ſuæ demandatum cuſtodire opibus, pace ac pietate florentem ſtudeat. Hæc concede, ô Pater miſericors, propter dilectum Filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum dicetur Collecta diei. Ac immediate poſt Collectam, Presbyter leget Epiſtolam, dicens,* Epiſtola [*ſeu,* portio Scripturæ aſſignata pro Epiſtola] ſcripta eſt capite —— Epiſt. —— verſu —— *Finitâ autem Epiſtolâ, dicet,* Hîc deſinit Epiſtola. *Tum leget Evangelium (ſtante univerſo populo)*

populo) dicens, Sanctum Evangelium ſcriptum eſt capite------ Evangelii-----verſu------- *Finito autem Evangelio, cantabitur, aut recitabitur ſequens Symbolum, ſtante adhuc univerſo populo ut antea.*

CRedo in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem cœli & terræ, atque viſibilium omnium & inviſibilium: Et in unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, Lumen de Lumine: Deum verum de Deo vero; Genitum non factum: Conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt: Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Mariâ Virgine, & homo factus eſt, Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato. Paſſus & Sepultus eſt, Et reſurrexit tertiâ die ſecundum ſcripturas, Et aſcendit in cœlum, Sedet ad dextram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloriâ, judicare vivos & mortuos: Cujus regni non erit finis.

Et in ſpiritum ſanctum, Dominum & vivificantem, Qui ex Patre Filióque procedit, Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur, Qui loquutus eſt per Prophetas. Et unam ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum, Et expecto reſurrectionem mortuorum, Et vitam venturi ſæculi. *Amen.*

¶ *Tum Miniſter populo renunciabit ſi qui ſunt dies Feſti, aut jejunii per ſequentem hebdomadam obſervandi. Tum etiam ſi dabitur occaſio, futura Communio præmunciabitur; & Matrimoniorum futurorum ſolemnitas; Breviæ etiam, Citationes & Excommunicationes legentur. Nec quicquam promulgabitur aut publicabitur in Eccleſia, quo tempore Sacra peraguntur, præterquam ab ipſo Miniſtro. Nec quicquam ab ipſo niſi quod Regulis hujus Libri continetur, aut à Regia Majeſtate imperatum, aut à loci Ordinario præſcriptum fuerit.*

¶ *Tum ſequetur Concio, ſex aliqua Homiliarum jam editarum, aut in poſterum publicâ authoritate edendarum.*

¶ *Tum Presbyter ad Menſam Domini revertetur, & Offertorium incipiet, unâ aut alterâ, aut etiam pluribus harum ſententiarum recitatis; prout ipſi convenientius videbitur.*

SIC luceat lux veſtra coram hominibus ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. S. *Matth.* v. 16.

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra; ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo; ubi neque ærugo neque tinea demolitur; & ubi fures non effodiunt nec furantur. S. *Matth.* vi. 19, 20.

Omnia ergo quæcunque vultis, ut faciant vobis homines: ita & vos facite illis. Hæc eſt enim lex & Prophetæ. S. *Matth.* vij. 12.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt; ipſe intrabit in regnum cœlorum. S. *Matth.* vij. 21.

Stans autem Zachæus dixit ad Dominum, Ecce, dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. S. *Luc.* xix. 8.

Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantavit vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? 1 *Cor.* ix. 7.

Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus; magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus? 1 *Cor.* ix. 11.

Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur; quæ & de ſacrario ſunt edunt: & qui altario deſervjunt, cum altario participant? Ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. 1 *Cor.* ix. 13, 14.

Hoc autem dico, qui parcè ſeminat, parcè & metet; & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Unuſquiſque prout deſtinavit in corde; non ex triſtitia aut ex neceſſitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. 2 *Cor.* ix. 6, 7.

Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui ſe catechizat, in omnibus bonis. Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim ſeminaverit homo; hæc & metet. *Gal.* vi. 6, 7.

Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. *Gal.* vi. 10.

Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium quod nec auferre quid poſſumus. 1 *Tim.* vi. 6, 7.

Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo (qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum;) bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant bonam vitam. 1 *Tim.* vi. 17, 18, 19.

Non enim injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri & dilectionis quam oſtenditis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis & miniſtratis. *Heb.* vi. 10.

Beneficientiæ autem & communionis nolite obliviſci. Talibus enim hoſtiis promeretur Deus. *Heb.* xiij. 16.

Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo? 1 S. *Joan.* iij. 17.

Ex ſubſtantiâ tuâ fac eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet ut nec à te avertatur facies Domini. *Tob.* iv. 7.

Quo-

Quomodo potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis. *Tob.* iv. 8, 9.

Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis & vicisſitudinem ſuam reddit ei. *Prov.* xix. 17.

Beatus vir qui intelligit ſuper egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus. *Pſal.* xli. 1.

¶ *Dum iſta recitantur, Diaconi, Æditui, aliive ad hoc idonei, quibus illud muneris demandatum eſt, Eleemoſynam in pauperum uſus erogatam colligent, ut & alias populi oblationes in pios uſus, in Amulâ ſeu lance idoneâ à Parochianis in hunc uſum comparatâ, eamque ad Preſbyterum reverenter afferent, ab illo autem, geſtu modeſto ac humili ſuper ſacrâ menſâ collocabitur.*

¶ *Quoties verò ſacra Communio celebrabitur, tum Presbyter tantum Panis & Vini ſuper Menſa reponet quantum ſufficere videbitur. Quibus peractis dicat Presbyter.*

Oremus pro univerſo ſtatu Eccleſiæ Chriſti hîc in terra militantis.

OMnipotens & æterne Deus, qui per ſanctum Apoſtolum tuum nos docuiſti orare, obſecrare, deprecari, & gratias agere pro omnibus hominibus, te rogamus ſupplices ut clementer (* *eleemoſynas atq; oblationes noſtras accipias ac*) has noſtras orationes quas divinæ majeſtati tuæ offerimus, exaudias; ſupplicantes, ut ſpiritum veritatis, unitatis ac concordiæ univerſæ Eccleſiæ tuæ inſpires. Concede etiam ut quotquot ſanctum nomen tuum confitentur, ii omnes in ſancti verbi tui veritate conſentiant. vivantq, inter ſe in charitate concordes. Inſuper te rogamus ſupplices ut omnes Reges, Principes ac Dyneſtas, Chriſtum profitentes, ſerves ac tuearis, imprimis autem famulum tuum *Willielmum*, Regem noſtrum, ut ſub eo pie & tranquille vivamus. Da etiam Conſiliariis ipſius univerſis, ſinguliſq; Magiſtratu aliquo ſub ipſo fungentibus, ut rectè ac ſine perſonarum acceptione jus dicant, nequitiam & vitia coercendo, & veram Dei religionem, & virtutem tuendo & propagando. Eam autem gratiam Epiſcopis ac miniſtris omnibus largire, quâ cùm moribus tum doctrinâ, verbum tuum vivum patefaciant ac promoveant, illuſtrent & rectè ritéque Sacramenta adminiſtrent. Et populo tuo univerſo, huic autem Cœtui præſertim, concede ut animo miti ac debitâ reverentiâ ſanctum verbum tuum audiant ac excipiant, tibi verè ſervientes in ſanctitate & juſtitia, omnibus diebus vitæ ſuæ. Maxima inſuper cum animi demiſſione

* Si eleemoſynæ oblationeſve nullæ fiant, tum iſta (*eleemoſynas atque oblationes noſtras accipias ac*) quæ parenthesi includuntur, omittenda erunt.

miſſione te rogamus Domine, pro benignitate tuâ ut eos omnes conſoleris & adjuves, qui in anguſtiis, doloribus, inopia, morbe, aliiſque rebus adverſis premuntur. Atque ſancto nomini tuo benedicimus pro omnibus famulis tuis, qui in fide ac timore tuo ex hac vita migrarunt, ſuppliciter te rogantes ut gratia nobis concedatur qua eorum exempla bona ſequuti unâ cum illis regni tui cœleſtis fiamus participes. Hæc nobis concede, Pater, propter Jeſum Chriſtum Mediatorem & Advocatum noſtrum unicum. *Amen.*

¶ *Quam Miniſter futuram Communionem ſacram prænunciat, (quam ſemper prænunciabit Dominicâ aut Feſto die aliquo immediate præcedente) finita Concione, aut Homiliâ ſequentem exhortationem præleget.*

CHariſſimi ac dilectiſſimi, die ——— proximè ſequenti mihi propoſitum eſt, favente Deo, quotquot fuerint eâ quâ decet pietate ac devotione affecti, iis omnibus ac ſingulis adminiſtrare maxime ſalutare illud Sacramentum corporis ac ſanguinis Chriſti; ab iis participandum in memoriam meritoriæ illius crucis ac paſſionis, quâ ſolâ, peccatorum noſtrorum remiſſionem impetramus, & ad regni cœlorum conſortium pervenimus. Noſtrum eſt itaque ſubmiſſe atq; ex animo gratias agere, omnipotenti Deo Patri noſtro cœleſti, quia dedit Filium ſuum Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, non tantùm ut pro nobis moreretur, verùm etiam ut eſſet nobis ſpiritualis cibus & ſuſtentatio in ſancto illo Sacramento. Quod quidem cùm adeò divinum ac ſalutare ſit dignè illud participantibus, adeò verò periculoſum indigne illud ſumere audentibus, meum eſt vos hortari ut interea temporis, dignitatem illius ſancti myſterii perpendatis, magnúmque illud quod indignæ illius participationi imminet periculum; útque ſuam quiſque conſcientiam exploretis atque examinetis, idque non perfunctoriè, uti ſolent hypocritæ; ſed ita ut ſancti mundique ad tam cœleſtis epulas accedatis, induti veſte illâ nuptiali, quam requirit Deus in ſacris Scripturis, & admittamini tanquam digni qui ſacram illam Menſam participent.

Ad hæc via atque ratio prima eſt, ut vitam ac converſationem veſtram explorare velitis ad normam mandatorum Dei; atque ubicunque animadvertetis à vobis peccatum eſſe voluntate, verbove aut facto, ibi gemere ac lamentari ob peccata veſtra, confiterique Omnipotenti Deo cum firmò conſtantique vitæ emendandæ propoſito. Quod ſi peccata veſtra ejuſmodi vobis eſſe videantur, ut non tantùm Deum, verùm etiam proximos veſtros offenderint, tum eorum gratiam vobis conciliabitis, parati ad reſtituendum & ſatisfaciendum quantum quidem in vobis erit, pro contumeliis ac injuriis quibuſcunque alteri à vobis illatis: Parati etiam ad condonandum iis qui in vos pecca-

peccaverint, prout peccata veſtra vobis a Deo condonari in votis eſt. Secus enim, ſacræ Communionis participatio, hoc unum præſtat quod reatum veſtrum adaugebit. Quapropter ſi quis veſtrum ſit blaſphemus adverſus Deum, aut verbi illius hoſtis ac calumniator; ſi quis ſit adulter, aut malitiâ, aut invidiâ laboret, aut in alio quocunque magno ſcelere verſetur, reſipiſcite à peccatis veſtris; ſin minus, nolite ad ſacram illam menſam accedere, ne poſt participatum ſanctum illud Sacramentum, Diabolus in vos ingrediatur, quemadmodum in Judam ingreſſus eſt, & vos repleat omni iniquitate, & vos perducat in exitium tum corporis tum animæ.

Quandoquidem verò neminem par eſt ad hanc ſacram Communionem accedere, abſque ſancta fiduciâ in Dei miſericordiam, ac pacatâ conſcientiâ; ſi quis veſtrum conſcientiæ ſuæ tranquillitatem comparare ſupradictis rationibus non valeat, ſed ampliore conſolatione aut conſilio ſibi opus eſſe putet, ad me accedat aut alium prudentem ac doctum verbi Dei Miniſtrum adeat; & id quo gravatur illi exponat, ut verbi Dei miniſterio abſolutionis beneficium conſequatur, ut & ſpirituale conſilium & admonitionem, ad conſcientiæ æſtus ſedandos, & dubia ac ſcrupulos omnes eximendos.

¶ *Aut ſi animadvertat quod Populus negligat ad ſacram Communionem accedere, loco præcedentis, hac utetur exhortatione.*

CHariſſimi ac dilectiſſimi fratres, —— conſtitui, favente Deo, Cœnam Domini celebrare: ad quam ego vos quotquot adeſtis, omnes voco nomine Dei, voſque obſecro propter Dominum Jeſum Chriſtum ne ad illam accedere recuſetis, tam amanter ſcilicet à Deo ipſo vocati atque invitati. Noſtis quàm graviter quámque iniquo animo ferri ſolet, ſi quis lautum convivium apparaverit, & menſâ omni genere eduliorum jam inſtructa, adeo ut nihil deſit niſi ut convivæ accumbant; vocati tam ingrato animo ſint, ut temere nulláque de cauſa accedere dedignentur. Quis veſtrum ſi ſecum ita ageretur, non commoveretur? Quis non ingentem fieri ſibi injuriam putaret? Quamobrem chariſſimi & in Chriſto prædilecti, cavete ne ſubducentes vos a ſancta hac cœna iram Dei in vos provocetis. Facile dici poteſt abs quovis homine Cœnam Domini accipere nolo, quoniam alias ſum mundanis negotiis impeditus. Verùm ejuſmodi excuſationes non tam facile â Deo admittuntur aut probantur coram Deo. Si quis dicat ſum gravium peccatorum reus, idcóque metuo accedere, cur ergo non reſipiſcitis, & malos mores emendatis? Deo vocanti nonne pudet reſpondere, vos nolle accedere; Quum redeundum eſt ad Deum, num cauſamini, vos nondum eſſe paratos? Hoc apud vos diligenter reputate, quam parum valebunt apud Deum ejuſmodi fictæ ac ſimulatæ cauſationes. Qui convivium reſpuerant, juxta quod

habetur in Evangelio quia villam emerant, aut juga boum experiri vellent, aut matrimonium contraxerant, non excusati, sed indigni habiti sunt cœlesti convivio. Ego quidem præsto adero ac pro officio meo, invito vos Dei nomine, voco vos propter Christum; vos exhortor, quantum salus vestra vobis curæ est, ut sitis hujus sacræ Communionis participes. Et quemadmodum Filius Dei animam in cruce pro salute vestra morte profundere dignatus est: ita hoc officii vobis incumbit ut sacræ cœnæ sitis convivæ in recordationem sacrificii mortis illius, prout ipse præcepit. Quod quidem si à vobis neglectum fuerit, apud vos reputate, quantam Deo faciatis injuriam; & quantum inde vobis immineat periculum, quandoquidem scientes volentes à mensâ Domini abstinetis, seceſsum facientes à fratribus vestris, qui accedunt ut pascantur epulis cibi illius admodum cœlestis. Hæc si attente perpenderitis, ad meliorem mentem Deo dante reversuri estis. Quam ut consequemini Omnipotentem Deum Patrem nostrum cœlestem indelinenter rogabimus.

¶ *Quum celebrabitur sacra Communio, communicantibus in locis idoneis ad sacrum sacramentum commodè accipiendum dispositis, Presbyter hanc exhortationem recitabit.*

CHarissimi ac dilectissimi in Domino, quibus propositum est accedere ad sanctam Communionem corporis ac sanguinis Christi Servatoris nostri, oportet ut attendatis quomodo Sanctus Paulus omnes homines exhortatur, ut seipsos probent diligenter; priusquam audeant panem illum comedere ac calicem illum bibere. Nam sicuti magnum inde redundat in nos beneficium, si fide vivâ sancti illius Sacramenti fiamus participes (tum enim spiritualiter carnem Christi comedimus, & illius sanguinem bibimus, tum in Christo habitamus, & Christus in nobis; unum sumus cum Christo, & Christus nobiscum) ita nobis imminet ingens periculum, si indigne illud accipimus. Tum enim rei efficimur corporis & sanguinis Christi Servatoris nostri, edimus & bibimus judicium nostrum, non discernentes corpus Domini; iram Dei adversus nos accendimus, illum provocamus ad nos plectendos morbis ac mortis generibus variis. Quapropter fratres vos ipsos judicate, ne à Domino judicemini; præteritorum peccatorum vos seriò pœniteat; vivâ ac solidâ fide Christum servatorem nostrum amplectimini. Vitam emendate, & omnes homines ex animo diligite; sic enim futuri estis idonei qui horum sanctorum mysteriorum fiatis participes. Verùm ante omnia vos oportet demissè atque ex animo gratias agere Deo, Patri, Filio, & Spiritui sancto, ob redemptionem mundi per mortem ac passionem Christi Servatoris nostri, veri Dei simul & veri hominis, qui seipsum humiliavit usque ad mortem, mortem autem Crucis, pro nobis miseris peccatoribus cum habitaremus in tenebris & umbrâ mortis, ut

nos

nos faceret Filios Dei, & ad vitam æternam eveheret. Ut autem perpetuâ memoriâ recoleremus immenſam charitatem Domini noſtri & Servatoris unici Jeſu Chriſti eo pacto pro nobis morientis; ut & innumera beneficia quæ ſanguinis ſui pretioſâ effuſione nobis impetravit, ſacroſancta myſteria amoris ſui veluti pignora, ad perpetuam mortis ſuæ recordationem, inſtituit ac ordinavit ad magnam atque æternam conſolationem noſtram. Ipſi itaque unà cum Patre & Spiritu ſancto indeſinenter (prout tenemur maximè) gratias agamus, ſanctiſſimæ illius voluntati prorſus nos ſubjicientes, & operam dantes ut ei ſerviamus in ſanctitate, & juſtitiâ omnibus diebus vitæ noſtræ. *Amen.*

¶ *Tum Presbyter ad accipiendam ſacram Communionem accedentibus dicet,*

VOS quos verè & ſeriò peccatorum veſtrorum penitet, quique proximos verâ charitate complectimini, & vitam novam inſtituere decreviſtis, mandatis Dei obſequendo, & in viis ejus ſanctis poſthac ambulando: cum fide accedite, & hoc ſanctum Sacramentum accipite in ſolatium veſtrum: atque omnipotenti Deo magna cum animi demiſſione confitemini, in genua modeſte provoluti.

¶ *Tum hæc generalis Confeſſio eorum omnium nomine quibus propoſitum eſt ſacram Communionem accipere, fiet ab aliquo Miniſtrorum, ipſe & Populo univerſo in genua humiliter provolutis, ac dicentibus:*

OMnipotens Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti rerum omnium conditor, hominum omnium judex, confitemur ac deploramus multiplicia peccata & ſcelera noſtra, quæ ſubinde flagitioſè admodùm commiſimus, cogitatione, verbo, & opere, contra divinam tuam majeſtatem, iram atque indignationem tuam adverſus nos juſtiſſimè provocantes. Seriò nos pœnitet; & ex animo dolemus ob ejuſmodi dilecta noſtra; Eorum recordatio nobis acerba eſt, onus intolerabile. Miſerere noſtrî, miſerere noſtrî, Pater ſummè miſericors. Propter filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, præteritorum omnium veniam concede; da etiam ut in poſterum ſemper tibi ſerviamus & placeamus in novitate vitæ, ad Nominis tui honorem & gloriam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum Presbyter (aut Epiſcopus ſi adſit) eriget ſe, & converſus ad Populum hanc abſolutionem pronunciabit:*

OMnipotens Deus Pater noſter cœleſtis, qui ex ſumma miſericordia peccatorum remiſſionem promiſit iis omnibus qui ſeriò atque ex animo pœnitentes cum vera fide ad eum ſe convertunt, veſtrî miſereatur, peccata veſtra vobis omnia condonet, ab iiſque vos liberet; vos confir-

met & roboret in omni bono, vósque perducat ad vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

¶ *Deinde Presbyter dicet.*

Audite suavissima verba Christi Servatoris nostri ad consolandum eos omnes qui ad ipsum revera convertuntur.

VEnite ad me omnes qui laboratis atque onerati estis, & ego reficiam vos. S. *Matth.* xi. 28.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat sed habeat vitam æternam. S. *Joan.* iij. 16.

Audite etiam quid dicat Sanctus Paulus.

Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, 1 *Tim.* i. 15.

Audite etiam quid dicat Sanctus Joannes.

Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. 1 S. *Joan.* ij. 1.

¶ *Post quæ pergit Presbyter dicens,*

Sursum corda.

Responsio.

Elevamus ad Dominum.

Presbyter.

Gratias agamus Domino Deo nostro.

Responsio.

Dignum & justum est.

¶ *Tum Presbyter ad mensam Domini conversus dicet.*

VEre dignum & justum est, & indispensabili officio tenemur tibi semper & ubique gratias agere, Domine, * Sancte Pater, Omnipotens æterne Deus.

*Hæc verba (*Sancte Pater*) in Festo Trinitatis omittentur.

¶ *Hîc sequetur Præfatio solennitati peculiaris, si qua sit expresse assignata, alioqui statim subjungetur.*

IDeo cum Angelis & Archangelis, cumque omni militia cœlestis exercitûs, glorioſum nomen tuum laudamus & magnificamus, te sine fine celebrantes ac dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli ac terra gloriâ tuâ, Osanna tibi in excelsis Deus. *Amen.*

¶ *Præfationes Propriæ.*

¶ *Natali die Christi, & septem diebus sequentibus.*

QUia dedisti nobis unicum Filium tuum Jesum Christum, ut pro nobis quasi hoc tempore nasceretur, qui per operationem Spiritûs sancti factus est verus homo ex substantiâ Mariæ Virginis Matris suæ, idque sine labe peccati, ut nos ab omni peccato mundaret. Ideò cum Angelis, &c.

¶ *Die*

¶ *Die Paſchatis, & ſeptem diebus ſequentibus.*

IMprimis autem te laudare tenemur propter glorioſam Reſurrectionem Filii tui Jeſu Chriſti Domini noſtri, ipſe enim verus eſt Paſchalis Agnus pro nobis oblatus qui abſtulit peccatum mundi; qui morte ſuâ mortem deſtruxit, & ſuâ Reſurrectione vitam æternam nobis reſtituit. Ideò, *&c.*

¶ *Die Aſcenſionis, & ſeptem diebus ſequentibus.*

PER Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum Filium tuum prædilectum, qui poſt glorioſiſſimam ſuam Reſurrectionem manifeſtò apparuit omnibus Apoſtolis ſuis, ipſiſque ſpectantibus in cœlos aſcendit ut locum nobis præpararet, adeò ut ubi ipſe eſt, cò nos etiam aſcendamus, & cum ipſo regnemus in gloria. Ideò, *&c.*

¶ *Die Pentecoſtes, & ſex diebus ſequentibus.*

PER Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum juxta cujus certiſſimam promiſſionem, Spiritus ſanctus hoc quaſi tempore, cum ſubito & ingenti ſonitu de cœlo deſcendit, tanquam flatus vehemens ad inſtar linguarum ignearum reſidens ſuper Apoſtolos, ut eos doceret & deduceret in omnem veritatem, impertitô ipſis variarum linguarum donô conceſsâque fiducia & ferventi zelô ad Evangelium conſtanter prædicandum omnibus gentibus. Quibus educti ſumus è tenebris & errore ad puram lucem, & veram tui adeóque Jeſu Chriſti Filii tui cognitionem. Ideò cum Angelis, *&c.*

¶ *In Feſto Trinitatis tantùm.*

QUI unus es Deus, unus Dominus; non una tantum Perſona, ſed tres perſonæ in una ſubſtantia. Quod enim de gloriâ Patris, illud idem de Filio & de Spiritu ſancto credimus, abſque ulla differentia aut inæqualitate. Ideò, *&c.*

¶ *Poſt unamquamque ex his Præfationibus immediatè cantabitur aut recitabitur.*

IDeo cum Angelis, & Archangelis, cumque omni militia cœleſtis exercitus, glorioſum nomen tuum laudamus, & magnificamus, te ſine fine celebrantes ac dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni ſunt cœli & terra gloriâ tuâ. Oſanna tibi in excellis Deus. *Amen.*

¶ *Tum Presbyter in genua provolutus ad Menſam Domini, hanc ſequentem Orationem dicit eorum omnium nomine qui ſunt communicaturi.*

NON ideò ad hanc menſam tuam audemus accedere, Domine miſericors, quod in noſtra juſtitia confidamus, ſed in multitudine ac magnitudine miſerationum tuarum. Non ſumus digni qui micas colligamus ſub menſa tua. Tu verò idem

idem es Dominus cujus proprium eſt ſemper miſeri, nobis igitur concede Domine miſericors, carnem Filii tui dilectiſſimi Jeſu Chriſti ſic edere, ſicque ſanguinem illius bibere ut corpora noſtra peccatis inquinata munda fiant, & per illius corpus animæ noſtræ abluantur in pretioſo ipſius ſanguine, útque perpetuò in ipſo habitemus, & ipſe in nobis. *Amen.*

¶ *Quum Presbyter ſtans ante Menſam Domini, Panem & Vinum ita diſpoſuerit ut expeditius ac decentius poſſit panem frangere coram Populo, & Calicem in manus ſumere, dicet orationem conſecrationis prout ſequitur.*

OMnipotens Deus, Pater noſter cœleſtis, qui ex immenſa tua miſericordia Jeſum Chriſtum Filium tuum unicum dediſti, ut mortem crucis ſubiret pro redemptione noſtra, qui ibi (unicâ ſui ipſius oblatione ſemel factâ) plenum, perfectum, & ſufficiens ſacrificium obtulit, oblationem & ſatisfactionem pro peccatis totius mundi, & inſtituit præcepitque nobis in ſancto Evangelio ſuo perpetuam memoriam pretioſæ ſuæ mortis celebrare, uſque dum redeat. Exaudi nos quæſumus ſupplices, Pater miſericors, ac concede ut nos ſumentes has creaturas panis & vini, juxta ſanctam inſtitutionem Filii tui Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, in memoriam mortis ac paſſionis illius, participes fiamus beatiſſimi illius corporis ac ſanguinis, qui eâ nocte quâ tradebatur accepit

1 panem; & cùm gratias egiſſet, illum 2 fregit, ac dedit diſcipulis ſuis, dicens, Accipite, comedite, 3 hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter poſtquam cœnatum eſt 4 accepit Calicem, & poſtquam gratias egiſſet, dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes, 5 hic eſt enim ſanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.

1 *Hic Preſbyter accipiat patinam in manus.*
2 *Hic autem frangat panem.*
3 *Hic manu porrecta tangat quicquid panis ibi fuerit.*
4 *Hic calicem manu prehendat.*
5 *Et hic vaſa omnia (ſive ſint calices ſive lagenæ) in quibus eſt vinum conſecrandum, tanget porrectâ manu.*

Hoc facite quotieſcunque biberitis in meam commemorationem.

¶ *Tunc Miniſter primus ſacram Communionem ſumet ipſe ſub utraque ſpecie, tum porget eum porrigere Epiſcopis, Preſbyteris & Diaconis, eodem modo, ſi qui adfuerint, poſtea verò etiam plebi in manus ordine, ſingulis humiliter in genua provolutis. Unicuique autem panem porrigens dicet:*

CORpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod pro te traditum eſt, Corpus & animam tuam ſervet in vitam æternam. Et accipe & comede hoc in

in memoriam quod Chriſtus mortuus eſt pro te, fide illo veſcitor, in corde tuo, cum gratiarum actione.

¶ *Miniſter Calicem porrigens unicuique, dicet:*

SAnguis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui pro te effuſus eſt, Corpus & animam tuam ſervet in vitam æternam, Bibe hoc in memoriam quod ſanguis Chriſti pro te effuſus eſt, & gratias age.

¶ *Si quantum panis aut vini conſecratum fuerat, id totum abſumptum eſt priuſquam omnes communicaverint; Presbyter majorem copiam conſecrabit juxta prius præſcriptam formulam; incipiens à verbis* (Servator noſter Chriſtus eâdem nocte quâ, *&c.*) *ad benedicendum Panì, & ab his* (ſimiliter poſtquam Cœnatum) *ad benedicendum Calici.*

¶ *Poſtquam omnes communicaverint, Miniſter redibit à Menſam Domini, & reverenter ſuper eâ reponet quidquid ſuperfuerit ex conſecratis Elementis, illud cooperiens mundo linteo.*

¶ *Tum Presbyter recitabit Orationem Dominicam, Populo unamquamque Petitionem, poſt ipſum iterante.*

PAter noſter, qui es in cœlis. Sanctificetur Nomen tuum. Adveniat Regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem: Sed libera nos à malo. Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Poſtea dicetur ut habetur in ſequentibus.*

O Domine ac Pater cœleſtis, nos humiles famuli rogamus ſupplices paternam tuam bonitatem, ut hoc laudis & gratiarum actionis ſacrificium clementer accipias, humillimè ſupplicantes ut propter merita & mortem Filii tui Jeſu Chriſti, & per fidem in illius ſanguinem concedas, ut nos cum univerſa Eccleſia peccatorum noſtrorum remiſſionem, cæteraque omnia beneficia paſſionis illius conſequamur. Hic autem offerimus ac præſentamus tibi, O Domine, nos ipſos, animas noſtras & corpora, tibi hoſtiam rationalem ſanctam & vivam, ſubmiſſe rogantes ut quotquot participes ſumus hujus ſanctæ Communionis, tuâ gratiâ & cœleſti benedictione repleamur. Et quanquam indigni ſumus ob multiplicia peccata noſtra, qui tibi ullum ſacrificium offeramus, attamen te rogamus ſupplices, ut acceptum habeas hoc debitum obſequium ac hunc cultum noſtrum, non intuendo merita noſtra, ſed condonando delicta, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, per quem & cum quo, in unitate Spiritus ſancti, tibi ſit, Pater Omnipotens, omnis honor & gloria, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Aut*

¶ *Aut hoc.*

OMnipotens & æterne Deus ex animo tibi gratias agimus quod nos, qui hæc ſancta myſteria ritè percepimus, paſcere digneris ſpirituali cibo pretioſiſſimi corporis & ſanguinis Filii tui Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, nobiſque gratiam ac favorem tuum erga nos eo pacto confirmas, quòdque ſumus genuina membra Filii tui myſtico corpori inſita, quod eſt benedicta omnium fidelium Eccleſia. Et quod ſpe ſumus etiam hæredes regni tui ſempiterni, per merita pretioſiſſimæ mortis ac paſſionis Filii tui dilectiſſimi. Summa autem cum animi demiſſione rogamus, ô Pater cœleſtis, uti nobis gratiâ tuâ ſemper ita adſis, ut in ſanctâ tuâ Communione perſeveremus & in omnibus iis bonis operibus quæ tu præparaſti ut in iis ambulemus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, cui unà tecum, & cum Spiritu ſancto, ſit omnis honor & gloria, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Deinde dicatur aut cantetur,*

GLoria in excelſis Deo, & in terra pax, bona voluntas hominibus. Te laudamus, tibi benedicimus; te adoramus, te glorificamus; tibi gratias agimus propter ſummam gloriam tuam, Domine Deus Rex cœli, Deus Pater omnipotens.

Domine Fili unigenite Jeſu Chriſte, Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris qui tollis peccata mundi, miſerere noſtri. Qui tollis peccata mundi miſerere noſtri. Qui tollis peccata mundi ſuſcipe orationem noſtram. Qui ſedes ad dexteram Dei Patris miſerere noſtri.

Quoniam tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus ô Chriſte, cum Spiritu ſancto, altiſſimus in gloria Dei Patris. *Amen.*

¶ *Poſtremo Presbyter (aut Epiſcopus ſi adſit) Eccleſiam dimittet cum hac benedictione:*

PAX Dei, quæ ſuperat omnem intellectum ſervet corda veſtra & mentes veſtras, in cognitione & amore Dei & Filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri: Et favor omnipotentis Dei, Patris, Filii, & Spiritûs ſancti, vobis adſit ſemperque vobiſcum maneat. *Amen.*

¶ *Collectæ poſt Offertorium dicendæ, quando non celebratur Communio, quolibet die, una, aut altera, aut etiam plures. Dici etiam poterunt pro datâ occaſione, poſt Collectas Matutinarum, aut Veſpertinarum Precum, Communionis aut Litaniæ, prout Miniſtro videbitur.*

ADeſto propitius Domine, his noſtris ſupplicationibus ac precibus, & viam famulorum tuorum ad conſequendam vitam æternam dirige; ut inter omnes mortalis hujus vitæ mutationes, ac caſus tuo ſemper clementiſſimo, ac præſentiſſimo auxilio protegantur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Domine

DOmine omnipotens, & æterne Deus, corda & corpora noſtra, quæſumus, dirigere, ſanctificare, ac regere digneris, in viis legis tuæ, & in operibus mandatorum tuorum: ut potentiſſima tua protectione cum corpore tum animo hic, & in æternum tuti ſimus, per Jeſum Chriſtum Dominum & Servatorem noſtrum. *Amen.*

DA quæſumus omnipotens Deus, ut quæ verba hodie externis auribus audivimus, ea ſic cordibus noſtris per gratiam tuam inſerantur, ut in nobis probæ vitæ fructum ſemper proferant, ad nominis tui honorem ac laudem, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

ACtiones noſtras ſingulas Domine clementiſſimo tuo favore præveni, & perpetuo auxilio proſequere, ut in omnibus operibus noſtris in te incœptis, continuatis & finitis, ſanctum nomen tuum glorificemus, & tandem miſeratione tuâ vitam æternam conſequamur, par Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

OMnipotens Deus, fons omnis ſapientiæ, cui perſpecta eſt indigentia noſtra priuſquam petamus, & nota ignorantia noſtra dum petimus, infirmitates noſtras miſerere quæſumus, & quæ vel propter indignitatem noſtram non audemus, vel propter cœcitatem petere non valeamus, ea nobis largiri digneris per merita Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Amen.*

OMnipotens Deus, qui pollicitus es te eorum preces exauditurum qui in Filii tui nomine petituri ſunt, aures tuas nobis qui orationes & ſupplicationes noſtras jam tibi obtulimus, propitius inclina, & da ut quæ ſecundum voluntatem tuam verâ fide petiimus, revera impetremus, ad indigentiæ noſtræ ſubſidium, & gloriæ tuæ patefactionem, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *DIebus Dominicis, aliiſque diebus feriatis (ſi non celebratur ſacra Communio) dicentur ea omnia quæ præſcripta ſunt in Officio pro ſacra Communione, uſque ad finem Precationis illius Generalis* (pro ſtatu proſpero Catholicæ Chriſti Eccleſiæ) *atque una aut altera Collectarum jam memoratarum, quæ omnia concludet benedictio.*

¶ *Non celebrabitur autem Cœna Domini, niſi adſit communicantium numerus competens ad communicandum cum Presbytero, prout ipſi viſum fuerit.*

¶ *Quod ſi non ſint ſupra viginti in Parochia idonei ad communicandum, non tamen celebrabitur ſacra Communio, niſi quatuor (aut ad minimum tres) cum Presbytero communicent.*

¶ *In Cathedralibus autem aut Collegiatis Eccleſiis, aut Collegiis,*

legiis, ubi sunt Presbyteri & Diaconi complures, communicabunt singuli unà cum Presbytero, ad minimum quâlibet Dominicâ, nisi causam justam habeant secus faciendi.

¶ Atque ut præcidatur omnis occasio dissentionis & superstitionis, quæ suboriri posset circa Panem aut Vinum, satis erit si modo Panis sit vulgaris usus; sed lectissimus & ex meliore tritico confectus qui commodè parari queat.

¶ Quod si superfit aliquid panis aut vini non consecrati, id sibi sumat Minister in privatos usus: sin vero consecrati panis aut vini quicquam superfit, extra Ecclesiam non efferetur, quin Presbyter unà cum aliis communicantibus, quos tum advocabit, statim à Benedictione, illud reverenter comedet & bibet.

¶ Panem & vinum parabunt Minister & Oeconomi, sumptibus Parochiæ.

¶ Observa autem unicuique Parochianorum ad minimum ter in annos communicandum: nominatim verò in festo Paschatis. Ac singulis annis quilibet Parochianus cum Parocho, Vicario, aut Ministro, & cum ejus eorumve Deputato aut Deputatis rationes conferet, & ipsis ipsive persolvet omnia Ecclesiastica debita, tum solvenda, & solvi solita.

¶ Sacris peractis pecunia, in offertorio erogata collocabitur in pios usus, à Ministro & Oeconomis prout ipsis visum fuerit. Quod si non fuerint concordes, tum pro arbitrio Ordinarii collocabitur.

QUandoquidem in hoc Officio pro administratione Cœnæ Domini præscribitur, ut communicantes illam sumant in genua provoluti; (quod quidem rectè præscriptum est, nempe, ut hoc pacto submissum & gratum animum significemus pro beneficiis Christi, quæ in ea omnibus digne communicantibus tribuuntur; atque ut sic omnis absit à sacra Communione profanatio & confusio, quæ alioqui oriri possent) Attamen, ne genuflectio illa à quoquam seu ex ignorantiâ & infirmitate, seu ex malitiâ & obstinatâ pervicaciâ secus quàm par est accipiatur, aut etiam depravetur; hic declaramus, & omnibus notum facimus eâ genuflectione nullam Adorationem deferri, aut deferri debere pani aut vino Sacramentali, quæ ibi corporaliter accipiuntur, aut ulli præsentiæ corporali naturalis carnis, aut sanguinis Christi. Quippe panis Sacramentalis & Sacramentale vinum manent in veris suis naturalibus substantiis, ideoque non debent adorari, (id enim Idololatria foret, à quâ fideles omnes Christiani abhorrere debent.) Et naturale corpus & sanguis Christi Servatoris nostri sunt in cœlo, non autem hic; quandoquidem esse simul & semel in pluribus locis veritati corporis naturalis Christi adversatur.

Admi-

Adminiſtratio Pædobaptiſmi quemadmodùm publice uſurpari debet in Eccleſia.

¶ *Monendus eſt populus quàm maximè decere ut Baptiſmus, non niſi Dominicis aut aliis diebus Feriatis adminiſtretur: cùm frequentiſſimus convenit populus: cùm ut ibi præſens cætus teſtari poſſit recens Baptizatorum admiſſionem in Eccleſiam Chriſti; tum etiam ut quotquot præſentes adfuerint dum Infantes baptizantur, ſuæ ipſorum profeſſionis admoneantur, quam Deo fecerunt in Baptiſmo. Quâ de cauſa etiam convenit ut Baptiſmus vulgari idiomate adminiſtretur. Attamen poterunt Infantes, (ſic urgente neceſſitate) aliis diebus Baptizari.*

¶ *Obſerva autem quod unicuique maſculo baptizandi aderunt Suſceptores duo & Suſceptrix unica: fœminæ autem, Suſceptor unicus, Suſceptrices autem duæ.*

¶ *Si quando Infantes fuerint Baptizandi, Parentes eorum veſpera præcedente, aut mane ante initium Precum Matutinarum, id notum facient Miniſtro. Tum autem Suſceptores & Suſceptrices, & Populus unà cum Infantibus ad Baptiſterium præſtò aderunt, ſtatim à finita lectione poſteriori, ad Preces ſeu Matutinas, ſeu Veſpertinas, prout Miniſtro viſum fuerit. Accedens autem Presbyter ad Baptiſterium (quod tum aquâ purâ implendum eſt) ibique ſtans dicet:*

An Infans iſte baptizatus eſt, an non?

¶ *Si reſponderint*, Minime: *Tum perget Presbyter, prout ſequitur.*

CHariſſimi, quoniam in peccato concepti ac nati ſunt omnes homines, dicitque Servator noſter Chriſtus, neminem ingredi poſſe in regnum Dei, niſi regenitus atque ex aquâ & Spiritu ſancto denuo natus fuerit, obſecro vos ut Deum Patrem invocetis, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; ut pro benigna illa ſua miſericordia illud iſti Infanti concedat, quod à natura ſua habere non poteſt, nempe ut aquâ & Spiritu ſancto baptizatus, in ſanctam Chriſti Eccleſiam admittatur, & fiat illius membrum vivum.

¶ *Tum dicet Presbyter.*

Oremus.

OMnipotens & æterne Deus, qui ex ingenti miſericordia tua Noachum & familiam ejus in Arca ſervaſti ne aqua-

aquarum diluvio perirent, quique filios Iſrael populum tuum traduxiſti per mare rubrum incolumem, figuram in eo ſacri Baptiſmatis exhibens; atque per Baptiſmum prædilecti Filii tui Jeſu Chriſti in Jordane flumine aquam ad myſticam peccati ablutionem ſanctificaſti; Supplices te rogamus, pro infinitis tuis miſerationibus, ut clementer infantem iſtum ab alto reſpicias; ipſum abluas & ſancto Spiritu tuo ſanctifices, ut ab ira tua liberatus, in arcam Eccleſiæ Chriſti admittatur; atque fide confirmatus, ſpe lætus & in charitate radicatus, turbulenti hujus mundi fluctus ſic pertranſeat, ut ad portum vitæ æternæ tandem perveniat, ibi tecum in ſæcula ſæculorum regnaturus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

OMnipotens & immortalis Deus, indigentium omnium auxilium, eorum quotquot opis implorandæ causâ ad te confugiunt, adjutor; vita credentium, & reſurrectio mortuorum: Te in infantis hujus gratiam invocamus, ut ad ſacrum tuum Baptiſma accedens, peccati remiſſionem per ſpiritualem regenerationem conſequatur. Admitte ipſum ô Domine, prout promiſiſti per dilectum Filium tuum, dicens, Petite & dâbitur vobis; quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis: Da itaque nobis jam petentibus; fac ut quærentes inveniamus; pulſantibus aperi, ut hic Infans cœleſtis tuæ ablutionis æternâ benedictione fruatur & perveniat ad regnum illud ſempiternum quod promiſiſti, per Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum eriget ſe Populus, Preſbyter autem dicet.*

Audite verba Evangelii, à ſancto Marco ſcripti, capite decimo, verſu decimo tertio.

ET offerebant illi parvulos, ut tangeret illos; Diſcipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cùm videret Jeſus, indignè tulit, & ait illis, Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos. Talium enim eſt regnum Dei. Amen dico vobis quiſquis non receperit regnum Dei velut parvulus non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus ſuper illos, benedicebat iis. S. *Marc.* x. 13.

¶ *Poſt prælectum Evangelium, Miniſter hanc brevem exhortationem ſuper verba Evangelii recitabit.*

DIlecti, auditis in hoc Evangelio verba Chriſti Servatoris noſtri, quod juſſerit pueros ad ſe adduci; utque volentes à ſe eos prohibere objurgaverit; ut etiam omnes & ſingulos exhortetur ad imitandum eorum innocentiam. Intelligitis ut externo geſtu & facto ſuo propenſam ſuam in eos voluntatem declaraverit; eos enim ulnis amplexus eſt; manus ipſis impoſuit eiſque benedixit. Nolite igitur dubitare, ſed ſerio credite ipſum, Infantem iſtum benignè excepturum; ulnis miſericordiæ ſuæ amplexurum; vitæ æternæ benedictione donaturum; & ſempiterni regni

regni ſui facturum participem. Itaque cùm ſimus perſuaſi de Patris noſtri cœleſtis in hunc Infantem propenſa voluntate per Jeſum Chriſtum Filium ſuum patefactâ: neque ſit ulla dubitandi cauſa quin pium hoc officium noſtrum, quum Infantem iſtum ad ſacrum illius baptiſma adducimus, ipſi acceptum ſit, ipſi cum fide ac devotione gratias agamus, dicentes,

OMnipotens & æterne Deus, Pater cœleſtis, humillimas tibi gratias agimus, quod nos vocare ad cognitionem gratiæ tuæ & ad fidem in te, dignatus es. Cognitionem iſtam auge, & in iſta fide nos in æternum confirma. Sancto tuo Spiritu Infantem hunc dona, quo renaſcatur & æternæ ſalutis hæres conſtituatur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui vivit & regnat tecum, & cum Spiritu ſancto, nunc & in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Tum Presbyter, Suſceptores & Suſceptrices alloquetur in hunc modum.*

CHari ac dilecti, Infantem iſtum huc attuliſtis ut baptizaretur, oraſtis ut Dominus noſter Jeſus Chriſtus eum accipere, peccati veniam facere, ſancto Spiritu ſanctificare, regnóque cœlorum atque vitâ æternâ donare dignetur. Audiviſtis etiam Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in Evangelio ſuo promiſiſſe ſe conceſſurum ea omnia quæ orando ab ipſo petiiſtis, quibus ille quidem promiſſis ſtabit certiſſimé. Itaque cum tali promiſſione ſe Chriſtus obſtrinxerit; Infantem etiam iſtum oportet per vos illius fide-juſſores polliceri (donec ad eam ætatem pervenerit qua poſſit hoc in ſe ſuſcipere) Diabolo & omnibus ejus operibus ſe renunciaturum, ſeque conſtanter ſacro Dei verbo crediturum, & obſequenter mandata ejus ſervaturum.

Quæro itaque,

AN abrenuncias, Infantis iſtius nomine, Diabolo & omnibus operibus ejus, inani pompæ & gloriæ hujus ſæculi, omnibus ejuſdem cupiditatibus, & carnis concupiſcentiis, adeò ut nec eas ſequuturus ſis, nec iis te duci permiſſurus?

Reſponſio.

Abrenuncio iſtis omnibus.

Miniſter.

CRedis in Deum Patrem, *&c.*
Et in Jeſum Chriſtum, *&c.*
Tune etiam credis in Spiritum ſanctum, *&c.*

Reſponſio.

Hæc omnia firmâ fide credo.

Miniſter.

NUM vis in hanc fidem baptizari?

Reſponſio.

Cupio.

Miniſter.

NUM itaque ſanctam Dei voluntatem & mandata ejus obſequenter ſervaturus es, & in iis ambulaturus omnibus diebus vitæ tuæ?

Reſponſio.

Eam ſervaturus ſum, & in iis ambulaturus.

¶ *Tum*

¶ *Tum dicet Presbyter:*

COncede miſericors Deus, ut vetus Adam in iſto Infante ita ſepeliatur, ut novus homo in eo ſuſcitetur. *Amen.*

Concede ut omnes carnales affectus in ipſo moriantur, & omnia quæ ſunt Spiritus, in eo vivant & augeantur. *Amen.*

Concede illi poteſtatem & vim ad victoriam reportandam, & ad triumphandum de Diabolo, mundo, & carne. *Amen.*

Concede ut quicunque hic per noſtrum officium atque Miniſterium tibi dicatur, virtutibus etiam cœleſtibus & æterno præmio donetur, per miſericordiam tuam, ô benedicte Domine Deus, qui vivis, quique cuncta moderaris, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

OMnipotens ſempiterne Deus, cujus chariſſimus ac dilectiſſimus Filius Jeſus Chriſtus, ex pretioſiſſimo latere ſuo aquam ſimul & ſanguinem in remiſſionem peccatorum noſtrorum profudit, & diſcipulis ſuis in mandatis dedit, ut euntes, omnes gentes docerent, & eos baptizarent in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti; reſpice quæſumus ſupplicationes Eccleſiæ tuæ; aquam hanc ſanctifica ad myſticam peccati ablutionem; ac concede ut Infans iſte eâ jam baptizandus accipiat gratiæ tuæ plenitudinem, & ſemper maneat in numero fidelium & electorum Filiorum ſuorum, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum Presbyter Infantem in manus accipiet, & Suſceptoribus ac Suſceptricibus dicet:*

Huic Infanti nomen imponite.

¶ *Tunc ipſum nomine jam ab ipſis impoſito compellans (ſi affirmaverint Infantem ferre poſſe) aquæ cautè & circumſpectè immerget, dicens:*

NEgo baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. *Amen.*

¶ *Sin verò infirmum eſſe Infantem affirment, ſatis erit aquam in illum leniter effudiſſe, verba ſupra memorata recitando.*

NEgo baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. *Amen.*

¶ *Tum dicet Presbyter:*

INfantem hunc in cœtum gregis Chriſti admittimus, atque * illum ſignamus ſigno crucis, in ſignum quod ipſum poſthac non pudebit fidem in Chriſtum Crucifixum profiteri, & ſub ejus ſigno contra Peccatum, Mundum, & Satanum viriliter pugnare, fidelémque Chriſti militem ac famulum ad vitæ finem uſque permanere. *Amen.*

* *Hic Preſbyter Infantis frontem ſigno crucis ſignabit.*

¶ *Deinde*

¶ *Deinde dicet Presbyter:*

CUM jam infans iſte, chari ac dilecti fratres, regenitus ſit & in corpus Eccleſiæ Chriſti inſitus, gratias agamus Omnipotenti Deo, pro iſtis beneficiis, & unanimes ipſum comprecemur ut infans iſte reliquam vitam ſuam inſtituat juxta hoc initium.

¶ *Tum cunctis in genuâ provolutis, dicetur,*

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. *Amen.*

¶ *Deinde Presbyter dicet:*

EX animo tibi gratias agimus, Pater ſummè miſericors, quod dignatus ſis Infantem hunc ſancto Spirito tuo regenerare, eum in Filium tuum adoptivum aſſumere, & ſanctæ Eccleſiæ corpori inſerere, ſupplices etiam te rogamus largiaris, ut peccato mortuus, vivenſque juſtitiæ, atque conſepultus Chriſto in mortem illius, veterem hominem crucifigat, & totum corpus peccati penitus aboleat, ut quemadmodum Filii tui mortis ſit particeps, ſic fiat particeps reſurrectionis illius, adeò ut tandem cum reliqua ſancta tua Eccleſia, æterni regni tui hæreditatem conſequatur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum cunctis ſtantibus, Presbyter ad Suſceptores & Suſceptrices hanc ſequentem exhortationem diriget.*

QUoniam infans iſte per vos ſponſores ſuos promiſit ſe abrenunciaturum Satanæ & omnibus operibus ejus; in Deum crediturum, & illi ſervituram; meminiſſe vos oportet veſtri muneris eſſe ac officii, providere ut Infans iſte doceatur, ubi primum per ætatem doceri potuerit, quam ſolenne votum, promiſſionem, & profeſſionem per vos fecerit. Quo autem iſta melius cognoſcat; ipſum monebitis ut ſacras conciones audiat, imprimis verò curabitis ut ſymbolum Apoſtolorum, Orationem Dominicam, & decalogum addiſcat vulgari idiomate; atque ea omnia quæ Chriſtianum hominem ad ſalutem animæ oportet cognoſcere ac credere: ut etiam Infans iſte ad ducendam piam & Chriſtianam vitam inſtituatur; ſemper memor quod Baptiſmus nobis repræſentat profeſſionem noſtram, nempe ut Chriſti Servatoris noſtri exemplum imitemur, & ad ejus ſimilitudinem confirmemur; ut quemadmodum ille pro nobis mortuus eſt & reſurrexit, ita nos etiam qui baptizamur peccato moriamur & ad juſtitiam reſurgamus, pravos omnes & corruptos affectus indefinenter mortificantes, & indies progreſſus facientes in omni virtute & piâ vivendi ratione.

¶ *Tum*

¶ *Tum addet ac dicet.*

CUrare vos oportet, ut Infans iſte ad Epiſcopum adducatur ut ab ipſo confirmetur, quam primum recitare poterit ſymbolum Apoſtolicum, orationem Dominicam, & Decalogum linguâ vernaculâ, & in Catechiſmo in eum finem edito, plenius inſtituatur.

COnſtat ex verbo Dei Infantes baptizatos, qui moriuntur antequam peccatum ullum actuale commiſerint, indubiè ſalvari.

AD eximendum ommem ſcrupulum, circa uſum ſigni Crucis in Baptiſmo, vera rei iſtius explicatio, & juſtæ cauſæ illius retinendæ, videri poterunt, in Canone XXX. Anno Domini 1604. primum edito.

Adminiſtratio Pædobaptiſmi in Privatis Ædibus.

¶ *CUrati Populum ſæpe admonebunt, ne Infantium Baptiſmum longius differant quam in Dominicam nativitatem eorum proximè ſequentem, aut à nativitate ſecundam, aut in alium diem feſtum inter utramque Dominicam, niſi ob cauſam gravem juſtamque atque Miniſtro probatam.*

¶ *Ipſos etiam monebunt, ne niſi gravi & neceſſaria de cauſa liberos ſuos procurent domi intra privatos parietes baptizandos. Urgente autem neceſſitate, tum adminiſtrabitur Baptiſmus in hunc modum.*

¶ *Primo Parochus, aut eo abſente, alius quilibet Miniſter legitimus, qui præſto aderit, unà cum iis qui præſentes adfuerint, Deum invocabunt. Orationem Dominicam recitantes, ſimulque tot Collectas ex iis quæ habentur in forma Baptiſmi Publici, quot per temporis auguſtias & rei exigentiam licuerit. Deindè nomine ab aliquo eorum qui præſentes aderunt, Infanti impoſito, Miniſter aquam in eum effundet, hæc verba recitando.*

NEgo baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. *Amen.*

¶ *Tum cunctis in genua provolutis, Miniſter Deo gratias aget, dicens.*

EX animo tibi gratias agimus, Pater ſumme miſericors, quod dignatus ſis Infantem hunc ſancto Spiritu tuo regenerare, eum in Filium tuum adoptivum aſſumere, & ſanctæ Eccleſiæ tuæ corpori inſerere. Supplices etiam te rogamus largiaris, ut quemadmodum jam particeps factus eſt mortis

mortis Filii tui, ſic & reſurrectionis ejus fiat particeps: Et tandem cùm reliquis ſanctis tuis æterni regni hæreditatem conſequatur, per eundem Filium tuum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Ne autem ullo modo dubitent quin Infans eo modo ſacro Baptiſmo inctus, ſit ritè & ſufficienter Baptizatus; adeò ut nefas ſit eum denuo baptizari. Si tamen Infans ad hunc modum baptizatus ſuperſtes fuerit, eum expedit in Eccleſiam afferri, ut ſi Parochus ipſe illum baptizaverit, Eccleſia certior fiat de verâ forma baptiſmi ab eo privatim uſurpata: re autem ſic ſe habente ita dicet:*

Ego vobis denuncio, me Infantem iſtum, tali tempore & loco, juxta legitimum præſcriptúmque Eccleſiæ ordinem coram multis teſtibus baptizaſſe.

¶ *Si autem Infans ab aliquo alio Miniſtro legitimo baptizatus fuerit, tunc Miniſter Parochiæ illius in quâ natus eſt Infans & baptizatus, examinabit atque perquiret fueritne Infans ritè baptizatus an non? Si fuerit, & illi qui Infantem in Eccleſiam afferunt, reſponderint, Infantem iſtum jam baptizatum eſſe, tunc Miniſter eos ulterius examinabit dicens.*

A Quo baptizatus eſt Infans iſte?

Quis præſens adfuit, cum baptizatus eſt infans iſte?

Quoniam fieri poteſt ut nonnulla quæ ad hujus ſacramenti eſſentiam ſpectant, præ metu aut nimia feſtinatione in tantâ periculi urgentis neceſſitate, omiſſa ſint, ideò quæro à vobis,

Quo liquore baptizatus eſt Infans iſte?

Quibus verbis infans iſte baptizatus eſt?

¶ *Quod ſi Miniſter ex eorum reſponſionibus qui Infantem ſiſtunt, omnia ritè legitimèque peracta comperiat; tunc Infantis baptiſmum non iterabit, ſed illum recipiet tanquam unum è grege verè Chriſtiani Populi, dicens in hunc modum.*

EGO vobis denuntio, re ita ſe habente, ritè legitimèque atque juxta ordinem cuncta eſſe peracta circa baptiſmum hujus Infantis; qui natus in originali peccato & ſub irâ Dei, nunc eſt per lavacrum regenerationis, in Baptiſmo, in numerum Filiorum Dei & hæredum vitæ æternæ co-optatus. Quippe Dominus noſter Jeſus Chriſtus gratiam ſuam ejuſmodi infantibus non denegat, ſed eos ad ſe peramanter invitat ut teſtatur Evangelium ad magnam noſtram conſolationem, in hunc modum.

Evangelium. S. Marc. x. 13.

ET offerebant illi parvulos, ut tangeret illos; Diſcipuli autem comminabantur offerentibus. Quod cùm videret Jeſus indignè tulit, & ait illis Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos. Talium

lium enim eſt regnum Dei. Amen dico vobis quiſquis non receperit regnum Dei velut parvulus non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus ſuper illos, benedicebat iis.

¶ *Poſt prælectum Evangelium, Miniſter hanc brevem exhortationem ſuper verba Evangelii recitabit.*

DIlecti, auditis in hoc Evangelio verba Chriſti Servatoris noſtri, quod juſſerit pueros ad ſe adduci; utque volentes à ſe eos prohibere objurgaverit; ut etiam omnes & ſingulos exhortetur ad imitandum eorum innocentiam. Intelligitis ut externo geſtu & facto ſuo propenſam ſuam in eos voluntatem declaraverit; eos enim ulnis amplexus eſt; manus ipſis impoſuit eiſque benedixit. Nolite igitur dubitare, ſed ſeriò credite ipſum Infantem ipſum benignè excepiſſe; ulnis miſericordiæ ſuæ amplexum eſſe; vitæ æternæ benedictione donaviſſe; & (prout in ſancto verbo ſuo promiſit) ſempiterni regni facturum participem. Itaque cùm ſimus perſuaſi de Patris noſtri cœleſtis in hunc Infantem propenſâ voluntate per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum patefactâ; ipſi cum fide & devotione gratias agamus, Orationem quam Dominus nos docuit recitantes.

PATER noſter, qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terrâ. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. *Amen.*

OMnipotens & æterne Deus, Pater cœleſtis, humillimas tibi gratias agimus, quod nos vocare ad cognitionem gratiæ tuæ & ad fidem in te, dignatus ſis. Cognitionem iſtam auge, & in iſta fide nos in æternum confirma. Sancto tuo Spiritu Infantem iſtum dona, ut renatus & ſalutis æternæ hæres conſtitutus, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſervus tuus permaneat, & promiſſionem tuam conſequatur, per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui vivit & regnat una tecum, & cum Spiritu ſancto, nunc & ſemper. *Amen.*

¶ *Tum Presbyter quæret Infantis nomen, quo à Suſceptoribus & Suſceptricibus prolato, Miniſter dicet:*

AN abrenuncias, Infantis iſtius nomine, Diabolo & omnibus operibus ejus, inani pompæ & gloriæ hujus ſæculi, omnibus ejuſdem cupiditatibus, & carnis concupiſcentiis; adeò ut nec eas ſequuturus ſis, nec iis te duci permiſſurus?

Reſponſio.

Abrenuncio iſtis omnibus.

Miniſter.

CRedis in Deum Patrem, *&c.* Et in Jeſum Chriſtum, *&c.*

Tunc

Tunc etiam credis in Spiritum ſanctum, &c.

Reſponſio.

Hæc omnia firma fide credo.

Miniſter.

NUM itaque ſanctam Dei voluntatem & mandata ejus obſequenter ſervaturus es, & in iis ambulaturus omnibus diebus vitæ tuæ?

Reſponſio.

Eam ſervaturus ſum, & in iis ambulaturus.

¶ *Tum dicet Presbyter.*

INfantem hunc in cœtum gregis Chriſti admittimus, atque * illum ſignamus ſigno crucis, in ſignum quod ipſum poſthac non pudebit fidem in Chriſtum crucifixum profiteri, & ſub ejus ſigno contra Peccatum, Mundum, & Satanam, viriliter pugnare, fidelémque Chriſti militem ac famulum ad vitæ finem uſque permanere. *Amen.*

* *Presbyter Infantis frontem ſigno crucis ſignabit.*

¶ *Deinde dicet Presbyter,*

CUM jam Infans iſte, chari ac prædilecti fratres, regenitus ſit & in corpus Eccleſiæ Chriſti inſitus, gratias agamus Omnipotenti Deo, pro iſtis beneficiis, & unanimes ipſum comprecemur ut Infans iſte reliquam vitam ſuam inſtituat juxta hoc initium.

¶ *Tum Presbyter dicet.*

EX animo tibi gratias agimus Pater ſummè miſericors, quòd dignatus ſis Infantem hunc ſancto Spiritu tuo regenerare, eum in Filium tuum adoptivum aſſumere, & ſanctæ Eccleſiæ corpori inſerere. Supplices etiam te rogamus largiaris, ut peccato mortuus, vivenſque juſtitiæ, atque conſepultus Chriſto in mortem illius, veterem hominem crucifigat, & totum corpus peccati penitus aboleat, ut quemadmodum Filii tui mortem participat, ſic fiat particeps reſurrectionis illius, adeò ut tandem cum reliqua ſancta tua Eccleſia, æterni regni tui hæreditatem conſequatur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

¶ *Tum cunctis ſtantibus, Miniſter ad Suſceptores & Suſceptrices hanc exhortationem dirigat.*

QUoniam Infans iſte per vos ſponſores ſuos promiſit ſe abrenunciaturum Satanæ & omnibus operibus ejus; in Deum crediturum, & illi ſervaturum; meminiſſe vos oportet veſtri muneris eſſe ac officii, videre ut Infans iſte doceatur, ubi primum per ætatem doceri potuerit quam ſolenne votum, promiſſionem, ac profeſſionem, per vos fecerit. Quo autem iſta melius cognoſcat; ipſum monebitis ut ſacras conciones audiat, imprimis verò curabitis ut ſymbolum Apoſtolorum, Orationem Dominicam, & Decalogum addiſcat vulgari idiomate; atque ea omnia quæ chriſtianum hominem

ad ſalutem animæ oportet cognoſcere ac credere: ut etiam Infans iſte ad ducendam piam & Chriſtianam vitam inſtituatur; ſemper memor quod Baptiſmus nobis repræſentat profeſſionem noſtram, nempe ut Chriſti Servatoris noſtri exemplum imitemur, & ad ejus ſimilitudinem conformemur; ut quemadmodum ille pro nobis mortuus eſt & reſurrexit, ita nos etiam qui baptizamur, peccato moriamur & ad juſtitiam reſurgamus, pravos omnes & corruptos affectus indeſinenter mortificantes, & indies progreſſus facientes in omni virtute & piâ vivendi ratione.

¶ *Quod ſi autem ii qui Infantem adferunt in Eccleſiam incertas adeò reſponſiones dederint quæſtionibus à Presbytero propoſitis, ut indè non liqueat Infantem aquâ baptizatum fuiſsè, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti (quæ ſunt Baptiſmi partes eſſentiales) tunc Presbyter eum baptizet juxta formam in præcedentibus præſcriptam pro Pædobaptiſmo publico; excepto quod in immerſione Infantis in Baptiſterium, utetur hac verborum formula:*

QUod ſi jam non ſis baptizatus, N. ego baptizo te, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. *Amen.*

Adminiſtratio Baptiſmi Adultorum, qui pro ſeipſis poſſunt reſpondere.

¶ *QUum baptizandi ſunt adulti, maturè id Epiſcopo (aut cui hoc munus ab Epiſcopo demandatum fuerit) à Parentibus aut aliis viris prudentibus renunciabitur ſeptem ad minimum dies priuſquam baptizentur; ut eo pacto cum debita diligentia examinentur, num ſcilicet elementa Chriſtianæ Religionis ſatis probè teneant; & moneantur ut ſe orationibus & jejunio præparent ad ſanctum hoc Sacramentum recipiendum.*

¶ *Et ſi idonei reperti fuerint, tum Suſceptores & Suſceptrices, (congregato Populo die Dominica, aut Feriato die ad id deſignato) præſto aderunt ut eos præſentent ad Baptiſterium ſtatim à poſtremâ lectione, ad Preces ſeu Matutinas, ſeu Veſpertinas, prout Miniſtro viſum fuerit.*

¶ *Iis autem ibi ſtantibus, Presbyter quæret num ullus eorum, qui præſentantur, baptizatus fuerit, an non? Si reſponderint minime: tunc ſic dicet Presbyter,*

Dilectiſſimi,

DIlectiſſimi, quoniam in peccato concepti ac nati ſunt omnes homines, (& quod ex carne natum eſt, caro eſt) & qui in carne ſunt Deo placere non poſſunt, ſed vivunt in peccatis, actuales multas tranſgreſſiones perpetrantes; dicit autem Servator noſter Chriſtus, neminem ingredi poſſe in regnum cœlorum, niſi regenitus, atque ex aquâ & Spiritu ſancto denuo natus fuerit, obſecro vos ut Deum Patrem invocetis, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; ut ex illa ſua benigna miſericordia hoc iſtis concedat, quod à natura habere non poſſunt, nempe ut aquâ & Spiritu ſancto baptizentur, & in ſanctam Chriſti Eccleſiam admittantur, fiantque illius membra viva.

¶ *Tum dicet Presbyter,*

Oremus.

(¶ *Hic autem genua flectet Cœtus univerſus.*)

OMnipotens & æterne Deus qui ex ingenti miſericordia tua Noachum & familiam ejus in Arca ſervaſti ne aquarum diluvio perirent, quique filios Iſrael Populum tuum traduxiſti per mare rubrum incolumem, figuram in eo ſacri Baptiſmatis exhibens; atque per Baptiſmum dilectiſſimi Filii tui Jeſu Chriſti in Jordane flumine elementum aquæ ad myſticam peccati ablutionem ſanctificaſti; Supplices quæſumus pro infinitis tuis miſerationibus, ut clementer iſtos homines ex alto reſpicias; ipſos abluas & ſancto Spiritu tuo ſanctifices, ut ab irâ tuâ liberati, in arcam Eccleſiæ Chriſti admittantur; atque fide confirmati, ſpe læti & in charitate radicati, turbulenti hujus mundi fluctus ſic pertranſeant, ut ad portum vitæ æternæ tandem deveniant, ibi tecum in ſæcula ſæculorum regnaturi, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

OMnipotens & Immortalis Deus, indigentium omnium auxilium, eorum quotquot opis implorandæ causâ ad te confugiunt, adjutor; vita credentium, & reſurrectio mortuorum; Te in horum gratiam invocamus, ut ad ſacrum tuum Baptiſma accedentes, peccatorum ſuorum remiſſionem per ſpiritualem regenerationem conſequantur. Ipſos admitte, ô Domine, prout promiſiſti per dilectum Filium tuum, dicens, Petite & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulſate & aperietur vobis. Da igitur nobis jam petentibus; fac ut quærentes inveniamus; pulſantibus aperi, ut hi cœleſtis tuæ ablutionis æternâ benedictione fruantur & perveniant ad regnum illud ſempiternum quod promiſiſti, per Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum eriget ſe Populus, & dicet Presbyter,*

Audite verba Evangelii, à Sancto Joanne ſcripti, capite decimo, verſu primo.

ERat homo ex Phariſæis Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jeſum nocte, & dixit ei Rabbi,

ſcimus quia à Deo veniſti magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Reſpondit Jeſus & dixit ei, Amen, amen dico tibi, niſi quis natus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei. Dixit ad eum Nicodemus, quomodo poteſt homo naſci cum ſit ſenex? Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterum introire & renaſci? Reſpondit Jeſus, Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne caro eſt: & quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt. Non mireris quia dixi tibi, oportet vos naſci denuo. Spiritus ubi vult ſpirat: & vocem ejus audis, ſed neſcis unde veniat, aut quo vadat: ſic eſt omnis qui natus eſt ex Spiritu. S. *Joan.* iij. 1.

¶ *Poſt prælectum Evangelium hanc ſequentem exhortationem recitabit.*

DIlecti, auditis in hoc Evangelio, Chriſti Servatoris noſtri expreſſa verba, quod niſi quis renatus fuerit aquâ, & Spiritu, ingredi non poteſt in regnum cœlorum; ex quibus poteſtis intelligere quanta ſit hujus Sacramenti neceſſitas, ubi copia illius conceditur. Similiter immediate antequam in cœlum aſcenderet, (quemadmodum legitur in Evangelio ſecundum Sanctum Marcum capite ultimo) in mandatis dedit diſcipulis ſuis, dicens, Ite in orbem univerſum & Evangelium prædicate omni creaturæ; qui credit, & baptizatus eſt ſervabitur, qui autem non credit damnabitur. Unde etiam liquet quantum ſit quod inde in nos redundat beneficium. Itaque Sanctus Petrus Apoſtolus, quum auditâ primâ ejus Evangelicâ concione multi corde conpungerentur & ipſi cæteriſque Apoſtolis dicerent, viri fratres quid agemus? Reſpondit & dixit eis, Reſipiſcite & baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. Vobis enim eſt repromiſſio & filiis veſtris, & omnibus qui longe ſunt, quoſcunque advocaverit Dominus Deus noſter. Et multis aliis verbis eos hortabatur dicens, Servate vos ipſos ab iſta perverſa generatione. Quippe (ſicuti teſtatur alio loco idem Apoſtolus) Baptiſma etiamnum nos ſalvos facit, (non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum) per reſurrectionem Jeſu Chriſti. Nolite igitur dubitare, ſed ſeriò credite ipſum hoſce præſentes homines verè reſipiſcentes & fide ad eum accedentes benignè excepturum; peccatorum remiſſionem ipſis conceſſurum, iiſque Spiritum ſanctum largiturum; vitæ æternæ benedictione eos donaturum, facturúmque æterni regni ſui participes. Quum itaque ſimus perſuaſi de Patris noſtri cœleſtis erga ipſos propenſâ voluntate, per Jeſum Chriſtum Filium ſuum pateſactâ, cum fide ac devotione ipſi gratias agamus, dicentes,

OMnipotentes & æterne Deus, Pater noſter cœleſtis, humillimas tibi gratias agimus, quod

quod nos vocare ad cognitionem gratiæ tuæ, & ad fidem in te dignatus es: cognitionem iſtam auge, & in iſta fide nos in æternum confirma: Hoſce homines dona tuo ſancto Spiritu, quo renaſcantur, & æternæ ſalutis hæredes conſtituantur, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui vivit & regnat una tecum, & cum Spiritu ſancto, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Tum Presbyter Baptizandos ſic alloquetur:*

Dilecti, qui huc acceſſiſtis cum propoſito ſuſcipiendi Baptiſmum, audiviſtis quomodo Cœtus oraverit ut Dominus noſter Jeſus Chriſtus dignaretur vos excipere, vobiſque Benedicere, vos à peccatis abſolvere, vos regno cœlorum, & vitâ æternâ donare. Audiviſtis etiam quomodo Dominus noſter Jeſus Chriſtus promiſerit in ſancto verbo ſuo ea omnia ſe conceſſurum quæ orando ab ipſo petiiſtis; quibus ille quidem promiſſis ſtabit certiſſimé.

Itaque eum tali promiſſione ſe Chriſtus obſtrinxerit, vos etiam oportet fideliter promittere coram his teſtibus veſtris, & hoc cœtu univerſo, quod Diabolo & omnibus ejus operibus eſtis abrenunciaturi, & conſtanter ſacro Dei verbo crediturí; & obſequenter mandata ejus ſervaturi.

¶ *Tum Presbyter ſingulis baptizandis has ſequentes quæſtiones ſeorſim proponet.*

Quæſtio.

AN abrenuncias Diabolo & omnibus operibus ejus, inani pompæ & gloriæ hujus ſæculi, omnibus ejuſdem cupiditatibus, & carnis concupiſcentiis, adeò ut nec eas ſequuturus ſis nec iis te duci permiſſurus?

Reſponſio.

Abrenuncio iſtis omnibus.

Quæſtio.

CRedis in Deum Patrem, &c.
Et in Jeſum Chriſtum, &c.
Tune etiam credis in Spiritum ſanctum, &c.

Reſponſio.

Hæc omnia firma fide credo.

Quæſtio.

NUM vis in hac fide baptiſari?

Reſponſio.

Cupio.

Quæſtio.

NUM itaque ſanctam Dei voluntatem & mandata ejus obſequenter ſervaturus es, & in iis ambulaturus omnibus diebus vitæ tuæ.

Reſponſio.

Dabo operam, mihi opitulante Domino.

¶ *Tum dicet Presbyter.*

COncede miſericors Deus, ut vetus Adam in hiſce hominibus ita ſepeliatur, ut novus homo in illis ſuſcitetur. *Amen.*

Concede ut omnes carnales affectus in ipſis moriantur, & omnia quæ ſunt Spiritus, in illis vivant & augeantur. *Amen.*

Concede illis poteſtatem & vim ad victoriam reportandam, & ad triumphandum de Satana, mundo, & carne. *Amen.*

Concede, cum tibi hic ſint per officium ac miniſterium noſtrum

ſtrum dicati, ut virtutibus etiam cœleſtibus & æterno præmio donentur, per miſericordiam tuam, ô benedicte Domine Deus, qui vivis, quique cuncta moderaris, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

OMnipotens æterne Deus, cujus chariſſimus ac prædilectus Filius Jeſus Chriſtus, ex pretioſiſſimo latere ſuo aquam ſimul & ſanguinem in remiſſionem peccatorum noſtrorum profudit, & diſcipulis ſuis in mandatis dedit, ut euntes omnes gentes docerent, & eos baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; reſpice quæſumus ſupplicationes Eccleſiæ tuæ; aquam hanc ſanctifica ad myſticam peccati ablutionem; ac concede ut hi eâ jam baptizandi accipiant gratiæ tuæ plenitudinem, & ſemper maneant in numero fidelium & electorum Filiorum tuorum, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum Presbyter prehensâ uniuſcujuſque baptizandorum dexterâ, eoque, loco commodo, juxta Baptiſterium collocato, prout ipſi viſum fuerit, quæret nomen ipſius à Suſceptoribus & Suſceptricibus; deinde ipſum immerget in aquam, aut aquam in eum effundet, dicens,*

NEgo baptizo te, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. *Amen.*

¶ *Tum dicet Presbyter.*

HUnc virum in cœtum gregis Chriſti admittimus; atque * illum ſignamus ſigno crucis, in ſignum quod ipſum poſthac non pudebit fidem in Chriſtum crucifixum profiteri, & ſub ejus ſigno contra Peccatum, Mundum, & Satanam viriliter pugnare, fidelémque Chriſti militem ac famulum ad vitæ finem uſque permanere. *Amen.*

* *Hic Presbyter ejus frontem ſigno crucis ſignabit.*

CUM jam homines iſti (chari ac prædilecti fratres) regeniti ſint, & in corpus Eccleſiæ Chriſti inſiti, gratias agamus Deo omnipotenti, pro iſtis beneficiis, & unanimes ipſum comprecemur ut hi reliquam vitam ſuam inſtituant juxta hoc initium.

¶ *Tum recitabitur Oratio Dominica, omnibus in genua provolutis.*

PAter noſter, qui es in cœlis, &c.

DEmiſſo animo tibi gratias agimus Pater cœleſtis, quod nos vocare ad cognitionem gratiæ tuæ & fidem in te dignatus es, cognitionem iſtam auge, & in iſta fide nos in æternum confirma. Sancto tuo Spiritu hoſce homines dona, ut renati & æternæ ſalutis hæredes conſtituti per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, famuli tui permaneant, & promiſſionem tuam conſequantur, per eundem Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum, qui vivit & regnat tecum, in unitate ejuſdem Spiritus ſancti in æternum. *Amen.*

¶ *Tum*

¶ *Tum cunctis ſtantibus, Preſbyter hanc ſequentem exhortationem habebit; Suſceptores & Suſceptrices primum alloquens.*

QUoniam homines iſti vobis præſentibus promiſerunt ſe abrenunciaturos Satanæ & omnibus operibus ejus, in Deum credituros & ipſi ſervituros: meminiſſe vos oportet veſtri muneris eſſe ac officii ipſos monere, quam ſolenne votum, promiſſionem ac profeſſionem fecerint coram hoc cœtu, maximè vero coram vobis ipſorum teſtibus ad hoc delectis. Vobis etiam incumbit eos monere omnem illis diligentiam adhibendam ut rectè in ſancto Dei verbo erudiantur, quo creſcant in gratia & in cognitione Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac piè juſtéque atque ſobriè vivant in hoc mundo.

(¶ *Tum recens baptizatos alloquens, perget ac dicet,*)

AD vos autem quod attinet, qui jam per baptiſmum Chriſtum induiſtis, veſtri etiam muneris ac officii eſt, Filios Dei & lucis factos per fidem in Jeſum Chriſtum, pro dignitate Chriſtianæ veſtræ vocationis ambulare, atque ut decet filios lucis: ſemper memores quod Baptiſmus nobis repreſentat profeſſionem noſtram, nempe ut Chriſti Servatoris noſtri exemplum imitemur & ad ejus ſimilitudinem confirmemur; ut quémadmodum pro nobis mortuus eſt & reſurrexit; ita nos etiam qui baptizamur, peccato moriamur, & ad juſtitiam reſurgamus, pravos omnes & corruptos affectus indefinenter mortificantes, & indies progreſſus facientes in omni virtute & pia vivendi ratione.

¶ *Expedit ut unuſquiſque ita baptizatus, ab Epiſcopo confirmetur quam cito fieri poterit à Baptiſmo, ut ſic ad ſacram Communionem admittatur.*

¶ *Si qui in prima Infantia non Baptizati offerantur ad Baptiſmum priuſquam ad adultam ætatem pervenerint, ita ut pro ſe reſpondere non valeant; ſatis erit ſi adhibeatur Officium Pædobaptiſmi publici; aut (ſi verſentur in ſummo periculo) Officium Pædobaptiſmi privati, mutato tantum vocabulo,* Infans. *in vocabulum* Puer, *aut* Homo, *prout res poſtulabit.*

CATECHISMUS,

HOC EST

Inſtitutio quam unuſquiſq; addiſcere tenetur, priuſquam adducatur ad Epiſcopum ut ab illo Confirmetur.

Quæſtio.

QUod eſt tibi nomen?

Reſponſio.

N. aut M.

Quæſtio.

Quis tibi hoc nomen impoſuit?

Reſponſio.

Suſceptores mei & Suſceptrices in Baptiſmo, in quo factus ſum membrum Chriſti, filius Dei, & hæres regni cœlorum.

Quæſtio.

Quid Suſceptores tui & Suſceptrices tum tuo nomine præſtiterunt?

Reſponſio.

Tria meo nomine promiſerunt ac voverunt; *Primùm*, me abrenunciaturum Satanæ & omnibus operibus, pompis & vanitatibus hujus mundi nequam; & omnibus pravis concupiſcentiis carnis. *Secundùm*, me omnes fidei Chriſtianæ articulos creditum. *Tertiùm*, me ſanctam Dei voluntatem & illius mandata ſervaturum, & in iis ambulaturum omnibus diebus vitæ meæ

Quæſtio.

An non putas te teneri ea credere, & facere quæ tuo nomine promiſerunt?

Reſponſio.

Imò ſanè Deóque adjuvante faciam. Et ex animo Patri noſtro cœleſti gratias ago quod me ad hanc ſalutis viam vocaverit, per Jeſum Chriſtum Servatorem noſtrum. Deum etiam rogo ut me ita ſuâ gratiâ confirmet ut in ea permaneam uſque ad finem vitæ meæ.

Catechiſtes.

Recita Fidei tui Articulos.

Reſponſio.

CRedo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ: Et in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum, Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, Natus ex Maria Virgine, Paſſus ſub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus & ſepultus, Deſcendit ad inferos; Tertia die Reſurrexit à mortuis, Aſcendit ad cœlos, Sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis: Indè venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem, Remiſſionem peccatorum, Carnis reſurrectionem, ac Vitam æternam. *Amen.*

Quæſtio.

Quid potiſſimùm doceris in his fidei tuæ articulis?

Reſponſio.

Primò, doceor credere in Deum Patrem, qui me & mundum univerſum condidit.

Secundò,

Secundò, in Deum filium, qui me & totum genus humanum redemit.

Tertiò, in Spiritum ſanctum Deum, qui me & omnes electos Dei ſanctificavit.

Quæſtio.

Dicebas Suſceptores tuos & Suſceptrices tuo nomine promiſiſſe, te mandata Dei ſervaturum. Dic mihi quot ſunt illa?

Reſponſio.

Decem.

Quæſtio.

Quæ ſunt illa.

Reſponſio.

EA ipſa quæ Deus tradidit capite vigeſimo Exodi, dicens, Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſervitutis.

I. Non habebis Deos alienos coram me.

II. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea neque coles; Ego enim ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me & cuſtodiunt præcepta mea.

III. Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit inſontem Dominus eum qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui truſtra.

IV. Memento ut diem Sabbati ſanctifices, ſex diebus operaberis & facies omnia opera tua: ſeptimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt, non facies omne opus in eo, tu & filius tuus & filia tua, ſervus tuus & ancilla tua, jumentum tuum, & advena qui eſt intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare & omnia quæ in eis ſunt; & requievit die ſeptimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati & ſanctificavit eum.

V. Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

VI. Non occides.

VII. Non mœchaberis.

VIII. Non furtum facies.

IX. Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

X. Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis uxorem ejus, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.

Quæſtio.

Quid potiſſimum ex his mandatis diſcis?

Reſponſio.

Duo; nempe officium meum erga Deum, & meum etiam officium erga proximum.

Quæſtio.

Quodnam eſt officium tuum erga Deum?

Reſponſio.

Officium meum erga Deum eſt, ut in ipſum credam, ipſum timeam & diligam ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, & ex totis viribus; ut ipſum colam, ipſi gratias agam, in ipſo ſolo confidam, ipſum invocem; ipſius ſanctum nomen ejuſque verbum honorem; & ipſi verè ſerviam omnibus diebus vitæ meæ.

Quæſtio.

Quodnam eſt officium tuum erga proximum?

Reſponſio.

Officium meum erga proximum eſt, ut eum diligam ſicut meipſum & id omnibus hominibus faciam, quod ab iis vellem mihi fieri. Et ut Patrem meum & Matrem meam diligam & honorem, iiſque ſuccurram. Ut regem honorem, ipſique atque iis omnibus qui ſub ipſo aliquâ pollent authoritate obſequar; omnibus meis ſuperioribus, Doctoribus ſpiritualibus, Paſtoribus ac præceptoribus, meipſum ſubjiciam; ſubmiſsè ac reverenter me geram erga omnes qui re ullâ me antecellunt. Neminem verbo factóve lædam. Fidelem ac juſtum me in omnibus præſtem: neque malitiam neque odium in animo meo foveam. Manus meas à furto & latrocinio cohibeam; & linguam à maledicentia, mendacio, ac calumnia. Ut corpus meum temperanter, ſobrie, atque caſtè cuſtodiam. Bona aliena neque concupiſcam neque aveam, ſed diſcam artem ad vitam ſuſtentandam idoneam, & in ea gnaviter laborem. Et meo officio fungar in eo vitæ ſtatu, ad quem Deo viſum fuerit me vocare.

Catechiſtes.

Mi puer, ſcias hoc, te ex teipſo iſta præſtare non poſſe, neque in Dei mandatis ambulare & ipſi ſervire abſque gratia illius ſpeciali, quam omni tempore diligenter invocare diſcas oportet. Audiam itaque num orationem Dominicam poſſis recitare.

Reſponſio.

PATER noſter qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terrâ. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. *Amen.*

Queſtio.

Quid petis à Deo in hac oratione?

Reſponſio.

Peto à Domino Deo meo, Patre noſtro cœleſti, omnis boni largitore, ut gratiam ſuam mihi, & omnibus largiatur, ut ipſum colamus, ipſi ſerviamus & obſequamur prout tenemur. Deum etiam oro ut nobis ea omnia impertiatur quæ ſunt menti & corpori neceſſaria; utque ſit nobis propitius. & peccata noſtra nobis dimittat; ut nos etiam verſantes in quolibet periculo tam animæ, quam corpore imminente cuſtodire ac tueri dignetur: & nos ſervare ab omni peccato, ac malitiâ, ab hoſte animarum & ab æterna morte. Et hoc confido ipſum pro clementiâ ac benignitate ſua præſtiturum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Ideóque dico, *Amen.* Sic fiat.

Quæſtio.

QUot Sacramenta inſtituit Chriſtus in Eccleſia ſua?

Reſponſio.

Duo tantùm, quæ quidem in genere neceſſaria ſunt ad ſalutem conſequendam, nempe Baptiſmum & Cœnam Domini.

Quæſtio.

Quid intelligis per vocem iſtam Sacramentum?

Reſponſio.

Externum & viſibile ſignum intelligo, internæ ac ſpiritualis gra-

gratiæ, quod nobis datur, ab ipſo Chriſto inſtitutum, tanquam medium quo eam recipimus, & arrabonem ad nos de eâ certos faciendos.

Quæſtio.

Quot ſunt partes in Sacramento?

Reſponſio.

Duæ, externum viſibile ſignum, & interna ſpiritualis gratia.

Quæſtio.

Quodnam eſt externum viſibile ſignum, aut forma in Baptiſmo?

Reſponſio.

Aqua qua quis baptizatur, *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

Quæſtio.

Quænam eſt ſpiritualis & interna gratia?

Reſponſio.

Mori peccato, & denuo naſci juſtitiæ: cùm enim ſimus naturaliter in peccato nati, & iræ filii, hâc ratione facti ſumus Filii Dei.

Quæſtio.

Quid ab iis requiritur qui baptizandi ſunt?

Reſponſio.

Reſipiſcentia, quâ deſerant peccatum; & fides, quâ firmiter credant promiſſionibus Dei ſibi factis in eo Sacramento.

Quæſtio.

Qui fit itaque ut infantes baptizentur, quum ob immaturam ætatem iſta præſtare non valeant?

Reſponſio.

Quia utrumque promittunt per ſponſores ſuos, quod promiſſum tenentur ipſi præſtare, poſtquam adoleverint.

Quæſtio.

Quamobrem Sacramentum Cœnæ Domini inſtitutum eſt?

Reſponſio.

Ad perpetuam memoriam ſacrificii mortis Chriſti, & beneficiorum quæ inde percepimus.

Quæſtio.

Quænam eſt pars externa, ſeu ſignum Cœnæ Domini?

Reſponſio.

Panis & Vinum, quæ Dominus juſſit accipi.

Quæſtio.

Quænam eſt pars interna, ſeu res ſignificata?

Reſponſio.

Corpus & ſanguis Chriſti, quæ vere & re ipſa ſumuntur, & percipiuntur à fidelibus in Cœna Domini.

Quæſtio.

Quænam ſunt beneficia quæ inde percipimus?

Reſponſio.

Animarum noſtrarum corroboratio & recreatio per corpus & ſanguinem Chriſti; quemadmodum pane & vino corpora noſtra corroborantur ac recreantur.

Quæſtio.

Quid ab iis requiritur qui accedunt ad Cœnam Domini?

Reſponſio.

Ut probent ſeipſos, num verè præcedentium peccatorum eos pœniteat, firmum propoſitum habentes novam vitam inſtituendi; num fidem vivam habeant in miſericordiam Dei per Chriſtum, gratâ memoriâ mortem illius recolentes; num tandem cá quâ par eſt charitate omnes homines amplectantur.

¶ *Curatus uniuſcujuſque Parochiæ diebus Dominicis & Feſtis, poſt lectionem poſteriorem, ad Veſpertinas Preces, publi-*

publicè in Eccleſia inſtituet & examinabit in parte aliquâ hujus Catechiſmi, pueros ex ſua Parochia ad ſe adductos, quot ipſi viſum fuerit.

¶ *Omnes autem Patres, Matres, Heri & Heræ, curabunt ut liberi, famuli ac tyrones (qui Catechiſmum ſuum nondum didicerunt) in Eccleſiam ſe conferant tempore præſtituto, & obſequentes aures præbeant, & à Miniſtro dirigantur donec ea omnia addidicerint quæ hic jubentur addiſcere.*

¶ *Ubi primum Infantes adoleverint, ita ut linguâ vernaculâ poſſint recitare ſymbolum Apoſtolorum, orationem Dominicam, Decalogum; & ad alias quæſtiones reſpondere, quæ habentur in breviori hoc Catechiſmo; ad Epiſcopum adducentur. Habebunt autem ſinguli Suſceptorem aut Suſceptricem, ſuæ ſcilicet Confirmationis teſtem.*

¶ *Quotieſcunque verò Epiſcopus indicaverit, pueri ad ſe Confirmationis gratiâ adducantur; uniuſcujuſque Parochiæ Miniſter, aut ipſe afferet, aut ſaltem mittet eorum omnium nomina chartæ inſcripta (ſuo etiam manu propriâ ſubſcripta nomine) qui ipſi videbuntur idonei qui Epiſcopo præſententur ut ab eo Confirmentur. Quòd ſi Epiſcopo probentur, eos Confirmabit juxta ſequentem formulam.*

ORDO CONFIRMATIONIS.

Seu Impoſitionis Manuum ſuper eos qui Baptizati, ad adultam ætatem pervenerunt.

¶ *Die ad hoc præſtituta, quotquot tunc Confirmandi ſunt ordine diſpoſitis, ac ſtantibus coram Epiſcopo; vel ipſe, vel alius Miniſter ad hoc ab eo conſtitutus hanc ſequentem præfationem præleget.*

UT Confirmatio cum majori eorum ædificatione, qui confirmandi ſunt, adminiſtretur, Eccleſiæ viſum eſt ſtatuere, ut nemo in poſterum Confirmetur, niſi qui teneat Symbolum Apoſtolicum, orationem Dominicam, & Decalogum, & poſſit reſpondere ad alias illas quæſtiones quæ habentur in breviore Catechiſmo. Quod quidem inſtitutum maximè decet obſervari, ut pueri jam adulti, edoctique quid Suſceptores & Suſceptrices pro ipſis in Baptiſmo, promiſerint, illud ipſum ipſi ore & motu proprio coram Eccleſiâ palam ratum habeant ac confirment; atque ut etiam promittant ſe, adjuvante Dei gratiâ, magis ac magis daturos operam ut ea fideliter præſtent, quibus aſſentiri ſe profeſſi ſunt.

¶ *Tum*

¶ *Tum dicet Epiſcopus,*

NUm hic coram Deo, & hoc Cœtu iteraris ſolennem illam promiſſionem quæ facta, & votum quod nuncupatum eſt veſtro nomine in baptiſmo veſtro; ipſi eadem rata habentes ac confirmantes, & agnoſcentes vos teneri ea omnia credere & præſtare, quæ tunc veſtri Suſceptores & Suſceptrices pro vobis ſuſceperunt?

¶ *Unuſquiſque ita ut audiri poſſit, reſpondebit,* Maximé.

Epiſcopus.

ADjutorium noſtrum in nomine Domini.

Reſponſio.

Qui fecit cœlum & terram.

Epiſcopus.

Sit nomen Domini benedictum.

Reſponſio.

Ab hinc & in ſæcula ſæculorum.

Epiſcopus.

Domine exaudi orationes noſtras.

Reſponſio.

Et clamor noſter ad te perveniat.

Epiſcopus.

Oremus.

OMnipotens & æterne Deus, qui hos famulos tuos aqua & Spiritu ſancto regenerare dignatus es, quique iis conceſſiſti omnium peccatorum ſuorum remiſſionem; eos quæſumus Domine, ſancto Spiritu Paracleto confirma, & indies gratiæ tuæ dona multiplica; Spiritum ſapientiæ & intelligentiæ; ſpiritum conſilii & ſpiritualis roboris; ſpiritum cognitionis & veræ pietatis in illis adauge, eóſque reple Spiritu ſancti timoris tui nunc & in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Tunc omnibus ordine in genua provolutis coram Epiſcopo, uniuſcujuſque capiti ſucceſſivè manum imponet, dicens.*

HUnc filium [*aut hunc famulum*] tuum cœleſti tuâ gratiâ protege, tuus ut ſemper maneat; & indies magis magiſque Spiritu tuo augeatur, donec ad æternum regnum tuum perveniat. *Amen.*

¶ *Tum dicet Epiſcopus,*

Dominus vobiſcum.

Reſponſio.

Et cum Spiritu tuo.

¶ *Et (ſingulis in genua provolutis) Epiſcopus ſubjunget,*

Oremus.

PATER noſter, qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terrâ. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. *Amen.*

¶ *Et*

¶ *Et hanc Collectam.*

OMnipotens & æterne Deus, qui das velle & præstare quæ bona sunt & divini Majestati tuæ accepta; Supplices te rogamus pro his famulis tuis quibus, juxta sanctorum Apostolorum tuorum exemplum, manus nostras imposuimus, ut (hoc signo) certiores fiant de tuo favore, clementriâ & bonitate erga ipsos. Maneat semper super eis quæsumus, paterna manus tua; semper cum illis sit sanctus Spiritus tuus; & eos ita deducas in cognitionem & obsequium verbi tui; ut tandem vitam æternam consequantur, per Jesum Christum, qui unà tecum & cum Spiritu sancto vivit & regnat, semper unus Deus, in sæcula sæculorum. *Amen.*

DOmine Omnipotens & æterne Deus, corda & corpora nostra quæsumus, dirigere, sanctificare ac regere digneris in viis legis tuæ, & in operibus mandatorum tuorum; ut potentissimâ tuâ protectione cum corpore tum animo hic, & in æternum tuti simus, per Jesum Christum Dominum & Servatorem nostrum. *Amen.*

¶ *Tum eis benedicet Episcopus ita dicens,*

BEnedictio omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus sancti vobis adsit, sempérque vobiscum maneat. *Amen.*

¶ *Nec quisquam admittetur, ad sacram Communionem, donec fuerit Confirmatus, aut nisi sit idoneus qui Confirmetur, & Confirmari cupiat.*

Formula MATRIMONII Celebrandi.

¶ *PRimo Banna eorum qui sunt Matrimonio copulandi, promulganda sunt tribus diebus Dominicis aut Feriatis succesſive, dum Sacra peraguntur, immediatè antequam prælegantur sententiæ Offertorii, Ministro juxta consuetum morem dicente:*

Ego promulgo Banna futuri Matrimonii inter M. & N. ex——li quis vestrum cognoscat causam aliquam aut justum impedimentum; quo minus isti sancto Matrimonio copulentur, vos illud (quidquid est) oportet aperire. Hæc Primâ [*Secundâ* aut *tertiâ*] vice promulgantur.

¶ *Quod si ii qui sunt matrimonio copulandi vivant in diversis Parochiis; in utraque Parochia Banna promulganda sunt. Unius autem Parœchiæ Minister eos Matrimonio non copulabit, nisi certior factus*

ctus ab alteriut Parochiæ Miniſtro, exhibito ipſius Chirographo, Banna fuiſſe tribus vicibus promulgata.

¶ *Tempore & die ad celebrandum Matrimonium præſtitutis, copulandi unà cum amicis & vicinis ingredientur in Eccleſiam: atque ibi ſtantibus illis, viro à dexteris, muliere à ſiniſtris, Presbyter dicet,*

CHariſſimi, hic ſumus unà congregati in conſpectu Dei, & in facie hujus congregationis, ut virum hunc & hanc mulierem ſancto Matrimonio copulemus; quod quidem vitæ genus honorabile eſt à Deo, dum homo in innocentiâ adhuc permaneret, inſtitutum, typum nobis exhibens myſticæ illius unionis quæ eſt inter Chriſtum & Eccleſiam ejus; & hic ſanctus vitæ ſtatus à Chriſto præſentia ſua, & primò illo ſigno quod fecit in Cana Galileæ, fuit honeſtatus ac condecoratus; & à Sancto Paulo laudatus eo quod ſit inter omnes honorabilis; quapropter non eſt à quopiam inconſultè, temerè, aut laſcivè ſuſcipiendus ac ineundus, ut ſic indulgeatur carnalibus hominum affectibus ac concupiſcentiis more brutorum ratione carentium; ſed reverenter, modeſtè, conſultò, ſobrie & in timore Dei, cauſis ob quas Matrimonium inſtitutum eſt attentè penſitatis.

Harum prima, liberorum procreatio eſt, ut in timore & diſciplinâ Domini & ad ſancti nominis ejus gloriam educentur.

Secunda conjugii inſtituendi cauſa, ut ſit remedium adverſus peccatum, & ad vitandam fornicationem; ut ſiqui continentiæ dono non ſint prædíti, Matrimonio copulentur, & ſic corporis Chriſti membra incontaminata remaneant.

Tertia illius inſtituendi cauſa eſt, utriuſque mutua vitæ ſocietas, auxilium & conſolatio tam rebus proſperis quam adverſis; atque ille eſt ſanctus vitæ ſtatus in quem ut copulentur, huc acceſſerunt hi duo qui præſentes adſunt. Quamobrem ſiquis eſt qui juſtam cauſam afferre poſſit quominus legitimo conjugio copulari poſſint, ipſe jam proferat, aut poſthac ſileat in æternum.

¶ *Eos etiam alloquens qui ſunt matrimonio copulandi, dicet:*

DIco & edico vobis, prout rationem eſtis reddituri in tremendo illo die judicii, quum cordium omnium arcana aperientur, ſi cui veſtrum compertum ſit aliquod impedimentum quominus vobis fas ſit matrimonio copulari, id nunc palam ut aperiat. Hoc enim ſit vobis certo certius, quotquot aliâ ratione copulantur quàm quæ verbo Dei probatur, eos à Deo non copulari, & eorum conjugium non eſſe legitimum.

¶ *Quo nuptiarum die ſi quis allegaverit ac denunciaverit aliquod impedimentum quominus matrimonio copulentur juxta legem Dei aut ſtatuta hujuſce Regni; & ſeipſum cum fide-juſſoribus idoneis obligare velit Perſonis Matri-*

monio

monio copulandis, aut pignus cautionis deponat (quod pars ſit ſumptibus quos fecerint qui Matrimonio copulandi ſunt, perſolvendis) ſi rem allegatam non probaverit. Tum oportet Matrimonii celebrationem differri tantiſper dum conſtet de rei veritate.

¶ *Si nullum impedimentum allegatum fuerit, tum Miniſter vero dicet.*

NVis habere hanc mulierem in uxorem tuam, ut in ſancto conjugii ſtatu juxta Dei inſtitutionem ſimul vivatis? Vis eam diligere, conſolari, honorare, illiuſque tam adverſâ quàm proſperâ valetudine utentis, curam gerere, atque aliis omnibus repudiatis, illi ſoli adhærere quamdiu vixerit uterque veſtrum?

¶ *Vir reſpondebit.*

Volo.

¶ *Tum dicet Presbyter Mulieri:*

NVis habere hunc virum in maritum tuum, ut in ſancto conjugii ſtatu juxta Dei Inſtitutionem ſimul vivatis? Vis ipſi obſequi, ſervire, ipſum amare, honorare, illius tam adverſâ quàm proſperâ valetudine utentis, curam gerere; atque aliis omnibus repudiatis, illi ſoli adhærere quamdiu vixerit uterque veſtrum?

¶ *Mulier reſpondebit:*

Volo.

¶ *Tum Miniſter dicet:*

Quis hanc mulierem tradit ut huic viro nubat?

¶ *Tum fidem ſuam mutuò ſibi obligabunt in hunc modum:*

¶ *Miniſter acceptâ de Parentis, aut affinis alicujus manibus Muliere, Virum jubebit illius dexteram dextrâ ſuâ prenſare, & ſe verba præeuntem ita ſequi:*

EGo N. accipio te N. in uxorem meam legitimam, ut te ab hoc die & in poſterum, ſeu meliorem ſeu pejorem; ſeu ditiorem ſeu pauperiorem, habeam & teneam, tam adverſâ quàm proſperâ valetudine, donec mors nos ſejunxerit, juxta ſanctam Dei inſtitutionem, atque in ejus rei confirmationem fidem meam tibi adſtringo.

¶ *Tum ſejungent manus ſuas, ac Mulier dextrâ ſua, dextrâ Viri prehensâ, eodem modo Miniſtrum verba præeuntem ſequetur:*

EGo N. accipio te N. in maritum meum legitimum, ut te ab hoc die in poſterum, ſeu meliorem ſeu pejorem; ſeu ditiorem ſeu pauperiorem, habeam & teneam, tam adverſâ quàm proſperâ valetudine; ut te diligam foveam, & tibi morem geram, donec mors nos ſejunxerit;

juxta

juxta ſanctam Dei inſtitutionem: atque in ejus rei confirmationem fidem meam tibi adſtringo.

¶ *Tum denuò manus ſejungent: Vir autem Mulieri Annulum dabit, illum ponens ſuper librum unà cum eo quicquid ſit, quod Presbytero & Clerico jure pendi debet. Presbyter acceptum Annulum Viro tradet ut eum aptet digito annulari manus ſiniſtræ mulieris, atque Vir annulum ibi digitis tenens, Miniſtrum verba præeuntem ſequetur, dicens:*

EGo te hoc Annulo matrimonio legitimo mihi conjungo. Te corpore meo honoro, & bonorum meorum omnium facio participem, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Amen.*

¶ *Tum poſtquam reliquerit Annulum in digito annulari ſiniſtræ manus Mulieris, ambo genua flectent, & Miniſter dicet:*

Oremus.

ÆTerne Deus, Creator & conſervator totius generis humani, omnis gratiæ ſpiritualis largitor, author vitæ ætenæ, mitte benedictionem tuam ſuper hos famulos tuos, hunc virum & hanc mulierem, quibus in tuo Nomine benedicimus, ut ſicut Iſaac & Rebecca ſumma fidę ſimul vixerunt, ſic iſti duo votum à ſe ſuſceptum certo perſolvant, & fœdus inter ſe initum (cujus Annuli iſtius datio & acceptio, ſymbolum & pignus exiſtit) obſervent, atque in mutuo perfecti amoris ac pacis vinculo perſeverent, vitámque ad normam mandatorum tuorum exigant, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum Presbyter eorum dexteras junget, ac dicet,*

Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet.

¶ *Poſtea Miniſter Populum alloquetur.*

QUum N. & N. in ſacrum conjugium conſenſerint; idque in conſpectu Dei & coram hoc cœtu conteſtati ſint, atque in ejus rei confirmationem, fidem mutuam ſibi adſtrinxerint, idque dato receptóque annulo atque manuum conjunctione palam fecerint, ego eos maritum uxorémque invicem eſſe pronuntio, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. *Amen.*

¶ *Addet etiam Miniſter hanc benedictionem:*

DEus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, vobis benedicat, vóſque tueatur ac protegat; Dominus ſuo favore vos clementer reſpiciat, atq; ita vos omni benedictione ſpirituali ac gratia repleat, ut in hoc ſæculo ſic vivatis, ut in futuro vitam æternam conſequamini. *Amen.*

¶ *Tum Miniſter aut Clerici ad menſam Domini accedentes ſequentem Pſalmum dicent aut cantabunt:*

Pſalm.

Pſalm. cxxviij.

BEati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.

Uxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.

Filii tui ſicut novellæ olivarum: in circuitu menſæ tuæ.

Ecce ſic benedicetur homo; qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Jeruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum & pacem ſuper Iſrael.

Gloria Patri, & Filio, *&c.*

Aut hunc Pſalmum.

Pſalm. lxvij.

DEus miſereatur & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos & miſereatur noſtri.

Ut cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes: quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum.

Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, & Filio, *&c.*

¶ *Finito hoc Pſalmo & in genua provolutis Viro ac Muliere ante menſam Domini, ad menſam ſtans Presbyter & ad eos converſus dicet:*

Kyrie eleyſon.

Reſponſum.

Chriſte eleyſon.

Miniſter.

Kyrie eleyſon.

PATER noſter, qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. *Amen.*

Miniſter.

Domine ſalvum fac famulum tuum & ancillam tuam.

Reſponſum.

Qui ſperant in te.

Miniſter.

Mitte eis Domine, auxilium de ſancto.

Reſponſum.

Et eos ſemper protege.

Miniſter.

Eſto eis Domine, turris fortitudinis.

Reſponſum.

A facie inimici.

Miniſter.

Domine exaudi orationem noſtram.

Reſponſum.

Et clamor noſter ad te perveniat.

Miniſter.

Miniſter.

DEus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, benedic his famulis tuis, & ſemina ſemen vitæ æternæ in mentibus eorum, ut quicquid in verbo tuo utiliter didicerint, illud opere compleant. Eos Domine clementer de cœlis reſpice, & benedic ipſis. Et quemadmodum miſiſti benedictionem tuam ſuper Abraham & Saram ad eorum ingentem conſolationem; ita mittere digneris tuam benedictionem ſuper hos famulos tuos, ut voluntati tuæ obſequentes & ſemper ſub protectione tua turi, in amore tuo permaneant uſque ad extremam vitam; per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. *Amen.*

¶ *Sequens oratio omittetur, ubi Mulier parere deſierit.*

MIſericors Domine ac Pater cœleſtis, cujus gratioſo munere genus humanum propagatur, hos famulos tuos quæſumus, benedictione tua proſequere, ut liberorum procreatione ſint fœcundi, & tamdiu in ſancto ſuo mutuo amore & vitæ honeſtate perſeverent, donec liberos ſuos viderint in Chriſtiana pietate ac virtute educatos, ad laudem & gloriam tuam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

DEus qui potenti virtute tua de nihilo cuncta feciſti; quique etiam, (rebus aliis rectè diſpoſitis) decreviſti ut de Viro, ad imaginem & ſimilitudinem tuam creato, Mulier originem ſuam haberet, atque eos copulando docuiſti nunquam licere eos ſeparare quos tu matrimonii vinculo unum feceras; O Deus qui conjugalem copulam in tam excellens myſterium conſecratum voluiſti; ut in ea ſpirituale conjugium & unionem inter Chriſtum & Eccleſiam ſuam ſignificares ac repræſentares; hos famulos tuos clementer reſpice, ut & hic vir juxta verbum tuum uxorem diligat, (ſicut Chriſtus Eccleſiam ſponſam ſuam dilexit, qui ſeipſum pro ea prodidit, eam amando ac fovendo non ſecus ac ſuam ipſius carnem) & hæc mulier virum ſuum amet & ſe dignam præſtet quæ ab ipſo ametur, ſitque ipſi fidelis ac morigera, atque in omni quiete, ſobrietate & pace fiat ſanctarum ac piarum matronarum imitatrix. Benedicas utrique Domine, & æterni illius regni tui hæreditatem ipſis concede, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum dicet Presbyter.*

OMnipotens Deus, qui in principio primos parentes noſtros Adam & Evam creavit, atque eos ſanctificavit & matrimonio copulavit, effundat ſuper vos divitias gratiæ ſuæ, vos ſanctificet, vobiſque benedicat, ut ipſi corpore & mente accepti in ſancta dilectione ſimul vivere uſque ad extremum vitæ veſtræ terminum valeatis. *Amen.*

¶ *Poſtea*

¶ *Poſtea ſi non habeatur concio in qua mutua viri ac uxoris officia declarentur, Miniſter ea leget quæ ſequuntur:*

VOS quotquot aut jam conjugati eſtis, aut quibus ſanctum conjugium inire propoſitum eſt, audite quid dicat ſcriptura ſacra de mutuis virorum erga uxores, & uxorum erga viros Officiis.

Sanctus Paulus in Epiſtola ad Epheſios cap. v. Maritis omnibus hæc præcipit; Viri, diligite uxores veſtras ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea: ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ: ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam aut aliquid hujuſmodi: ſed ut ſit ſancta, & immaculata. Ita & viri debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam. Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus. Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem ſuam: & adhærebit uxori ſuæ. Et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Veruntamen & vos ſinguli unuſquiſque uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat. *Epheſ.* v. 25.

Similiter idem Sanctus Paulus ſcribens ad Coloſſenſes, conjugatos omnes ſic alloquitur, viri diligite uxores veſtras: & nolite amari eſſe ad illas. *Coloſſ.* iij. 19.

Audite etiam quid maritis dicat Sanctus Petrus Chriſti Apoſtolus, qui ipſe maritus erat. Viri ſimiliter, cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impertientes honorem, tanquam cohæredibus gratiæ vitæ, ut non impediantur orationes veſtræ. 1 S. *Petr.* iij. 7.

Huc uſque audiviſtis Officium viri erga uxorem; jam verò & vos uxores audite ac diſcite officium veſtrum erga viros veſtros, prout manifeſtò habetur in Scriptura ſacra.

Sanctus Paulus in prædicta Epiſtola ad Epheſios. Vos his verbis docet: Uxores viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino. Quoniam vir caput eſt mulieris: ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ. Ipſe ſalvator corporis ejus. Sed ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto: ita & uxores viris ſuis in omnibus; & iterum dicit: uxor autem timeat virum ſuum. *Epheſ.* v. 22.

Et in Epiſtola ad *Coloſſ.* paucis vos hortatur, in hunc modum; uxores ſubjicite vos viris ſicut oportet in Domino. *Coloſſ.* iij. 18.

Vos etiam S. Petrus rectè admodum inſtituit dicens, ſimiliter & uxores ſubditæ ſint viris ſuis: ut & ſiqui non credunt verbo, per mulierum converſationem ſine verbo lucri fiant. Conſiderantes in timore ſanctam converſationem veſtram. Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus: ſed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in con-

conſpectu Dei locupleſ. Sic enim aliquando & ſanctæ mulieres ſperantes in Deo, ornabant ſe, ſubjectæ propriis viris. Sicut Sara obediebat Abrahæ Dominum eum vocans: cujus eſtis Filiæ, benefacientes, & non pertimentes ullam perturbationem. 1 S. *Petr.* iij. 1.

¶ *Expedit ut recens conjugati ſacram Communionem participent; quum Matrimonio copulantur, aut oblatâ primâ occaſione poſt Nuptiarum ſolennia.*

Ordo pro Viſitatione Infirmorum.

¶ *Cùm quis infirmatur, id ſignificabitur Parocho qui ingrediens domum infirmi, dicet:*

PAX huic domui & omnibus habitantibus in ea.

¶ *Accedens ad infirmum dicet, flexis genibus.*

NE reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel delicta parentum noſtrorum. Parce nobis Domine, parce populo tuo quem redemiſti pretioliſſimo tuo ſanguine, & ne in æternum iraſcaris nobis.

Reſponſum.

Parce nobis Domine.

¶ *Tum Miniſter dicet:*

Oremus.

Kyrie eleyſon.
Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon.

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. *Amen.*

Miniſter.

Domine ſalvum fac famulum tuum.

Reſponſum.

Qui ſperat in te.

Miniſter.

Mitte ei auxilium de ſancto tuo.

Reſponſum.

Et ſemper eum potenter protege.

Miniſter.

Nihil proficiat inimicus in eo.

Reſponſum.

Et filius iniquitatis non appropinquet ad nocendum ei.

Miniſter.

Eſto ei Domine turris fortitudinis.

Reſponſum.

A facie inimici.

Miniſter.

Domine exaudi orationem noſtram.

Reſponſum.

Et clamor noſter ad te perveniat.

Miniſter.

Miniſter.

REſpice Domine, de cœlo, intuere & adjuva famulum tuum. Reſpice eum oculis miſericordiæ tuæ, conſolare eum, & da ut fiduciam ſuam in te collocet. Defende eum ab inſidiis inimici, & eum in pace ac quiete perpetua cuſtodi per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

EXaudi nos omnipotens & ſummè miſericors Deus ac Servator; extende conſuetam benignitatem tuam ſuper hunc famulum tuum morbo laborantem. Hanc Paternam tuam correctionem ei quæſumus, ſanctifica, ut infirmitatis ſuæ ſenſus robur addat fidei ipſius, & pœnitentiam reddat magis ſinceram. Quod ſi tibi viſum fuerit eum priſtinæ ſanitati reſtituere, fac ut reliquam vitam agat, in timore tui & ad gloriam tuam; aut verò da illi ita perferre tuam viſitationem ut peracta vita hac ærumnoſa, tecum habitet in vita æterna, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum Miniſter infirmum hortabitur in hunc modum, aut alium ſimilem.*

CHare ac dilecte, ſcito hoc, Deum omnipotentem eſſe Dominum vitæ ac mortis & eorum omnium quæ eò ſpectant, juventutis ſilicet, roboris, ſanitatis, ſenectutis, infirmitatis & morborum. Quare tibi perſuaſiſſimum eſto quocunque morbi genere labores, eum à Deo viſitante diſpenſari, ſeu is tibi contingat ad probandam patientiam tuam ad aliorum exemplum, & ut fides tua in die Domini tibi ſit laudi, gloriæ & honori, ad incrementum gloriæ ac vitæ æternæ; ſeu immiſſus ſit ad corrigendum, & emendandum illud quicquid ſit, quod in te offendit Patris tui cœleſtis oculos; pro comperto habe, quod ſi te peccatorum tuorum verè pœniteat, ac morbum tuum patienter feras, miſericordiæ Dei propter Jeſum Chriſtum chariſſimum filium ſuum innitens; ipſique demiſſo animo gratias egeris pro paterna ſua viſitatione, teipſum prorſus ſubjiciens illius voluntati, in tuam cedet utilitatem, teque promovebit in rectâ viâ quæ ducit ad vitam æternam.

¶ *Si infirmus qui viſitatur, vehementer laboret, tum Miniſter hic exhortandi finem facere poterit, aut pergere.*

QUamobrem æquo animo feras hanc caſtigationem Domini: quippe (prout dicit Sanctus Paulus Epiſtola ad Hebræos capite duodecimo) quem diligit Dominus eum caſtigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. In diſciplina perſeverate. Tanquam filiis vobis ſe offert Deus. Quis enim filius quem non corripit pater? Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cujus participes facti ſunt omnes, ergo adulteri & non filii eſtis. Deinde patres

tres quidem carnis noſtræ, eruditores habuimus & reverebamur eos; non multò magis obtemperabimus Patri ſpirituum & vivemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum, ſecundum voluntatem ſuam erudiebant nos; hic autem ad id quod utile eſt in recipiendo ſanctificationem ejus. Hæc verba, mi frater, in ſacra Scriptura propter conſolationem & inſtitutionem noſtram, ſcripta ſunt, ut patienter & cum gratiarum actione feramus caſtigationem Patris noſtri cœleſtis, quotieſcunque ipſi pro propenſâ ſuâ in nos benignitate, viſum fuerit, nos adverſis quibuſcunque rebus immiſſis viſitare. Neque etiam Chriſtianis hominibus acceptius quicquam eſſe deberet, quam fieri ſimiles Chriſto in adverſis, ærumnis, morbíſque patienter perferendis. Neque enim ad gaudium aſcendit antequam paſſus eſſet; & non antè ingreſſus eſt in gloriam quam crucifixus eſſet. Ita profectò cum Chriſto pati, via eſt ad gaudium ſempiternum; & alacriter cum Chriſto mori, aditus eſt ad vitam æternam; ut à morte ſuſcitati cum ipſo vivamus in æternum. Jam verò moneo ut morbum tuum qui tot modis tibi ſalutaris eſt, patienter feras, téque exhortor in nomine Dei ut eorum recorderis quæ in Baptiſmo coram Deo profeſſus es. Quandoquidem autem poſt hanc vitam ratio reddenda eſt juſto judici à quo omnes oportet judicari; obteſtor ut teipſum tuáque omnia probes; nempè quomodo tibi cum Deo, cumque hominibus conveniat; ut ſcilicet dum teipſum accuſas ac judicas propter delicta tua, invenias miſericordiam apud Patrem noſtrum cœleſtem propter Chriſtum, & non accuſeris aut judiceris in tremendo illo judicio. Recitabo igitur, te audiente, fidei noſtræ articulos, ut experiaris utrum ea credas an non, quæ Chriſtianum oportet credere.

¶ *Hic Miniſter Articulos fidei recitabit in hunc modum.*

CRedis in Deum Patrem Omnipotentem, creatorem cœli & terræ, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum, qui conceptus eſt de ſpiritu ſancto, natus ex Maria Virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus, deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis, Aſcendit ad Cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, inde venturus eſt judicare vivos & mortuos? Num etiam credis in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, peccatorum remiſſionem, carnis reſurrectionem, & vitam æternam poſt mortem?

¶ *Infirmus reſpondebit.*

Firmiter credo iſta omnia.

¶ *Tum Miniſter quæret num ipſum ſuorum omnium peccatorum verè pœniteat, & omnes homines Chriſtianâ charitate complectatur, exhortans illum ut à quibuſcunque injuriâ affectus fuerit, is*

iis omnibus ignoſcat ex animo. Et ſi aliquos ipſe offenderit, roget ut ignoſcatur ſibi. Si quos autem injuriâ, aut contumeliâ affecerit, pro viribus ſatisfaciat. Et ſi nondum Teſtamentum ſcripſerit, moneatur ut Teſtamento rebus ſuis conſulat, ac declaret quantum habeat æris alieni, quantúmque ipſi ſit in tabulis & nominibus, ut eo pacto ſcilicet ipſius conſcientiæ, & quieti Teſtamentariæ procuratione præpoſitorium meliùs proſpiciatur. Verùm operæ pretium foret mortales omnes ſæpè admonere, ut dum proſperâ fruuntur valetudine, rebus ſuis Teſtamento caveant.

¶ *Superiora verba à Miniſtro haberi poſſunt ante precationem, prout ipſi viſum fuerit.*

¶ *Videat Miniſter ne omittat Divites ſeriò exhortari, ut liberales ſint erga pauperes.*

¶ *Hic monebitur infirmus ut peccata ſua privatim confiteatur, ſi in re ullâ magni momenti gravatam conſcientiam ſentiat. Quâ finitâ confeſſione, Presbyter (ſi id infirmus ſuppliciter atque ex animo petierit) eum abſolvet in hunc modum.*

DOminus noſter Jeſus Chriſtus, qui reliquit Eccleſiæ ſuæ proteſtatem abſolvendi omnes peccatores verè pœnitentes & in eum credentes, ipſe pro ingenti miſericordia ſua delicta tua tibi condonet. Ego verò authoritate ipſius mihi commiſsâ abſolvo te ab omnibus peccatis tuis, In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Amen.*

¶ *Tum Presbyter dicet ſequentem collectam.*

Oremus.

CLementiſſime Deus, qui juxta multitudinem miſerationum tuarum ita deles peccata eorum quos peccatorum ſuorum vere pœnitet, ut eorum amplius non recorderis; aperi oculos miſericordiæ tuæ ſuper hunc famulum qui veniam & remiſſionem peccatorum efflagitat. In eo renova (Pater amantiſſime) quicquid in eo aſtu ac malitiâ Satanæ, aut ipſius carnali concupiſcentiâ aut humanâ fragilitate corruptum eſt. Conſerva & cuſtodi infirmum hoc membrum in unitate Eccleſiæ; illius contritionem reſpice, illius lacrymas accipe, illius dolorem mitiga: prout tibi viſum fuerit ipſi magis expedire. Et quia ſe ſuâque omnia uni miſericordiæ tuæ committit, peccata præterita noli ipſi imputare; verùm eum beato Spiritu tuo corrobora. Cùm vero tibi viſum fuerit ipſum hinc abducere, in gratiam tuam illum recipe, per merita chari ac prædilecti Filii tui Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

¶ *Tum*

¶ *Tum Miniſter hunc Pſalmum recitabit.*

Pſalm. lxxi.

IN te Domine ſperavi, non confundar in æternum: in juſtitia tua libera me, & eripe me.

Inclina ad me aurem tuam: & ſalva me.

Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum: ut ſalvum me facias.

Quoniam firmamentum meum: & refugium meum es tu.

Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui.

Quoniam tu es patientia mea Domine, Domine ſpes mea à juventute mea.

In te confirmatus ſum ex utero: & de ventre matris meæ tu es protector meus.

In te cantatio mea ſemper: tanquam prodigium factus ſum multis, & tu adjutor fortis.

Repleatur os meum laude: ut cantem gloriam tuam totâ die magnitudinem tuam.

Ne projicias me in tempore ſenectutis: cùm deficiet virtus mea, ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in unum.

Dicentes, Deus dereliquit eum: perſequimini, & comprehendite eum: quia non eſt qui eripiat.

Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum reſpice.

Confundantur & deficiant detrahentes animæ meæ: operiantur confuſione & pudore qui quærunt mala mihi.

Ego autem ſemper ſperabo: & adjiciam ſuper omnem laudem tuam.

Os meum annunciabit juſtitiam tuam totâ die ſalutare tuum.

Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentiam Domini: Domine memorabor juſtitiæ tuæ ſolius.

Deus docuiſti me à juventute mea: & uſque nunc pronunciabo mirabilia tua.

Et uſque in ſenectam & ſenium Deus, ne derelinquas me.

Donec annunciem brachium tuum generationi omni quæ ventura eſt.

Potentiam tuam & juſtitiam tuam, Deus uſque in altiſſima quæ feciſti magnalia, Deus quis ſimilis ſit tibi?

Gloria Patri, *&c.*

Sicut erat in principio, *&c.*

¶ *His Additis.*

SAlvator mundi, qui per crucem & pretioſum ſanguinem redemiſti nos, ſalva nos & adjuva nos, ſupplices te rogamus ô Deus.

¶ *Deinde dicet Miniſter:*

OMnipotens Deus, qui eſt turris fortitudinis omnium ſperantium in ſe: cui omnia ſubjiciuntur & obtemperant in cœlo, & in terrâ & ſub terrâ, nunc & ſemper tuum eſto munimentum; & faciat ut cognoſcas ac ſentias quod non ſit aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo & per quod poſſis ſanitatem & ſalutem conſequi, præter unum

nomen Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

¶ *Et poſtea dicet:*

BEnignæ miſericordiæ ac protectioni Dei te committimus, benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te. Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi. & miſereatur tui. Convertat Dominus vultum ſuum ad te & det tibi pacem, nunc & ſemper *Amen.*

¶ *Oratio pro Infante morbo laborante.*

OMnipotens Deus ac Pater ſumme miſericors, cujus unius ſunt vitæ ac mortis exitus. Infantem hunc, quæſumus, in lecto infirmitatis nunc jacentem oculis miſericordiæ tuæ de cœlo reſpice. Viſita eum ô Deus, in ſalutari tuo, eum præſtituto tuo tempore dolore corporis libera, & ſalvum fac illius animam propter miſericordiam tuam. Quod ſi tibi viſum fuerit vitam illi in terrâ prorogare, tibi vivat, & fiat inſtrumentum gloriæ tuæ tibi navando fidelem operam, & benefaciendo in diebus ſuis; aut verò ipſum recipe in cœleſtes illas manſiones, ubi animæ eorum qui obdormiunt in Domino Jeſu, fruuntur ſempiternâ quiete ac fælicitate. Hæc concede, ô Domine, propter miſericordiam tuam, in eodem Filio tuo Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui vivit & regnat unà tecum & cum Spiritu Sancto, ſemper unus Deus in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Oratio pro infirmis, dicenda cùm vix ulla ſpes reliqua fuerit futuræ convaleſcentiæ.*

OMiſerationum Pater & Deus omnis conſolationis, unicum auxilium noſtrum in anguſtiis: Ad te confugimus, opem tuam implorantes in gratiam hujus famuli tui ſub manu tuâ in extremâ corporis infirmitate jacentis. Benigne ipſum reſpicias Domine; & quanto magis qui foris eſt homo corrumpitur, tanto magis eum gratiâ Spiritus tui corrobora quæſumus, in eo qui intus eſt. Da ut ſeriò errorum ante-actæ vitæ eum pœniteat, & firmiter credat in Jeſum Chriſtum Filium tuum, ut peccata illius per miſericordiam tuam deleantur, & venia in cœlo obſignetur priuſquam migret ex hac vitâ & non conſpiciatur amplius, Compertum habemus, Domine, non eſſe verbum ullum impoſſibile apud te, & quod poſſis, ſi tibi videatur, eum etiamnum erigere, eique concedere ut diutius nobiſcum maneat. Attamen quoniam, quantum quidem conjicere eſt, prope adeſt naturæ illius diſſolutio, eum ita idoneum ac paratum præſta, quæſumus, adverſus horam mortis, ut poſtquam hinc in pace ac favore tuo migraverit, anima illius in eternum illud regnum tuum admittatur, per merita & mediationem Jeſu Chriſti Filii tui unici Domini & Servatoris noſtri. *Amen.*

¶ *Com-*

¶ *Commendatoria precatio pro infirmo ſub horam deceſſus ex hac vitâ.*

OMnipotens Deus apud quem vivunt Spiritus juſtorum conſummatorum, poſtquam ex terreno carcere liberati ſunt; Hujuſce famuli tui fratris noſtri, animam in manus tuas humiliter commendamus, tanquam in manus fidelis conditoris ac clementiſſimi Servatoris, ſummâ cum animi demiſſione ſupplicantes, ut pretioſa habeatur in conſpectu tuo. Eam ablue, quæſumus, in ſanguine agni illius immaculati, qui occiſus eſt ad tollenda peccata mundi ut purgatis ablatiſque inquinamentis quibuſcunque, in medio mundi hujuſce miſeri & nequam, ſe contaminaverit per concupiſcentiam carnis & fraudes Satanæ, exhiberi poſſit ſancta & immaculata in conſpectu tuo. Nos autem ſuperſtites, hoc aliiſque ſimilibus quotidianis mortalitatis noſtræ ſpectaculis, edoce quàm fragilis ſit & incerta conditio noſtra; & dies noſtros ita computare ut dum hîc vivimus animum ſeriò intendamus ad ſanctam & cœleſtem illam ſapientiam, quæ tandem nos perducat ad vitam æternam, propter merita Jeſu Chriſti Filii tui unici Domini noſtri. *Amen.*

¶ *Oratio pro mente motis, aut iis qui conſcientiæ ſtimulis exagitantur.*

BEnedicte Deus, miſerationum Pater & Deus omnis conſolationis, hunc famulum tuum afflictum & jacentem benignè ac miſericorditer reſpice. Amara ſcribis adverſus eum, & facis ut eum poſſideant priores iniquitates ſuæ, ipſi graviter inſidet ira tua, anima autem ejus tota conturbata eſt. Verùm, Deus miſericors, qui ſanctum Verbum tuum ſcripſiſti ad noſtram doctrinam, ut per patientiam & conſolationem ſanctarum Scripturarum ſpem habeamus, da ut ſeipſum cognoſcat, & minas ac promiſſiones tuas rectè capiat, adeò ut neque deſinat in te confidere, neque fiduciam ſuam in ullo alio præterquam in te uno collocet. Eum corrobora ac ſuſtenta adverſus eas omnes tentationes quibus impetitur, & omnes illius animi æſtus tranquilla. Noli quaſſatam arundinem frangere, & linum fumigans extinguere. Ne januam miſerationum tuarum occludas in ira; ſed fac ut audiat gaudium & lætitiam, ut lætentur oſſa quæ contregiſti. Eum à metu inimici libera, & oſtende faciem tuam ei, & da ei pacem, per merita & mediationem Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

COMMUNIO
INFIRMORUM.

¶ *CUM omnes mortales improviſis multis periculis, morbis & infirmitatibus obnoxii ſint, & ſemper incerti quando ipſis ex hac vitâ emigrandum fuerit. Ideò ut ſemper ſint ad mortem parati quandocunque omnipotenti Deo viſum fuerit eos vocare, Parochi ſuos ſubinde (maximè verò graſſante peſtilentiâ aut aliâ lue contagioſâ) Parochianos ſedulò monebunt, ut ſacram corporis & ſanguinis Chriſti Servatoris noſtri Communionem frequenter participent, quando ſcilicet publicè adminiſtrabitur in Eccleſia. Sic enim fiet ut ſiquando fuerint ſubitaneo morbo correpti, minus ſint ſoliciti, ſi tunc eâ caruerint. Verùm ſi infirmus non poſſit in Eccleſiam ſe conferre, & interea cupiat Sacræ Communionis particeps fieri in privatis ædibus; tum id opportunè Parocho ſignificabit, ut & numerum eorum qui ſunt Sacram Communionem cum ipſo participaturi (erunt autem numero tres aut ſaltem duo) nactúſque locum idoneum in domo infirmi cum omnibus neceſſariis ita paratis ut Parochus ritè & eâ quâ par eſt reverentiâ, miniſtrare queat, ibidem Sacram Communionem celebrabit, facto initio à Collectâ, Epiſtolâ & Evangelio ſubſequentibus.*

Collecta.

OMnipotens æterne Deus, humani generis conditor, qui quos diligis corripis, & caſtigas quemcunque recipis, ut hujus famuli tui ſub manu tuâ morbo laborantis miſererearis, quæſumus; præſtes etiam ut infirmitatem ſuam patienter ferat, & corporis ſanitatem recipiat (ſi ſic clementiæ tuæ videatur) quandocunque autem anima ejus è corpore migraverit, exhibeatur immaculata coram te, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Epiſtola. Heb. xij. 5.

FILI mi, noli negligere diſciplinam Domini; neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, caſtigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.

Evan-

Evangelium. S. Joan. v. 24.

AMen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit sed transit à morte in vitam.

¶ *Quibus peractis Presbyter perget juxta formulam jam præscriptam pro Sacra Communione, initio facto ab his verbis* [Vos quos verè & seriò peccatorum, *&c.*]

¶ *Quum ventum fuerit ad distributionem Sancti Sacramenti, Presbyter primò Sacram Communionem ipse accipiet; deindè iis qui eam cum infirmo participaturi sunt, postremo infirmo ipsi administrabit.*

¶ *Siquis verò Sacramentum corporis & sanguinis Christi non participet, sive id contingat propter morbi vehementiam, sive quod id tempestivè Parocho non significaverit; aut quod defuerint qui cum eo Sacram Communionem participarent, aut propter aliud quodpiam legitimum impedimentum Parochus hoc ipsum edocebit, nempè quod si eum peccatorum suorum verè pæniteat, & firmiter credat quod Jesus Christus pro eo mortem in cruce pertulerit, & propter ipsius redemptionem sanguinem suum effuderit, beneficia quæ inde acceperit gratâ memoriâ recolens, & pro iis gratias agens ex animo, tum corpus & sanguinem Christi Servatoris nostri manducat & bibit, quantum attinet ad salutem animæ, etiamsi ore Sacramentum non participet.*

¶ *Cùm infirmus simul visitatur & Sacram Communionem participat, Presbyter, quo citius absolvat, cùm ventum fuerit ad Psalmum* [In te Domine speravi] *in formulâ pro Visitatione Infirmorum, ibi finem faciet & statim transibit ad Sacram Communionem.*

¶ *Pestilentiâ, sudore, aut aliis ejusmodi morbis contagiosis grassantibus, adeo ut nullus Parochianorum reperiatur qui cum infirmis Sacram Communionem participet, in eorum privatis ædibus propter metum contagionis, si id expressè & nixè flagitaverit infirmus, Ministro licebit cum eo solo eam participare.*

ORDO

Pro Sepultura Mortuorum.

¶ *Hîc notandum eſt quod ſequens Officium eſt uſurpandum pro iis qui mortui fuerint ſacro Baptiſmo non initiati aut Excommunicati, aut qui mortem ſibi ipſi intulerint.*

¶ *Presbyter & Clerici obviam euntes feretro ad ingreſſum Cœmeterii, ac præeuntes ſeu in Eccleſiam, ſeu ad Sepulchrum, dicent aut cantabunt:*

EGo ſum reſurrectio & vita, qui credit in me etiamſi mortuus fuerit vivet, & omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum. S. *Joan.* xi. 25, 26.

Scio quod redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum; & rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum; quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt & non alius. *Job.* xix. 25, 26, 27.

Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quòd nec auferre quid poſſumus. Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit Nomen Domini benedictum. 2 *Tim.* vi. 7. *Job.* i. 21.

¶ *Poſtquam ingreſſi fuerint Eccleſiam, alter horum ſequentium Pſalmorum aut etiam uterque prælegetur.*

Pſalm. xxxix.

DIxi cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.

Poſui ori meo cuſtodiam cum conſiſteret peccator adverſum me.

Obmutui & humilitatus ſum; & ſilui à bonis: & dolor meus renovatus eſt.

Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardeſcet ignis.

Locutus ſum in lingua mea, notum fac mihi Domine finem meum.

Et numerum dierum meorum quis eſt; ut ſciam quid deſit mihi.

Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te.

Veruntamen univerſa vanitas, omnis homo vivens.

Veruntamen in imagine pertranſit homo: ſed & fruſtra conturbatur.

Theſaurizat: & ignorat cui congregabit ea.

Et nunc quæ eſt expectatio mea? Nonne Dominus? Et

Et ſubſtantia mea apud te eſt.

Ab omnibus iniquitatibus meis erue me : opprobrium inſipienti dediſti me.

Obmutui & non aperui os meum, quoniam tu feciſti : amove à me plagas tuas.

A fortitudine manus tuæ ego defeci : in increpationibus propter iniquitatem corripuiſti hominem.

Et tabeſcere feciſti ſicut araneam animam ejus : veruntamen verè conturbatur omnis homo.

Exaudi orationem meam, Domine, & deprecationem meam, auribus percipe lacrymas meas.

Ne ſileas : quoniam advena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei.

Remitte mihi, ut refrigerer prius quàm abeam, & amplius non ero.

Gloria Patri, *&c.*

Pſalm. xc.

DOmine, refugium factus es nobis à generatione in generationem.

Priuſquam montes fierent aut formaretur terra & orbis, à ſæculo, & in ſæculum tu es Deus.

Ne avertas hominem in humilitatem & dixiſti, convertimini filii hominum.

Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna quæ præteriit.

Et cuſtodia in nocte : Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat & tranſeat : veſpere decidat, induret, & areſcat.

Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati ſumus.

Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo : ſæculum noſtrum in illuminatione vultus tui.

Quoniam omnes dies noſtri defecerunt, & in ira tua defecimus.

Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur : dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni.

Si autem in potentatibus, octoginta anni, & amplius eorum, labor & dolor.

Quoniam ſupervenit manſuetudo, & corripiemur.

Quis novit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare.

Dexteram tuam ſic notam fac : & eruditos corde in ſapientia.

Convertere Domine uſquequo : & deprecabilis eſto ſuper ſervos tuos.

Repleti ſumus manè miſericordiâ tuâ : & exultavimus & delectati ſumus in omnibus diebus noſtris.

Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti : annis quibus vidimus mala.

Reſpice in ſervos tuos, & in opera tua : & dirige filios eorum.

Et ſic ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, & opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos : & opus manuum noſtrarum erige.

Gloria Patri, *&c.*

¶ *Tum ſequetur lectio deſumpta ex Epiſtola S. Pauli ad Corinthios priore, capite decimo quinto.*

CHriſtus ſurrexit ex mortuis primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors: & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur: ita in Chriſto omnes vivificabuntur: unuſquiſque autem in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus: deinde ii qui ſunt Chriſti, qui in adventum ejus crediderunt. Deinde finis: cùm tradiderit regnum Deo, & Patri, cùm evacuaverit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus. Noviſſimè autem inimica deſtruetur mors. Omnia enim ſubjecit ſub pedibus ejus. Cùm autem dicat, omnia ſubjecta ſunt ei: ſine dubio præter eum qui ſubjecit ei omnia. Cùm autem ſubjecta fuerint illi omnia: tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia: aſt ſit Deus omnia in omnibus. Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? Utquid & baptizantur pro illis? Utquid & nos periclitamur omni hora? Quotidiè morior propter veſtram gloriam fratres, quam habeo in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Si (ſecundum hominem) ad beſtias pugnavi Epheſi: quid mihi prodeſt ſi mortui non reſurgunt? Manducemus & bibamus; cras enim moriemur. Nolite ſeduci. Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Evigilate juſtè: & nolite peccare, ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reverentiam vobis loquor. Sed dicit aliquis, quomodo reſurgunt mortui? Quali autem corpore venient? Inſipiens tu, quod ſeminas non vivificatur, niſi prius moriatur. Et quid ſeminas? non corpus quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum: ut puta tritici, aut alicujus cæterorum. Deus dat illi corpus ſicut vult: & unicuique ſeminum proprium corpus. Non omnis caro, eadem caro: ſed alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia piſcium. Et corpora cœleſtia, & corpora terreſtria: ſed alia quidem cœleſtium gloria, alia autem terreſtrium. Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim differt à ſtella in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria. Seminatur in infirmitate: ſurget in virtute. Seminatur corpus animale; ſurget corpus ſpirituale. Si eſt corpus animale, eſt & ſpirituale, ſicut ſcriptum eſt, factus primus homo Adam, in animam viventem: noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem. Sed non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale: deinde quod ſpirituale. Primus homo de terra, terrenus: ſecundus homo de cœlo, cœleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Igitur ſicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis. Hoc autem dico fratres, quia caro

caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt, neque corruptio incorruptelam poſſidebit. Ecce myſterium vobis dico: omnes quidem reſurgemus: ſed non omnes immutabimur. In momento, in nictu oculi, in noviſſima tuba (canet enim tuba & mortui reſurgent incorrupti: & nos immutabimur.) Oportet enim corruptibile hoc, induere incorruptionem; & mortale hoc, induere immortalitatem. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem: tum fiet ſermo qui ſcriptus eſt, abſorpta eſt mors in victoria. Ubi eſt mors victoria tua? Ubi eſt mors ſtimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum eſt: virtus vero peccati, lex; Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Itaque fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote & immobiles: abundantes in omni opere Domini ſemper, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino.

¶ *Cum ventum eſt ad ſepulchrum, dum paratur cadaver mox terræ mandandum, Presbyter dicet, aut Presbyter & Clerici cantabunt:*

HOmo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis, Qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit, velut umbra & nunquam in eodem ſtatu permanet.

Mediâ vitâ in morte ſumus, quem quærimus adjutorem niſi te Domine; qui ob peccata noſtra juſtè iraſceris.

Aſt Domine Deus ſanctiſſime, Domine fortiſſime, ſancte & ſummè miſericors Salvator, amaris doloribus æternæ mortis ne tradas nos.

Tu Domine qui cognoſcis occulta cordium noſtrorum, precibus noſtris miſericordiæ tuæ aures ne occludas; ſed parce nobis Domine ſanctiſſime, Deus fortiſſime, ſancte & miſericors Salvator, tu æquiſſime judex æterne, ne patiaris nos in extremâ horâ ullis mortis doloribus à te excidere.

¶ *Deinde dum terra in cadaver injicietur ab aliquo adſtantium, Presbyter dicet:*

CUM omnipotenti Deo viſum ſit pro ingenti miſericordiâ ſuâ, animam chariſſimi fratris noſtri jam defuncti ad ſe ſuſcipere; mortuum ejus corpus humo mandamus, terram terræ, cinerem cineribus, pulverem pulveri, in ſpem certam & indubitatam reſurrectionis ad vitam æternam; per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum qui transformabit corpus humilitatis noſtræ, configurandum corpori claritatis ſuæ, ſecundum operationem virtutis ſuæ quâ poſſit jubjicere ſibi omnia.

¶ *Tum dicetur aut cantabitur,*

AUdivi vocem de cœlo, dicentem mihi. ſcribe, beati mortui qui in Domino moriuntur, A modò jam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis, *Apoc.* xiv. 13.

¶ *Tum dicet Presbyter :*

Kyrie eleyſon.
Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon.

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. *Amen.*

Presbyter.

OMnipotens Deus, apud quem vivunt ſpiritus eorum qui hinc diſcedunt in Domino, & apud quem animæ fidelium poſtquam exuerunt onus corporis lætantur & felicitate fruuntur, agimus tibi gratias ex animo propterea quod hunc fratrem noſtrum eximere voluiſti ærumnis hujus mundi nequam ; ſupplicantes ut velis pro ingenti illâ tuâ benignitate, numerum electorum tuorum brevi adimplere, & regnum tuum accelerare ; ut nos cùm iis omnibus qui ex hac vitâ migrarunt in verâ fide ſancti Nominis tui, perfectam conſummationem noſtram ac felicitatem tam corporis quàm animæ conſequamur in gloriâ tuâ ſempiternâ, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Collecta.

MIſericors Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt reſurrectio & vita ; in quem quicunque credit, vivet etiamſi moriatur ; & quicunque vivit & credit in ipſum, non morietur in æternum. Qui etiam nos docuit per ſanctum ſuum Apoſtolum Paulum, ut non triſtaremur, tanquam ii qui ſpem non habent, eorum causâ qui dormiunt in ipſo : ſupplices te rogamus ô Pater, ut nos ſuſcites à morte peccati ad viam juſtitiæ, ut cùm ex hac vitâ migrabimus, in ipſo quieſcamus, prout ſpes eſt hunc fratrem noſtrum quieſcere ; & ut in communi illa reſurrectione in die noviſſimo, reperiamur accepti in conſpectu tuo, & benedictionem eam conſequamur quam dilectiſſimus Filius tuus pronunciabit omnibus diligentibus ac timentibus te, dicens, Venite Patris mei filii benedicti, recipite regnum illud quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Hoc largire, quæſumus, ô Pater miſericors, per Jeſum Chriſtum Mediatorem & Redemptorem noſtrum. *Amen.*

GRatia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit ſemper cum omnibus nobis. *Amen.*

GRATIARUM ACTIO

PRO

MULIERIBUS POST PARTUM,

VULGO

Purificatio Mulierum.

¶ *Mulier conſueto tempore poſt puerperium veniet in Eccleſiam decente habitu induta, ibique loco conveniente genua flectet, pro more ſolito, aut prout juſſerit Ordinarius, deinde dicet ei Presbyter,*

QUandoquidem omnipotenti Deo viſum eſt pro benignitate ſuâ in partu ſalvam te præſtare, & magno puerperii periculo eximere, propterea Deo gratias ages ex animo ac dices:

¶ *Tum Presbyter dicet hunc Pſalmum.*

Pſalm. cxvi.

DIlexi quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.

Quia inclinavit aurem ſuam mihi: & in diebus meis invocabo.

Circumdederunt me dolores mortis: & pericula inferni invenerunt me.

Tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi.

O Domine libera animam meam: miſericors Dominus, & juſtus, & Deus noſter miſeretur.

Cuſtodiens parvulos Dominus: humiliatus ſum & liberavit me.

Convertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus beneſecit tibi:

Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu.

Placebo Domino in regione vivorum.

Gloria Patri, & Filio, *&c.*

Aut hunc Pſalmum.

Pſalm. cxxvij.

NISI Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Niſi Dominus cuſtodierit civitatem: truſtra vigilat, qui cuſtodit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum

Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum: Ecce hæreditas Domini, Filii: merces fructus ventris.

Sicut ſagittæ in manu parentis: ita filii excuſſorum.

Beatus vir qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis: non confundetur cùm loquetur inimicis ſuis in porta.

Gloria Patri, & Filio, *&c.*

¶ *Deinde Presbyter dicet.*

Oremus.

Kyrie eleyſon.
Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon.

PATER noſter, qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Quia tuum eſt regnum, & potentia & gloria in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Miniſter.

Salvum fac Domine hanc mulierem ancillam tuam.

Reſponſum.

Quæ ſperat in te.

Miniſter.

Eſto ei turris fortitudinis.

Reſponſum.

A facie inimici.

Miniſter.

Domine exaudi orationem noſtram.

Reſponſum.

Et clamor noſter ad te perveniat.

Miniſter.

Oremus.

OMnipotens Deus, demiſſe gratias tibi agimus, quod hanc mulierem ancillam tuam à partûs dolore & periculo ingenti liberare dignatus ſis; concede quæſumus, Pater ſummè miſericors. Ut auxiliante gratiâ tuâ tum fideliter vivat, & juxta voluntatem tuam in hac præſenti vitâ ambulet, tum etiam particeps fiat æternæ gloriæ in futurâ, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Mulier quæ accedit ut gratias agat, offerre debet ſolitas oblationes; & ſi Sacra Communio celebretur, eam decet illius participem fieri.*

COM-

COMMINATIO,

SEU

Denunciatio iræ & judiciorum Dei adverſus peccatores, cum quibuſdam orationibus, Quadrageſimæ prima die & aliis temporibus, jubente Ordinario, uſurpanda.

¶ *Poſt abſolutas Preces Matutinas, & recitatam pro more conſueto Litaniam, Presbyter de ſuggeſtu illo inferiore de quo recitantur Preces, aut de ſuperiore, unde Conciones habentur, dicet:*

FRatres, in Eccleſiâ Primitivâ, pia fuit olim diſciplina ut initio Quadrageſimæ manifeſtorum criminum rei ad publicam pœnitentiam cogerentur, & in hoc mundo plecterentur quo eorum animæ ſalvæ fierent in die Domini; & ut alii eorum exemplo admoniti, magis metuerent peccare.

Hujus publicæ pœnitentiæ loco donec eadem diſciplina reſtitui poſſit: (quod maximè expetendum) viſum eſt ut hoc tempore generales maledictionis Dei adverſus impœnitentes peccatores ſententiæ, audientibus vobis omnibus, legerentur ex vigeſimo capite Deuteronomii, aliiſque Scripturæ locis deſumptæ; & ut vos ad ſingulas ſententias reſpondeatis, *Amen.* In eum nempe finem ut vos edocti quanta ſit Dei indignatio adverſus peccatores, citius ad ſeriam verámque pœnitentiam excitemini, & circumſpectè ambuletis, his præſertim periculoſis temporibus, ab iis vitiis abhorrentes. quæ maledictioni Divinæ obnoxia eſſe ore proprio affirmatis.

Miniſter.

MAledictus homo qui facit ſculptile & conflatile, ut illud colat. *Deut.* 27. 15.

Reſpondebit Populus & dicet;

Amen.

Miniſter.

Maledictus qui maledixerit Patri ſuo & Matri ſuæ. *Verſ.* 16.

Reſponſio.

Amen.

Miniſter.

Miniſter.

Verſ. 17. Maledictus qui transfert terminum Proximi ſui.

Reſponſum.

Amen.

Miniſter.

Verſ. 18. Maledictus qui errare facit cœcum in itinere.

Reſponſum.

Amen.

Miniſter.

Verſ. 19. Maledictus qui pervertit judicium advenæ, pupilli & viduæ.

Reſponſum.

Amen.

Miniſter.

Verſ. 24. Maledictus qui clam percuſſerit Proximum ſuum.

Reſponſum.

Amen.

Miniſter.

Lev. 20. 10. Maledictus ſiquis mœchatus fuerit cum uxore Proximi ſui.

Reſponſum.

Amen.

Miniſter.

Deut. 27 25. Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam ſanguinis innocentis.

Reſponſum.

Amen.

Miniſter.

Jer. 17. 5 Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus.

Reſponſum.

Amen.

Miniſter.

S. Mat. 25. 41. 1 *Cor.* 6. 9, 10. Maledicti qui ſunt immiſericordes, ſcortatores & adulteri, avari, idolatræ, maledici, ebrioſi & rapaces.

Reſponſum.

Amen.

Pſalm. 119. 21. JAM verò cum maledicti ſint omnes (atteſtante Davide Propheta) qui errant & declinant à mandatis Dei, agite, terribilis illius judicii, capitibus noſtris imminentis ac ſemper inſtantis memores, convertamur ad Dominum Deum noſtrum cum omni contritione cordis animique demiſſione, plangentes ac lamentantes vitam noſtram flagitioſam; delicta noſtra agnoſcentes & confitentes, atque operam dantes ut fructus feramus dignos pœnitentiæ. *Mat.* 3. 10. Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt, adeò ut omnis arbor quæ non facit fructum bonum, exſcindetur & in ignem mittetur.

Horren-

Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. Ipſe pluet ſuper peccatores laqueos, ignis & ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum. Ecce enim Dominus egredietur de loco ſuo, ut viſitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus? Et quis ſtabit ad videndum eum? Ejus ventilabrum in manu ſua & permundabit aream ſuam; & congregabit triticum ſuum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili. Dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet. Cùm enim dixerint pax & ſecuritas; tum repentinus eis ſuperveniet interitus, ſicut dolor in utero habentis & non effugient. Tunc apparebit ira Dei in die vindictæ quam obſtinati peccatores ſecundum duritiam cordis ſui theſaurizaverunt ſibi, qui divitias bonitatis Dei & patientiæ & longanimitatis contempſerunt, quum eos quotidie vocaret ad pœnitentiam. Tunc clamabunt ad me (inquit Dominus) & non exaudiam; quærent me matutino tempore & non inveniet; quia oderant ſcientiam, nec receperunt diſciplinam Domini, ſed abhorruerunt à conſilio meo; & correctionem meam deſpexerunt. Tunc nimis ſerò poſtulabunt poſt clauſum oſtium, & petent miſericordiam in die judicii. O terribilem vocem juſtiſſimi judicii, quæ contra eos pronunciabitur, quum dicetur ad illos; Ite maledicti in ignem æternum qui paratus eſt Diabolo & angelis ſuis. Ideò fratres proſpiciamus nobis tempore accepto, dum adeſt dies ſalutis, Ecce enim nox veniet quum nemo poterit operari. Sed dum lucem habemus credamus in lucem & ambulemus tanquam filii lucis, ne abjiciamur in tenebras exteriores, ubi fletus & ſtridor dentium. Non abutamur bonitate Dei nos ad reſipiſcentiam miſericorditer invitantis, & pro immenſâ clementiâ ſuâ, præteritorum veniam promittentis, modo ad eum ex animo & ſincero corde convertamur. Quia ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana, alba erunt. Convertimini (ait Dominus) ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum & ſpiritum novum: & quare moriemini domus Iſrael, quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus? revertimini & vivite. Quamquam peccaverimus; advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum; & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Quia ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & attritus propter ſcelera noſtra. Convertamus igitur ad eum qui miſericorditer recipit omnes reſipiſcentes peccatores, perſuaſum nobis habentes ipſum

*Heb.*10. 31. *Pſal.* 11. 6. *Eſ.*26.21 *Mal.* 3.2. *S. Mat.* 3. 12. 1 *Theſſ.* 5. 2, 3. *Rom.* 2. 4, 5. *Prov.* 1. 28, 29, 30. *S. Mat.* 25. 10, 11, 12. *S. Mat.* 5. 41. 1 *Cor.* 6. 2. *Joan.* 9. & 12. 35, 36. *S. Mat.* 25. 30. *Eſ.*1. 18. *Ezech.* 18. 30, 31, 32. 1 *Joan.* 2. 1. *Eſ.*53. 5.

paratum

paratum esse ad recipiendum nos, & ad ignoscendum nobis, si verè resipiscentes ad eum accedamus; si nosmetipsos ei subjiciamus, & deinceps in viis illius ambulemus: si suave jugum & onus suum leve tollere velimus super nos, ut eum sequamur in humilitate, patientia & charitate, & sancti sui Spiritus moderamine dirigamur; ejus gloriam semper quærentes, & ipsi inservientes in nostra vocatione prout tenemur, cum gratiarum actione. Hæc si præstiterimus, liberabit nos Christus ab execratione legis, & ab extrema maledictione quæ illis eveniet, qui collocabuntur ad sinistram; nos autem ad dextram collocabit, & gratuitâ illâ Patris sui benedictione nos vocabit, jubens ut regnum suum glorioſum possideamus; ad quod ipse dignetur nos omnes perducere propter infinitam suam misericordiam. *Amen.*

S. Mat. 11. 30.

¶ *Tum universi in genua procumbent, Presbyter autem & Clerici flexis genibus, in eo loco ubi solet dici Litania hunc Psalmum recitabunt.*

PSAL. LI.

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam: & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me Domine hyssopo & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & Spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me à facie tua: & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui: & Spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem: utique holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo, Spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Benignè

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jeruſalem.

Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ, oblationes & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Gloria Patri, &c.

Kyrie eleyſon.
Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon.

PAter noſter, qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. *Amen.*

Miniſter.

Salvos fac Domine famulos tuos.

Reſponſum.

Qui ſperant in te.

Miniſter.

Mitte illis auxilium ab alto.

Reſponſum.

Et omni tempore potenter eos protege.

Miniſter.

Adjuva nos ô Deus Servator noſter.

Reſponſum.

Et propter gloriam Nominis tui libera nos; propitius eſto nobis peccatoribus, propter nomen tuum.

Miniſter.

Domine exaudi orationem noſtram.

Reſponſum.

Et clamor noſter ad te perveniat.

Miniſter.

Oremus.

PReces noſtras quæſumus Domine, clementer exaudi, & illis omnibus parce qui tibi peccata ſua confitentur, ut quos conſcientia delictotum accuſat, indulgentia propitiationis tuæ abſolvat, per Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

OPotentiſſime Deus, ac pater miſericors, qui omnium hominum miſereris, & nihil odiſti eorum quæ condidiſti, qui non vis mortem peccatoris, ſed potius ut convertatur ab iniquitate ſuâ & ſalvus fiat, miſericorditer peccata noſtra nobis condona; recipe & conſolare nos qui laboramus & fatiſcimus ſub onere peccatorum noſtrorum. Tuum eſt ſemper miſereri; non niſi uni tibi licet peccata condonare. Parce nobis Domine, parce populo tuo quem redemiſti. Non intres in judicium cum ſervis tuis qui vilis terra ſumus & miſeri peccatores; ſed ita iram tuam a nobis averte, qui demiſſe vilitatem noſtram agnoſcimus & quos verè peccatorum pœnitet; & ſic feſtina ad adjuvandum nos in hoc ſæculo; ut in futuro tecum vivamus in æternum per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum Populus hic dicet quod ſequitur poſt Miniſtrum.*

COnverte nos, miſericors Domine, & convertemur. Propitius eſto Domine, propi-

tius

tius esto populo tuo qui ad te convertitur in lacrymis, jejuniis & precibus. quia tu es Deus misericors & plenus miserationum, longanimis & multæ misericordiæ. Tu parcis cum pœnas meremur, & in irâ tuâ de misericordia cogitas. Parce populo tuo, misericors, Domine, parce, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium. Exaudi nos Domine quia multa est misericordia tua; & secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos; per meritu & mediationem Filii tui benedicti Jesu Christi Domini nostri. *Amen.*

¶ *Tum Minister solus dicet:*

BEnedicat nobis Dominus & custodiat nos. Convertat Dominus vultum suum ad nos, & det nobis pacem, nunc & semper. *Amen.*

PSAL-

PSALTERIUM DAVIDIS,

JUXTA

Vulgatam Latinorum VERSIONEM.

Matutinæ Preces. Dies 1.

Pſal. I.

BEatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit: & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.

2 Sed in lege Domini voluntas ejus: & in lege ejus meditabitur die ac nocte.

3 Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum; quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.

4 Et folium ejus non defluet: & omnia quæcunque faciet proſperabuntur.

5 Non ſic impii, non ſic: ſed tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.

6 Ideò non reſurgent impii in judicio: neque peccatores in concilio juſtorum.

7 Quoniam novit Dominus viam juſtorum: & iter impiorum peribit.

Pſal. II.

QUare fremuerunt gentes: & populi meditati ſunt inania?

2 Aſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum: adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus.

3 Dirumpamus vincula eorum: & projiciamus à nobis jugum ipſorum.

4 Qui habitat in cœlis irridebit eos: & Dominus ſubſannabit eos.

5 Tunc loquetur ad eos in ira ſua: & in furore ſuo conturbabit eos.

6 Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus: prædicans præceptum ejus.

7 Dominus dixit ad me Filius: meus es tu, ego hodie genui te.

8 Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & poſſeſſionem tuam terminos terræ.

9 Reges eos in virga ferrea: & tanquam vas figuli confringes eos.

10 Et

10 Et nunc reges intelligite: erudimini qui judicatis terram.

11 Servite Domino in timore: & exultate ei cum tremore.

12 Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus: & pereatis de via justa.

13 Cùm exarserit in brevi ira ejus: beati omnes qui confidunt in eo.

Psal. III.

DOmine quid multiplicati sunt qui tribulant me? Multi insurgunt adversùm me.

2 Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus.

3 Tu autem Domine susceptor meus es: gloria mea, & exaltans caput meum.

4 Voce meâ ad Dominum clamavi: & exaudivit me de monte sancto suo.

5 Ego dormivi & soporatus sum, & exurrexi: quia Dominus suscepit me.

6 Non timebo millia populi circundantis me: exurge Domine, salvum me fac Deus meus.

7 Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: dentes peccatorum contrivisti.

8 Domini est salus: & super populum tuum benedictio tua.

Psal. IV.

CUM invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ: in tribulatione dilatâsti mihi.

2 Miserere mei: & exaudi orationem meam.

3 Filii hominum usque quò gravi corde: Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

4 Et scitote, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.

5 Irascimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

6 Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino: Multi dicunt, Quis ostendit nobis bona?

7 Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.

8 A fructu frumenti, vini, & olei sui: multiplicati sunt.

9 In pace in idipsum dormiam: & requiescam.

10 Quoniam tu Domine singulariter in spe: constituisti me.

Psal. V.

VErba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum.

2 Intende voci orationis meæ: Rex meus & Deus meus.

3 Quoniam ad te orabo: Domine manè exaudies vocem meam.

4 Manè astabo tibi & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

5 Neque habitabit juxta te malignus: neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

6 Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

7 Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.

8 Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

9 Domine deduc me in juſtitia tua : propter inimicos meos dirige in conſpectu tuo viam meam.

10 Quoniam non eſt in ore eorum veritas : cor eorum vanum eſt.

11 Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant : judica illos Deus.

12 Decidant à cogitationibus ſuis, ſecundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos : quoniam irritaverunt te Domine.

13 Et lætentur omnes qui ſperant in te : in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

14 Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum : quoniam tu benedices juſto.

15 Domine, ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ : coronaſti nos.

VESP. PRECES.

Pſal. VI.

DOmine ne in furore tuo arguas me : neque in ira tua corripias me.

2 Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum : ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

3 Et anima mea turbata eſt valdé : ſed tu Domine uſquequo ?

4 Convertere Domine, & eripe animam meam : ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

5 Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui : in inferno autem quis confitebitur tibi ?

6 Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum : lachrymis meis ſtratum meum rigabo.

7 Turbatus eſt à furore oculus meus : inveteravi inter omnes inimicos meos.

8 Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem : quoniam exaudivit Dominus vocem fletûs mei.

9 Exaudivit Dominus deprecationem meam : Dominus orationem meam ſuſcepit.

10 Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei : convertantur & erubeſcant valde velociter.

Pſal. VII.

DOmine Deus meus in te ſperavi : ſalvum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.

2 Nequando rapiat ut leo animam meam : dum non eſt qui redimat, neque qui ſalvum faciat.

3 Domine Deus meus, ſi feci iſtud : ſi eſt iniquitas in manibus meis.

4 Si reddidi retribuentibus mihi mala : decidam meritò ab inimicis meis inanis.

5 Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam : & gloriam meam in pulverem deducat.

6 Exurge Domine in ira tua : & exaltare in finibus inimicorum meorum.

7 Et exurge Dominus Deus meus in præcepto quod mandaſti : & ſynagoga populorum circundabit te.

8 Et propter hanc in altum regredere : Dominus judicat populos.

9 Judica me Domine ſecundum juſtitiam meam : & ſecundùm innocentiam meam ſuper me.

10 Con-

10 Consumetur nequitia peccatorum & diriges justum: scrutans corda & renes Deus.

11 Justum adjutorium meum à Domino: qui salvos facit rectos corde.

12 Deus judex justus, fortis, & patiens: nunquid irascitur per singulos Dies.

13 Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, & paravit illum.

14 Et in eo paravit vasa morti: sagittas suas ardentibus effecit.

15 Ecce parturiit injustitiam: concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

16 Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foveam, quam fecit.

17 Convertetur dolor ejus in caput ejus: & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

18 Confitebor Domino secundùm justitiam ejus: & psallam nomini Domini altissimi.

Psal. VIII.

DOmine Dominus noster: quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

2 Quoniam elevata est magnificentia tua: super cœlos.

3 Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos: ut destruas inimicum & ultorem.

4 Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: lunam & stellas, quæ tu fundasti.

5 Quid est homo, quòd memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum.

6 Minuisti eum paulò minùs ab Angelis; gloriâ & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.

7 Omnia subjeciſti sub pedibus ejus: oves & boves universas, insuper, & pecora campi.

8 Volucres cœli, & pisces maris: qui perambulant semitas maris.

9 Domine Dominus noster: quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

MATUT.

Psal. IX.

COnfitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

2 Lætabor & exultabo in te: psallam nomine tuo, Altissime.

3 In convertendo inimicum meum retrorsum: infirmabuntur, & peribunt à facie tua.

4 Quoniam feciſti judicium meum, & causam meam: sedisti super thronum qui judicas justitiam.

5 Increpâsti gentes, & periit impius: nomen eorum delêsti in æternum, & in sæculum sæculi.

6 Inimici defecerunt frameæ in finem: & civitates eorum destruxisti.

7 Periit memoria eorum cum sonitu: & dominus in æternum permanet.

8 Paravit in judicio thronum suum: & ipse judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in justitia.

9 Et factus est Dominus refugium pauperi: adjutor in op-

opportunitatibus in tribulatione.

10 Et ſperent in te qui noverunt nomen tuum : quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.

11. Pſallite Domino qui habitat in Sion : annunciate inter gentes ſtudia ejus.

12 Quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt : non eſt oblitus clamorem pauperum.

13 Miſerere mei Domine : vide humilitatem meam de inimicis meis.

14 Qui exaltas me de portis mortis : ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

15 Exultabo in ſalutari tuo : infixæ ſunt gentes in interitu quem fecerunt.

16 In laqueo iſto quem abſconderunt : comprehenſus eſt pes eorum.

17 Cognoſcetur Dominus judicia faciens : in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.

18 Convertantur peccatores in infernum : omnes gentes quæ obliviſcuntur Deum.

19 Quoniam non in finem oblivio erit paupetis : patientia pauperum non peribit in finem.

20 Exurge Domine, non confortetur homo : judicentur gentes in conſpectu tuo.

21 Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos : ut ſciant gentes quoniam homines ſunt.

PSAL. 10. *Secundum Heb.*

UT quid Domine receſſiſti longe : deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione ?

2 Dum ſuperbit impius, incenditur pauper : comprehenduntur in conſiliis quibus cogitant.

3. Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ : & iniquus benedicitur.

4 Exacerbavit Dominum peccator : ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret.

5 Non eſt Deus in conſpectu ejus : inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.

6 Auferuntur judicia tua à facie ejus : omnium inimicorum ſuorum dominabitur.

7 Dixit enim in corde ſuo : Non movebor à generatione in generationem, ſine malo.

8 Cujus maledictione os plenum eſt, & amaritudine, & dolo : ſub lingua ejus labor & dolor.

9 Sedet in inſidiis cum divitibus in occultis : ut interficiat innocentem.

10 Oculi ejus in pauperem reſpiciunt : inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua.

11 Inſidiatur ut rapiat pauperem : rapere pauperem dum attrahit eum.

12 In laqueo ſuo humiliabit eum : inclinabit ſe, & cadet cum dominatus fuerit pauperum.

13 Dixit enim in corde ſuo : Oblitus eſt Deus, avertit faciem ſuam ne videat in finem.

14 Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua : ne obliviſcaris pauperum.

15 Propter quid irritavit impius Deum : dixit enim in corde ſuo, non requiret.

16 Vides quoniam tu laborem, & dolorem conſideras : ut tradas eos in manus tuas.

17 Tibi

17 Tibi derelictus eſt pauper : orphano tu eris adjutor.

18 Contere brachium peccatoris & maligni : quæritur peccatum illius, & non invenietur.

19 Dominus regnabit in æternum, & in ſæculum ſæculi : peribitis Gentes de terra illius.

20 Deſiderium pauperum exaudivit Dominus : præparationem cordis eorum audivit auris tua.

21 Judicare pupillo & humili : ut non apponat ultra magnificare ſe homo ſuper terram.

Pſal. *Lat.* 10. *Heb.* 11.

IN Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ : tranſmigra in montem ſicut paſſer.

2. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt ſagittas ſuas in pharetra : ut ſagittent in obſcuro rectos corde.

3 Quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt : juſtus autem quid fecit ?

4 Dominus in templo ſancto ſuo : Dominus in cœlo ſedes ejus.

5 Oculi ejus in pauperem reſpiciunt : palpebræ ejus interrogant filios hominum.

6 Dominus interrogat juſtum & impium : qui autem diligit iniquitatem odit animam ſuam.

7 Pluet ſuper peccatores laqueos : ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.

8 Quoniam juſtus Dominus, & juſtitias dilexit : æquitatem vidit vultus ejus.

VESPERT.

Pſal. *Lat.* 11. *Heb.* 12.

SAlvum me fac Domine ; quoniam defecit ſanctus : quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.

2 Vana locuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum : labia doloſa in corde, & corde loquuti ſunt.

3 Diſperdat Dominus univerſa labia doloſa : linguam magniloquam.

4 Qui dixerunt, Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt : quis noſter Dominus eſt ?

5 Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum : nunc exurgam, dicit Dominus.

6 Ponam in ſalutari : fiducialiter agam in eo.

7 Eloquia Domini, eloquia caſta : argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.

8 Tu Domine ſervabis nos : & cuſtodies nos à generatione hac in æternum.

9 In circuitu impii ambulant : ſecundùm altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.

Pſal. *Lat.* 12. *Heb.* 13.

USquequo Domine oblivisceris me in finem ? Uſquequò avertis faciem tuam à me ?

2 Quamdiu ponam conſilia in anima mea : dolorem in corde meo per diem ?

3 Uſquequò exaltabitur inimicus meus ſuper me ? Reſpice,

ſpice, & exaudi me Domine Deus meus.

4 Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus, Prævalui adverſus eum.

5 Qui tribulant me, exultabunt ſi motus fuero: Ego autem in miſericordia tua ſperavi.

6 Exultabit cor meum in ſalutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini Domini altiſſimi.

Pſal. *Lat.* 13. *Heb.* 14.

DIxit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.

2 Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.

3 Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum: ut videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.

4 Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.

5 Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant: venenum aſpidum ſub labiis eorum.

6 Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt: veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.

7 Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt: non eſt timor Dei ante oculos eorum.

8 Nonne cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem: qui devorant plebem meam ſicut eſcam panis?

9 Dominum non invocaverunt: illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

10 Quoniam Dominus in generatione juſtâ eſt, conſilium inopis confudiſtis: quoniam Dominus ſpes ejus eſt.

11 Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael? Cùm averterit Dominus captivitatem plebis ſuæ, exultabit Jacob, & lætabitur Iſrael.

MATUT.

Pſal. *Lat.* 14. *Heb.* 15.

DOmine quis habitabit in tabernaculo tuo? Aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?

2 Qui ingreditur ſine macula: & operatur juſtitiam.

3 Qui loquitur veritatem in corde ſuo: qui non egit dolum in lingua ſua.

4 Nec feeit proximo ſuo malum: & opprobrium non accepit adverſus proximos ſuos.

5 Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus: timentes autem Dominum glorificat.

6 Qui jurat proximo ſuo, & non decipit: qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentes non accepit.

7 Qui facit hæc: non movebitur in æternum.

Pſal. *Lat.* 15. *Heb.* 16.

COnverſa me Domine, quoniam ſperavi in te: dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

2 Sanctis qui ſunt in terra ejus: mirificavit omnes voluntates meas in eis.

3 Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum : poſtea acceleraverunt.

4 Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus : nec memor ero nominum eorum per labia mea.

5 Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei : tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.

6 Funes ceciderunt mihi in præclaris : etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.

7 Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum : inſuper & uſque ad noctem increpuerunt me renes mei.

8 Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper : quoniam à dextris eſt mihi ne commovear.

9 Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea : inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.

10 Quoniam non derelinques animam meam in inferno : nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.

11 Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo : delectationes in dextera tua uſque in finem.

Pſal. *Lat.* 16. *Heb.* 17.

EXaudi Domine juſtitiam meam ; intende deprecationem meam.

2 Auribus percipe orationem meam : non in labiis doloſis.

3 De vultu tuo judicium meum prodeat : oculi tui videant æquitatem.

4 Probâſti cor meum, & viſitâſti nocte, igne me examinâſti, & non eſt inventa in me iniquitas.

5 Ut non loquatur os meum opera hominum : propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.

6 Perfice greſſus meos in ſemitis tuis : ut non moveantur veſtigia mea.

7 Ego clamavi, quoniam exaudiſti me Deus : inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

8 Mirifica miſericordias tuas : qui ſalvos facis ſperantes in te.

9 A reſiſtentibus dextræ tuæ cuſtodi me : ut pupillam oculi.

10 Sub umbra alarum tuarum protege me à facie impiorum : qui me afflixerunt.

11 Inimici mei animam meam circundederunt, adipem ſuum concluſerunt : os eorum locutum eſt ſuperbiam.

12 Projicientes me nunc circundederunt me : oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.

13 Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam, & ſicut catulus leonis habitans in abditis.

14 Exurge Domine, præveni eum, & ſupplanta eum : eripe animam meam ab impio, framea tuam ab inimicis manûs tuæ.

15. Domine à paucis de terra divide eos in vita eorum : de abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum.

16 Saturati ſunt filiis : & demiſerunt reliquias ſuas parvulis ſuis.

17 Ego autem in juſtitia apparebo conſpectui tuo : ſatiabor quum apparuerit gloria tua.

VESPERT.

Psal. *Lat.* 17. *Heb.* 18.

Dilligam te Domine fortitudo mea : Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

2 Deus meus adjutor meus : & sperabo in eum.

3 Protector meus, & cornu salutis meæ : & susceptor meus.

4 Laudans invocabo Dominum : & ab inimicis meis salvus ero.

5 Circundederunt me dolores mortis : & torrentes iniquitatis conturbaverunt me.

6 Dolores inferni circundederunt me : præoccupaverunt me laquei mortis.

7 In tribulatione mea invocavi Dominum : & ad Deum meum clamavi.

8 Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam : & clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus.

9 Commota est & contremuit terra : & fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt quoniam iratus est eis.

10 Ascendit fumus in ira ejus : & ignis à facie ejus exarsit; carbones succensi sunt ab eo.

11 Inclinavit cœlos & descendit : & caligo sub pedibus ejus.

12 Et ascendit super cherubim, & volavit : volavit super pennas ventorum.

13 Et posuit tenebras latibulum suum : in circuitu ejus tabernaculum ejus, tenebrosa aqua in nubibus aëris.

14 Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt : grando, & carbones ignis.

13 Et intonuit de cœlo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam : grando & carbones ignis.

16 Et misit sagittas suas, & dissipavit eos : fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.

17 Et apparuerunt fontes aquarum : & revelata sunt fundamenta orbis terrarum.

18 Ab increpatione tua Domine : ab inspiratione spiritus iræ tuæ.

19 Misit de summo & accepit me : & assumpsit me de aquis multis.

20 Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his qui oderunt me : quoniam confortati sunt super me.

21 Prævenerunt me in die afflictionis meæ : & factus est Dominus protector meus.

22 Et eduxit me in latitudinem : salvum me fecit, quoniam voluit me.

23 Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam : & secundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi.

24 Quia custodivi vias Domini : nec impiè gessi à Deo meo.

25 Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo : & justitias ejus non repuli à me.

26 Et ero immaculatus cum eo : & observabo me ab iniquitate mea.

27 Et retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam : & secundùm puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus.

28 Cum sancto sanctus eris : & cum viro innocente innocens eris.

28 Et cum electo electus eris : & cum perverso perverteris.

30 Quoniam tu populum humilem salvum facies: & oculos superborum humiliabis.

31 Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.

32 Quoniam in te eripiar à tentatione: & in Deo meo transgrediar murum.

33 Deus meus impolluta via ejus, eloquia Domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se.

34 Quoniam quis Deus præter Dominum: aut quis Deus præter Deum nostrum?

35 Deus qui præcinxit me virtute: & posuit immaculatam viam meam.

36 Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum: & super excelsa statuens me.

37 Qui docet manus meas ad prælium: & posuisti ut arcum æreum brachia mea.

38 Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ: & dextera tua suscepit me.

39 Et disciplina tua correxit me in finem: & disciplina tua ipsa me docebit.

40 Dilatasti gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea.

41 Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non convertar donec deficiant.

42 Confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos.

43 Et præcinxisti me virtute ad bellum: supplantâsti insurgentes in me subtus me.

44 Et inimicos meos dedisti mihi dorsum: & odientes me dispersisti.

45 Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret ad Dominum: nec exaudivit eos.

46 Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti: ut lutum platearum delebo eos.

47 Eripies me de contradictionibus populi: constitues me in caput gentium.

48 Populus quem non cognovi servivit mihi: in auditu auris obedivit mihi.

49 Filii alieni mentiti sunt mihi: filii alieni inveterati sunt, & claudicaverunt à semitis suis.

50 Vivit Dominus, & benedictus Deus meus: & exaltetur Deus salutis meæ.

51 Deus qui das vindictas mihi, & subdis populos sub me: liberator meus de inimicis meis iracundis.

52 Et ab insurgentibus in me exaltabis me: a viro iniquo eripies me.

53 Propterea confitebor tibi in nationibus Domine: & nomini tuo psalmum dicam.

54 Magnificans salutes Regis ejus, & faciens misericordiam Christo suo David: & semini ejus usque in sæculum.

MATUT.

Psal. *Lat.* 18. *Heb.* 19.

COELI enarrant gloriam Dei: & opera manuum ejus annunciat firmamentum.

2 Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat scientiam.

3 Non sunt loquelæ neque sermones: quorum non audiantur voces eorum.

4 In omnem terram exivit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.

5 In Sole posuit tabernaculum

culum ſuum : & ipſe tanquam ſponſus precedens de thalamo ſuo.

6 Exultavit ut gigas ad currendam viam : à ſummo cœlo egreſſio ejus.

7 Et occurſus ejus uſque ad ſummum ejus : nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.

8 Lex Domini immaculata, convertens animas : teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.

9 Juſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

10 Timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi : judicia Domini vera, juſtificata in ſemetipſa.

11 Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum : & dulciora ſuper mel & favum.

12 Etenim ſervus tuus cuſtodit ea : in cuſtodiendis illis retributio multa.

13 Delicta quis intelligit ? Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo.

14 Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero : & emundabor à delicto maximo.

15 Et erunt ut complaceant eloquia oris mei : & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.

16 Domine adjutor meus : & redemptor meus.

Pſal. *Lat.* 19. *Heb.* 20.

EXaudiat te Dominus in die tribulationis : protegat te nomen Dei Jacob.

2. Mittat tibi auxilium de ſancto : & de Sion tueatur te.

3 Memor ſit omnis ſacrificii tui : & holocauſtum tuum pinguе fiat.

4 Tribuat tibi ſecundùm cor tuum : & omne conſilium tuum confirmet.

5 Lætabimur in ſalutari tuo ; & in nomine Dei noſtri magnificabimur.

6 Impleat Dominus omnes petiones tuas : nunc cognovi quoniam ſalvum fecit Dominus Chriſtum ſuum.

7 Exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo : in potentatibus ſalus dexteræ ejus.

8 Hi in curribus, & hi in equis : nos autem in nomine Domini De noſtri invocabimus.

9 Ipſi obligati ſunt & ceciderunt : nos autem ſurreximus & erecti ſumus.

10 Domine ſalvum fac regem : & exaudi nos in die qua invocaverimus te.

Pſal. *Lat.* 20. *Heb.* 21.

DOmine in virtute tua lætabitur rex : & ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer.

2 Deſiderium cordis ejus tribuiſti ei : & voluntate labiorum ejus non fraudâſti eum.

3 Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis : poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo.

4 Vitam petiit à te : & tribuiſti ei longiudinem dierum, in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

5 Magna eſt gloria ejus in ſalutari tuo : gloriam & magnum decorem impones ſuper eum.

6 Quoniam dabis eum in benedictionem in ſæculum ſæculi : lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

7 Quoniam rex ſperat in Domino: & in miſericordia Altiſſimi non commovebitur.

8 Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inveniat omnes qui oderunt.

9 Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira ſua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.

10 Fructum eorum de terra perdes: & ſemen eorum à filiis hominum.

11 Quoniam declinaverunt in te mala: cogitaverunt conſilia quæ non potuerunt ſtabilire.

12 Quoniam pones eos deorſum: in reliquis tuis præparabis vultum eorum.

13 Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus & pſallemus virtutes tuas.

VESPERT.

Pſal. *Lat.* 21. *Heb.* 22.

DEus Deus meus reſpice me, quare me dereliquiſti? Longè à ſalute mea verba delictorum meorum.

2 Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad inſipientiam mihi.

3 Tu autem in ſancto habitas: laus Iſrael.

4 In te ſperaverunt patres noſtri: ſperaverunt & liberâſti eos.

5 Ad te clamaverunt, & ſalvi facti ſunt: in te ſperaverunt, & non ſunt confuſi.

6 Ego autem ſum vermis & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis.

7 Omnes videntes me deriſerunt me: locuti ſunt labiis, & moverunt caput.

8 Speravit in Domino, eripiat eum: ſalvum faciat eum, quoniam vult eum.

9 Quoniam tu es qui extraxiſti me de ventre: ſpes mea ab uberibus matris meæ, in te projectus ſum ex utero.

10 De ventre matris meæ Deus meus es tu: ne diſceſſeris à me.

11 Quoniam tribulatio proxima eſt: quoniam non eſt qui adjuvet.

12 Circundederunt me vituli multi: tauri pingues obſederunt me.

13 Aperuerunt ſuper me os ſuum: ſicut leo rapiens & rugiens.

14 Sicut aqua effuſus ſum: & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.

15 Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens: in medio ventris mei.

16 Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in pulverem mortis deduxiſti me.

17 Quoniam circundederunt me canes multi: concilium malignantium obſedit me.

18 Foderunt manus meas & pedes meos: dinumeraverunt omnia oſſa mea.

19 Ipſi verò conſideraverunt & inſpexerunt me: diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

20 Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum à me: ad defenſionem meam conſpice.

21 Erue à framea animam meam: & de manu canis unicam meam.

22 Salva me ex ore leonis

&:

& à cornibus unicornium humilitatem meam.

23 Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.

24 Qui timetis Dominum laudate eum: universum semen Jacob glorificate eum.

25 Timeat eum omne semen Israel: quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.

26 Nec avertit faciem suam à me: & cum clamarem ad eum, exaudivit me.

27 Apud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.

28 Edent pauperes & saturabuntur: & laudabunt Dominum qui requirunt eum: vivent corda eorum in sæculum sæculi.

29 Reminiscentur, & convertentur ad Dominum: universi fines terræ.

30 Et adorabunt in conspectu ejus: universæ familiæ gentium,

31 Quoniam Domini est regnum: & ipse dominabitur gentium.

32 Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ: in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

33 Et anima mea illi vivet: & semen meum serviet ipsi.

34 Annunciabitur Domino generatio ventura: & annunciabunt cœli justitiam ejus populo qui nascetur quem fecit Dominus.

Psal. *Lat.* 22. *Heb.* 3.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit.

2 Super aquam refectionis educavit me: animam meam convertit.

3 Deduxit me super semitas justitiæ: propter nomen suum.

4 Nam etli ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.

5 Virga tua & baculus tuus: ipsa me consolata sunt.

6 Parâsti in conspectu meo mensam adversus eos: qui tribulant me.

7 Impinguâsti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus est!

8 Et misericordia tua subsequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.

9 Et ut inhabitem in domo Domini: in longitudine dierum.

MATUT.

Psal. *Lat.* 23. *Heb.* 24.

DOmini est terra & plenitudo ejus: orbis terrarum, & universi qui habitant in eo.

2 Quia ipse super maria fundavit eum: & super flumina præparavit eum.

3 Quis ascendet in montem Domini: Aut quis stabit in loco sancto ejus?

4 Innocens manibus, & mundo corde: qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

3 Hic accipiet benedictionem à Domino: & misericordiam à Deo salutari suo.

6 Hæc est generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Jacob.

7 Attol-

7 Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales : & introibit Rex gloriæ.

8 Quis eſt iſte Rex gloriæ ? Dominus fortis & potens : Dominus potens in prælio.

9 Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales : & introibit Rex gloriæ.

10 Quis eſt iſte Rex gloriæ ? Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.

Pſal. *Lat.* 24. *Heb.* 25.

AD te Domine levavi animam meam : Deus meus in te confido, non erubeſcam.

2 Neque irrideant me inimici mei : etenim univerſi qui ſuſtinent te, non confundentur.

3 Confundantur omnes iniqua agentes : ſupervacue.

4 Vias tuas Domine demonſtra mihi : & ſemitas tuas edoce me.

5 Dirige me in veritate tua, & doce me : quia tu es Deus ſalvator meus, & te ſuſtinui totâ die.

6 Reminiſcere miſerationum tuarum Domine : & miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt.

7 Delicta juventutis meæ : & ignorantias meas ne memineris.

8 Secundum miſericordiam tuam memento mei tu : propter bonitatem tuam Domine.

9 Dulcis & rectus Dominus : propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

10 Diriget manſuetos in judicio : docebit mites vias ſuas.

11 Univerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas : requirentibus teſtamentum ejus & teſtimonia ejus.

12 Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo : multum eſt enim.

13 Quis eſt homo qui timet Dominum ? Legem ſtatuet ei in via, quam elegit.

14 Anima ejus in bonis demorabitur : & ſemen ejus hæreditabit terram.

15 Firmamentum eſt Dominus timentibus eum : & teſtamentum ipſius ut manifeſtetur illis.

16 Oculi mei ſemper ad Dominum : quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.

17 Reſpice in me & miſerere mei : quia unicus & pauper ſum ego.

18 Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt : de neceſſitatibus meis erue me.

19 Vide humilitatem meam & laborem meum : & dimitte univerſa delicta mea.

20 Reſpice inimicos meos quoniam multiplicati ſunt : & odio iniquo oderunt me.

21 Cuſtodi animam meam & erue me : non erubeſcam, quoniam ſperavi in te.

22 Innocentes & recti adhæſerunt mihi : quia ſuſtinui te.

23 Libera Deus Iſrael : ex omnibus tribulationibus ſuis.

Pſal. *Lat.* 25. *Heb.* 26.

JUdica me Domine : quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum : & in Domino ſperans non infirmabor.

2 Proba me Domine & tenta me : ure renes meos & cor meum.

3 Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt : & complacui in veritate tua.

4 Non ſedi cum concilio vanitatis

nitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo.

5 Odivi Eccleſiam malignantium: & cum impiis non ſedebo.

6 Lavabo inter innocentes manus meas: & circundabo altare tuum Domine.

7 Ut audiam vocem laudis tuæ: & enarrem univerſa mirabilia tua.

8 Domine dilexi decorem domûs tuæ: & locum habitationis gloriæ tuæ.

9 Ne perdas cum impiis animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam.

10 In quorum manibus iniquitates ſunt: dextera eorum repleta eſt muneribus.

11 Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum: redime me & miſerere mei.

12 Pes meus ſterit in directo: in Eccleſiis benedicam te Domine.

VESPERT.

Pſal. *Lat.* 26. *Heb.* 27.

DOminus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo?

2 Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?

3 Dum approximant ſuper me nocentes: ut edant carnes meas.

4 Qui tribulant me inimici mei: ipſi infirmati ſunt & ceciderunt.

5 Si conſiſtant adverſum me caſtra: non timebit cor meum.

6 Si exurgat adverſum me prælium: in hoc ego ſperabo.

7 Unam petii à Domino, hanc requiram: ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

8. Ut videam voluptatem Domini: & viſitem templum ejus.

9 Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo: in die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui.

10 In petra exaltavit me: & nunc exaltavit caput meum ſuper inimicos meos.

11 Circumivi, & immolavi in tabernaculo ejus hoſtiam vociferationis: cantabo & pſalmum dicam Domino.

12 Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te: miſerere mei, & exaudi me.

13 Tibi dixit cor meum, Exquiſivit te facies mea; faciem tuam Domine requiram.

14 Ne avertas faciem tuam à me: ne declines in ira à ſervo tuo.

15 Adjutor meus eſto: ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus.

16 Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem aſſumpſit me.

17 Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in ſemita recta propter inimicos meos.

18 Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.

19 Credo videre bona Domini: in terra viventium.

20 Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.

Pſal. *Lat.* 27. *Heb.* 28.

AD te Domine clamabo, Deus meus ne ſileas à me: ne quando taceas à me, &

assimilabor descendentibus in lacum.

2 Exaudi Domine vocem deprecationis meæ dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

3 Ne simul trahas me cum peccatoribus: & cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

4 Qui loquuntur pacem cum proximo suo: mala autem in cordibus eorum.

5 Da illis secundùm opera eorum: & secundum nequitiam adinventionum ipsorum.

6 Secundùm opera manuum earum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis.

7 Quoniam non intellexerunt opera Domini: & in opera manuum ejus, destrues illos & non ædificabis eos.

8 Benedictus Dominus: quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.

9 Dominus adjutor meus, & protector meus: & in ipso speravit cor meum, & adjutus sum.

10 Et refloruit caro mea: & ex voluntate mea confitebor ei.

11 Dominus fortitudo plebis suæ: & protector salvationum Christi sui est.

12 Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ: & rege eos, & extolle illos usque in æternum.

Psal. *Lat.* 28. *Heb.* 29.

AFferte Domino filii Dei: afferte Domino filios arietum.

2 Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus.

3 Vox Domini super aquas, Deus Majestatis intonuit: Dominus super aquas multas.

4 Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.

5 Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani.

6 Et comminuet eas tanquam vitulum Libani, & dilectus quemadmodum filius unicornium.

7 Vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum: & commovebit Dominus desertum Cades.

8 Vox Domini præparantis cervos, & revelabit condensa: & in templo ejus omnes dicent gloriam.

9 Dominus diluvium inhabitare facit: & sedebit Dominus rex in æternum.

10 Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.

MATUT.

Psal. *Lat.* 29. *Heb.* 39.

EXaltabo te Domine, quoniam suscepisti me: nec delectâsti inimicos meos super me.

2 Domine Deus meus clamavi ad te: & sanâsti me.

3 Domine eduxisti ab inferno animam meam: salvâsti me à descendentibus in lacum.

4 Psallite Domino sancti ejus: & confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

5 Quoniam ira in indignatione ejus: & vita in voluntate ejus.

6 Ad vesperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia.

7 Ego

7 Ego autem dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum.

8 Domine in voluntate tua : præstitisti decori meo virtutem.

9 Avertisti faciem tuam a me : & factus sum conturbatus.

10 Ad te Domine clamabo : & ad Deum meum deprecabor.

11 Quæ utilitas in sanguine meo : dum descendo in corruptionem ?

12 Nunquid confitebitur tibi pulvis : aut annunciabit veritatem tuam ?

13 Audivit Dominus, & misertus est mei : Dominus factus est adjutor meus.

14 Convertisti planctum meum in gaudium mihi : conscidisti saccum meum, & circundedisti me lætitiâ.

15 Ut cantet tibi gloria mea, & non compungar : Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

Psal. *Lat.* 30. *Heb.* 31.

IN te Domine speravi, non confundar in æternum : in justitia tua libera me.

2 Inclina ad me aurem tuam : accelera ut eruas me.

3 Esto mihi in Deum protectorem : & in domum refugii, ut salvum me facias.

4 Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu : & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

5 Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi : quoniam tu es protector meus.

6 In manus tuas commendo spiritum meum : redemisti me Domine Deus veritatis.

7 Odisti observantes vanitates : supervacué.

8 Ego autem in Domino speravi : exultabo, & lætabor in misericordia tua.

9 Quoniam respexisti humilitatem meam : salvâsti de necessitatibus animam meam.

10 Nec conclusisti me in manibus inimici : statuisti in loco spatioso pedes meos.

11 Miserere mei Domine quoniam tribulor : conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.

12 Quoniam defecit in dolore vita mea : & anni mei in gemitibus.

13 Infirmata est in paupertate virtus mea : & ossa mea conturbata sunt.

14 Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, & vicinis meis valdè : & timor notis meis.

15 Qui videbant me foras fugerunt à me : oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde.

16 Factus sum tanquam vas perditum : quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circumitu.

17 In eo dum convenirent simul adversum me : accipere animam meam consiliati sunt.

18 Ego autem in te speravi Domine : dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.

19 Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me.

20 Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua : Domine non confundar, quoniam invocavi te.

21 Erubescant impii, & deducantur in infernum : muta fiant labia dolosa.

22 Quæ loquuntur adversus justum,

justum iniquitatem in superbia: & in abusione.

23 Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine: quam abscondisti timentibus te!

24 Perfecisti eis qui sperant in te: in conspectu filiorum hominum.

25 Abscondas eos in abscondito faciei tuæ: à conturbatione hominum.

26 Protèges eos in tabernaculo tuo: à contradictione linguarum.

27 Benedictus Dominus: quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.

28 Ego autem dixi in excessu mentis meæ: Projectus sum à facie oculorum tuorum.

29 Ideo exaudisti vocem orationis meæ: dum clamarem ad te.

30 Diligite Dominum omnes sancti ejus: quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam.

31 Viriliter agite, & confortetur cor vestrum: omnes qui speratis in Domino.

VESPERT.

Psal. *Lat.* 31. *Heb.* 32.

BEati, quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.

2 Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in spiritu ejus dolus.

3 Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea: dum clamarem totâ die.

4 Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

5 Delictum meum cognitum tibi feci: & injustitiam meam non abscondi.

6 Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

7 Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tempore opportuno.

8 Veruntamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.

9 Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circundedit me: exultatio mea erue me à circundantibus me.

10 Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac quâ gradieris: firmabo super te oculos meos.

11 Nolite fieri sicut equus & mulus: quibus non est intellectus.

12 In camo & fræno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

13 Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

14 Lætamini in Domino & exultate justi: & gloriamini omnes recti corde.

Psal. *Lat.* 32. *Heb.* 33.

EXultate justi in Domino: rectos decet collaudatio.

2 Confitemini Domino in cithara: in Psalterio decem chordarum psallite illi.

3 Cantate ei Canticum novum: bene psallite ei in vociferatione.

4 Quia rectum est verbum Domini: & omnia opera ejus in fide.

5 Diligit

5 Diligit misericordiam & judicium misericordia Domini plena est terra.

6 Verbo Domini cœli firmati sunt: & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

7 Congregans sicut in utre aquas maris: ponens in thesauris abyssos.

8 Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

9 Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.

10 Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum.

11 Consilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis ejus in generatione & generationem.

12 Beata gens cujus est Dominus Deus ejus: populus quem elegit in hæreditatem sibi.

13 De cœlo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum.

14 De præparato habitaculo suo: respexit super omnes qui habitant terram.

15 Qui finxit figillatim corda eorum: qui intelligit omnia eorum.

16 Non salvatur rex per multam virtutem & gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.

17 Fallax equus ad salutem; in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.

18 Ecce oculi Domini super metuentes eum: & in eis qui sperant super misericordia ejus.

19 Ut eruat à morte animas eorum: & alat eos in fame.

20 Anima nostra sustinet Dominum: quoniam adjutor & protector noster est.

21 Quia in eo lætabitur cor nostrum: & in nomine sancto ejus speravimus.

22 Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum speravimus in te.

Psal. *Lat.* 33. *Heb.* 34.

BEnedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo.

2 In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti & lætentur.

3 Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen ejus in idipsum.

4 Exquisivi Dominum, & exaudivit me: ex omnibus tribulationibus eripuit me.

5 Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur.

6 Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum: & ex omnibus tribulationibus salvavit eum.

7 Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos.

8 Gustate & videte, quoniem suavis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo.

9 Timete Dominum omnes sancti ejus: quoniam non est inopia timentibus eum.

10 Divites egueruntet esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

11 Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos.

12 Quis

13 Quis est homo qui vult vitam: diligit dies videre bonos?

13 Prohibe linguam tuam à malo: & labia tua ne loquantur dolum.

14 Diverte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam.

15 Oculi Domini super justos: & aures ejus in preces eorum.

16 Vultus autem Domini super facientes mala: ut perdat de terra memoriam eorum.

17 Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

18 Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu salvabit.

19 Multæ tribulationes justorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus.

20 Custodit Dominus omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur.

21 Mors peccatorum pessima: & qui oderunt justum delinquent.

22 Redimet Dominus animas servorum suorum: & non delinquent omnes qui sperant in eo.

MATUT.

Psal. *Lat.* 34. *Heb.* 35.

JUdica Domine nocentes me: expugna impugnantes me.

2 Apprehende arma & scutum: & exurge in adjutorium mihi.

3 Effunde frameam, & conclude adversus eos qui persequuntur me: dic animæ meæ, Salus tua ego sum.

4 Confundantur & revertantur: quærentes animam meam.

5 Avertantur retrorsum: & confundantur cogitantes mihi mala.

6 Fiant tanquam pulvis ante faciem venti: & Angelus Domini coarctans eos.

7 Fiat via illorum tenebræ & lubricum: & Angelus Domini persequens eos.

8 Quoniam gratis abscondérunt mihi interitum laquei sui: supervacuè exprobraverunt animam meam.

9 Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abscondit apprehendat eum: & in laqueum cadat in ipsum.

10 Anima autem mea exultabit in Domino: & delectabitur super salutari suo.

11 Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?

12 Eripiens inopem de manu fortiorum ejus: egenum & pauperum à diripientibus eum.

13 Surgentes testes iniqui: quæ ignorabam interrogabant me.

14 Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ.

15 Ego autem cum mihi molesti essent: induebar cilicio.

16 Humiliabam in jejunio animam meam: & oratio mea in sinu meo convertetur.

17 Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum sic complacebam: quasi lugens & contristatus sic humiliabar.

18 Et adversum me lætati sunt, & convenerunt: congregata

gata sunt super me flagella, & ignoravi.

19 Dissipati sunt nec compuncti, tentaverunt me, subsannaverunt subsannatione : frenduerunt super me dentibus suis.

20 Domine quando respicies ? Restitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus unicam meam.

21 Confitebor tibi in Ecclesia magna : in populo gravi laudabo te.

22 Non supergaudeant mihi qui adversantur mihi iniqué : qui oderunt me gratis & annuunt oculis.

23 Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur : & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.

24 Et dilataverunt super me os suum : dixerunt, Euge, euge, viderunt oculi nostri.

25 Vidisti Domine, ne sileas ? Domine, ne discedas à me.

26 Exurge & intende judicio meo : Deus meus, & Dominus meus in causam meam.

27 Judica me secundùm justitiam tuam Domine Deus meus : & non supergaudeant mihi.

28 Non dicant in cordibus suis, Euge, euge, animæ nostræ : nec dicant, Devoravimus eum.

29 Erubescant & revereantur simul : qui gratulantur malis meis.

30 Induantur confusione & reverentia : qui magna loquuntur super me.

31 Exultent & lætentur qui volunt justitiam meam : & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.

32 Et lingua mea meditabitur justitiam tuam : totâ die laudem tuam.

Psal. *Lat.* 35. *Heb.* 36.

DIxit injustus ut delinquat in semetipso : non est timor Dei ante oculos ejus.

2 Quoniam dolose egit in conspectu ejus : ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.

3 Verba oris ejus iniquitas & dolus : noluit intelligere ut bene ageret.

4 Iniquitatem meditatus est in cubili suo : astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.

5 Domine in cœlo misericordia tua : & veritas tua usq; ad nubes.

6 Justitia tua sicut montes Dei : judicia tua abyssus multa.

7 Homines & jumenta salvabis Domine : quemadmodum multiplicâsti misericordiam tuam Deus.

8 Filii autem hominum : in tegmine alarum tuarum sperabunt.

9 Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ : & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

10 Quoniam apud te est fons vitæ : & in lumine tuo videbimus lumen.

11 Prætende Domine misericordiam tuam scientibus te : & justitiam tuam his qui recto sunt corde.

12 Non veniat mihi pes superbiæ : & manus peccatoris non moveat me.

13 Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem : expulsi

expulsi sunt, nec potuerunt stare.

VESPERT.

Psal. *Lat.* 36. *Heb.* 37.

NOli æmulari in malignantibus; neque zelaveris facientes iniquitatem.

2 Quoniam tanquam fœnum velociter arescent: & quemadmodum olera herbarum citò decident.

3 Spera in Domino, & fac bonitatem: & inhabita terram, & pascéris in divitiis ejus.

4 Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui.

5 Revela Domino viam tuam, & spera in eo: & ipse faciet.

6 Et educet quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum tanquam meridiem: subditus esto Domino, & ora eum.

7 Noli emulari in eo qui prosperatur in via sua: in homine faciente injustitias.

8 Desine ab ira, & derelinque furorem: noli æmulari ut malignéris.

9 Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram.

10 Et adhuc pusillum, & non erit peccator: & quæres locum ejus, & non invenies.

11 Mansueti autem hæreditabunt terram: & delectabuntur in multitudine pacis.

12 Observabit peccator justum: & stridebit super eum dentibus ejus.

13 Dominus autem irridebit eum: quoniam prospicit quòd veniet dies ejus.

14 Gladium evaginaverunt peccatores: intenderunt arcum suum.

15 Ut dejiciant pauperem & inopem: ut trucident rectos corde.

16 Gladius eorum intret in corda ipsorum: & arcus eorum confringatur.

17 Melius est modicum justo: super divitias peccatorum multas.

18 Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat autem justos Dominus.

19 Novit Dominus dies immaculatorum: & hæreditas eorum in æternum erit.

20 Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur: quia peccatores peribunt.

21 Inimici verò Domini mox ut honorificati fuerint & exaltati deficientes: quemadmodum fumus deficient.

22 Mutuabitur peccator, & non solvet: justus autem miseretur & tribuet.

23 Quia benedicentes ei hæreditabunt terram: maledicentes autem ei disperibunt.

24 Apud Dominum gressus hominis dirigentur: & viam ejus volet.

25 Cùm ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.

26 Junior fui, etenim senui: & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.

27 Tota die miseretur & commodat: & semen illius in benedictione erit.

28 Declina à malo & fac bonum: & inhabita in sæculum sæculi.

29 Quia

29 Quia Dominus amat judicium: & non derelinquet sanctos suos, in æternum conservabuntur.

30 Injusti punientur: & semen impiorum peribit.

31 Justi autem hæreditabunt terram: & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.

32 Os justi meditabitur sapientiam: & lingua ejus loquetur judicium.

33 Lex Dei ejus in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus ejus.

34 Considerat peccator justum: & quærit mortificare eum.

35 Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus: nec damnabit eum cum judicabitur illi.

36 Expecta Dominum, & custodi viam ejus: & exaltabit te ut hæreditate capias terram: cum perierint peccatores videbis.

37 Vidi impium superexaltatum: & elevatum sicut cedros Libani.

38 Et transivi, & ecce non erat: quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.

39 Custodi innocentiam, & vide æquitatem: quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.

40 Injusti autem disperibunt simul: reliquiæ impiorum interibunt.

41 Salus autem justorum à Domino: & protector eorum in tempore tribulationis.

42 Et adjuvabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus & salvabit eos, quia speraverunt in eo.

MATUT.

Psal. *Lat.* 37. *Heb.* 38.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

2 Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmâsti super me manum tuam.

3 Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum.

4 Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus grave gravatæ sunt super me.

5 Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ: à facie insipientiæ meæ.

6 Miser factus sum & curvatus sum usque in finem: totâ die contristatus ingrediebar.

7 Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea.

8 Afflictus sum & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

9 Domine, ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus.

10 Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

11 Amici mei, & proximi mei adversum me appropinquaverunt: & steterunt.

12 Et qui juxta me erant de longè steterunt: & vim faciebant qui quærebant animam meam.

13 Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates:

tes: & dolos totâ die meditabantur.

14 Ego autem tanquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.

15 Et factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutiones.

16 Quoniam in te Domine speravi: tu exaudies me Domine Deus meus.

17 Quia dixi, Nequando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

18 Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.

19 Quoniam iniquitatem meam annunciabo: & cogitabo pro peccato meo.

20 Inimici autem mei vivunt, & confirmati sunt super me, & multiplicati sunt qui oderunt me iniqué.

21 Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

32 Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris à me.

23 Intende in adjutorium meum: Domine Deus salutis meæ.

Psal. *Lat.* 38. *Heb.* 39.

DIxi, Custodiam vias meas: ut non delinquam in lingua mea.

2 Posui ori meo custodiam: cùm consisteret peccator adversum me.

3 Obmutui, & humiliattus sum: & silui à bonis, & dolor meus renovatus est.

4 Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardescet ignis.

5 Locutus sum in lingua mea: notum fac mihi Domine finem meum.

6 Et numerum dierum meorum quis est? Ut sciam quid desit mihi.

7 Ecce mensurabiles posuisti dies meos: & substantia mea tanquam nihilum ante te.

8 Veruntamen universa vanitas: omnis homo vivens.

9 Veruntamen in imagine pertransit homo: sed & frustra conturbatur.

10 Thesaurizat: & ignorat cui congregabit ea.

11 Et nunc quæ est expectatio mea? Nonne Dominus, & substantia mea apud te est?

12 Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium insipienti dedisti me.

13 Obmutui & non aperui os meum, quoniam tu fecisti: amove à me plagas tuas.

14 A fortitudine manus tuæ ego defeci: in increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem.

15 Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus: veruntamen vanè conturbatur omnis homo.

16 Exaudi orationem meam, Domine, & deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas.

17 Ne sileas: quoniam advena ego sum apud te, & peregrinus: sicut omnes patres mei.

18 Remitte mihi, ut refrigerer prius quàm abeam: & amplius non ero.

Psal.

Psal. *Lat.* 39. *Heb.* 40.

EXpectans expectavi Dominum: & intendit mihi.

2 Et exaudivit preces meas: & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis.

3 Et statuit supra petram pedes meos: & direxit gressus meos.

4 Et immisit in os meum canticum novum: carmen Deo nostro.

5 Videbunt multi & timebunt: & sperabunt in Domino.

6 Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus: & non respexit in vanitates, & insanias falsas.

7 Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

8 Annunciavi & loquutus sum: multiplicati sunt super numerum.

9 Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi.

10 Holocaustum & pro peccato non postulâsti: tunc dixi, Ecce venio.

11 In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

12 Annunciavi justitiam tuam in Ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.

13 Justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam & salutare tuum dixi.

14 Non abscondi misericordiam tuam: & veritatem tuam à consilio multo.

15 Tu autem Domine ne longè facias miserationes tuas à me: misericordia tua & veritas tua semper susceperunt me.

16 Quoniam circundederunt me mala quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem.

17 Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.

18 Complaceat tibi Domine ut eruas me: Domine ad adjuvandum me respice.

19 Confundantur & revereantur simul qui quærunt animam meam: ut auferant eam.

20 Convertantur retrorsum & revereantur: qui volunt mihi mala.

21 Ferant confestim confusionem suam: qui dicunt mihi, Euge, euge.

22 Exultent & lætentur super te omnes quærentes te: & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

23 Ego autem mendicus sum & pauper: Dominus solicitus est mei.

24 Adjutor meus & protector meus tu es: Deus me ne tardaveris.

VESPERT.

Psal. *Lat.* 40. *Heb.* 41.

BEatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberavit eum Dominus.

2 Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat

faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

3 Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versâsti in infirmitate ejus.

4 Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam quia peccavi tibi.

5 Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur & peribit nomen ejus?

6 Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur, cor ejus congregavit iniquitatem sibi: egrediebatur foras, & loquebatur, in idipsum.

7 Adversum me susurrabant omnes inimici mei: adversum me cogitabant mala mihi.

8 Verbum iniquum constituerunt adversum me: nunquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?

9 Etenim homo pacis meæ in quo speravi, qui edebat panes meos: magnificavit super me supplantationem.

10 Tu autem Domine miserere mei: & resuscita me, & retribuam eis.

11 In hoc cognovi, quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

12 Me autem propter innocentiam suscepisti: & confirmâsti me in conspectu tuo in æternum.

13 Benedictus Dominus Deus Israel: à sæculo & usque in sæculum; fiat, fiat.

Psal. *Lat.* 41. *Heb.* 42.

QUemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.

2 Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?

3 Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus?

4 Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad Domum Dei,

5 In voce exultationis & confessionis: sonus epulantis.

6 Quare tristis es anima mea? Et quare conturbas me?

7 Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

8 Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermonii a monte modico.

2 Abyssus abyssum invocat: in voce cataractarum tuarum.

10 Omnia excelsa tua & fluctus tui: super me transierunt.

11 In die mandavit Dominus misericordiam suam: & nocte canticum ejus.

12 Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo, susceptor meus es.

13 Quare oblitus es mei? Et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

14 Dum confringuntur ossa mea: exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei.

15 Dum

15 Dum dicunt mihi per ſingulos dies, Ubi eſt Deus tuus? Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?

16 Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Pſal. *Lat.* 42. *Heb.* 43.

JUdica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta: ab homine iniquo & doloſo erue me.

2 Quia tu es Deus fortitudo mea, quare me repuliſti? Et quare triſtis incedo, dum affligit me inimicus?

3 Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipſæ me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.

4 Et introibo ad altare Dei: ad Deum qui lætificat juventutem meam.

5 Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus: quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?

6 Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.

MATUT.

Pſal. *Lat.* 43. *Heb.* 44.

DEus auribus noſtris audivimus: patres noſtri annunciaverunt nobis.

2 Opus quod operatus es in diebus eorum: in diebus antiquis.

3 Manus tua gentes diſperdidit, & plantaſti eos: afflixiſti populos, & expuliſti eos.

4 Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram: & brachium eorum non ſalvabit eos.

5 Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuiſti in eis.

6 Tu es ipſe rex meus & Deus meus: qui mandas ſalutes Jacob.

7 In te inimicos noſtros ventilabimus cornu: & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis.

8 Non enim in arcu meo ſperabo: & gladius meus non ſalvabit me.

9 Salvâſti enim nos de affligentibus nos: & odientes nos confudiſti.

10 In Deo laudabimur totâ die: & in nomine tuo confitebimur in ſæcula.

11 Nunc autem repuliſti & confudiſti nos: & non egredieris Deus in virtutibus noſtris.

12 Avertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros: & qui oderunt nos diripiebant ſibi.

13 Dediſti nos tanquam oves eſcarum: & in gentibus diſperſiſti nos.

14 Vendidiſti populum tuum ſine pretio: & non fuit multitudo in commutationibus eorum.

15 Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtros: ſubſannationem & deriſum his qui ſunt in circuitu noſtro.

16 Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentibus: commotionem capitis in populis.

17 Tota die verecundia mea contra me eſt: & confuſio faciei meæ cooperuit me.

18 A voce exprobrantis & oblo-

obloquentis : à facie inimici & perſequentis.

19 Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te : & inique non egimus in teſtamento tuo.

20 Et non receſſit retro cor noſtrum : & declinâſti ſemitas noſtras à via tua.

21 Quoniam humiliâſti nos in loco afflictionis : & cooperuit nos umbra mortis.

22 Si obliti ſumus nomen Dei noſtri : & ſi expandimus manus noſtras ad Deum alienum.

23 Nonne Deus requiret iſta ? Ipſe enim novit abſcondita cordis.

24 Quoniam propter te mortificamur totâ die : æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.

25 Exurge, quare obdormis Domine ? Exurge, & ne repellas in finem.

26 Quare faciem tuam avertis : obliviſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ.

27 Quoniam humiliata eſt in pulvere anima noſtra : conglutinatus eſt in terra venter noſter.

28 Exurge Domine adjuva nos : & redime nos propter nomen tuum.

Pſal. *Lat.* 44. *Heb.* 45.

ERuctavit cor meum verbum bonum : dico ego opera mea regi.

2 Lingua mea calamus ſcribæ : velociter ſcribentis.

3 Specioſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis : propterea benedixit te Deus in æternum.

4 Accingere gladio tuo ſuper femur tuum : potentiſſime.

5 Specie tua & pulchritudine tuâ : intende, proſperè procede, & regna.

6 Propter veritatem & manſuetudinem & juſtitiam : & deducet te mirabiliter dextera tua.

7 Sagittæ tuæ acutæ : populi ſub te cadent in corda inimicorum Regis.

8 Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi : virga directionis virga regni tui.

9 Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.

10 Mirrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis : ex quibus delectaverunt te filiæ regnum in honore tuo.

11 Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato : circundata varietate.

12 Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam : & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui.

13 Et concupiſcet rex decorem tuum : quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus : & adorabunt eum.

14 Et filiæ Tyri in muneribus : vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.

15 Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus : in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

16 Adducentur regi virgines poſt eam : proximæ ejus afferentur tibi.

17 Afferentur in lætitia & exultatione : adducentur in templum regis.

18 Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii : conſtitues eos prin-

principes ſuper omnem terram.

19 Memores erunt nominis tui: in omni generatione & generationem.

20 Propterea populi confitebuntur tibi in æternum: & in ſæculum ſæculi.

Pſal. *Lat.* 45. *Heb.* 46.

DEus noſter refugium & virtus: adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.

2 Propterea non timebimus dum turbabitur terra: & tranſferentur montes in cor maris.

3 Sonuerunt & turbatæ ſunt aquæ eorum: conturbati ſunt montes in fortitudine ejus.

4 Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.

5 Deus in medio ejus non commovebitur: adjuvabit eam Deus mane diluculo.

6 Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna: dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

7 Dominus virtutum nobiſcum: ſuſceptor noſter Deus Jacob.

8 Venite & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram: auferentes bella uſque ad finem terræ.

9 Arcum conteret, & confringet arma: & ſcuta comburet igni.

10 Vacate, & videte quoniam ego ſum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

11 Dominus virtutum nobiſcum: ſuſceptor noſter Deus Jacob.

VESPERT.

Pſal. *Lat.* 46. *Heb.* 47.

OMnes gentes plaudite manibus: jubilate Deo in voce exultationis.

2 Quoniam Dominus excelſus, terribilis: rex magnus ſuper omnem terram.

3 Subjecit populos nobis: & gentes ſub pedibus noſtris.

4 Elegit nobis hæreditatem ſuam: ſpeciem Jacob quam dilexit.

5 Aſcendit Deus in jubilo: & Dominus in voce tubæ.

6 Pſallite Deo noſtro, pſallite: pſallite regi noſtro, pſallite.

7 Quoniam rex omnis terræ Deus: pſallite ſapienter.

8 Regnabit Deus ſuper gentes: Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.

9 Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham: quoniam dii fortes terræ vehementer elevati ſunt.

Pſal. *Lat.* 46. *Heb.* 47.

MAgnus Dominus & laudabilis nimis in civitate Dei noſtri: in monte ſancto ejus.

2 Fundatur exultatione univerſæ terræ mons Sion: latera Aquilonis; civitas regis magni.

4 Deus in domibus ejus cognoſcetur: cùm ſuſcipiet eam.

4 Quoniam ecce reges terræ congregati ſunt: convenerunt in unum.

5 Ipsi videntes sic admirati sunt: conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.

6 Ibi dolores ut parturientis: in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

7 Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in æternum.

8 Suscepimus Deus misericordiam tuam: in medio templi tui.

9 Secundùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: justitiâ plena est dextera tua.

10 Lætetur mons Sion: & exultent filiæ Judæ, propter judicia tua Domine.

11 Circundate Sion, & complectimini eam; narrate in turribus ejus.

12 Ponite corda vestra in virtute ejus: & distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

13 Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum: & in sæculum sæculi, ipse reget nos in sæcula.

Psal. *Lat.* 48. *Heb.* 49.

AUdite hæc omnes gentes: auribus percipite omnes qui habitatis orbem.

2 Quique terrigenæ & filii hominum: simul in unum dives & pauper.

3 Os meum loquetur sapientiam: & meditatio cordis mei prudentiam.

4 Inclinabo in parabolam aurem meam: aperiam in psalterio propositionem meam.

5 Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circundabit me.

6 Qui confidunt in virtute sua: & in multitudine divitiarum suarum gloriantur.

7 Frater non redimit, redimet homo? Non dabit Deo placationem suam.

8 Et pretium redemptionis animæ suæ, & laborabit in æternum: & vivet adhuc in finem.

9 Non videbit interitum, cùm viderit sapientes morientes: simul insipiens & stultus peribunt.

10 Et relinquet alienis divitias suas: & sepulchra eorum domus illorum in æternum.

11 Tabernacula eorum in progenie & progenie: vocaverunt nomina sua in terris suis.

12 Et homo cum in honore esset non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.

13 Hæc via illorum scandalum ipsis: & posteà in ore suo complacebunt.

14 Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos.

15 Et dominabuntur eorum justi in matutino: & auxilium eorum veteraſcet in inferno à gloria eorum.

16 Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi: cùm acceperit me.

17 Ne timueris cùm dives factus fuerit homo: & cùm multiplicata fuerit gloria domûs ejus.

18 Quoniam cùm interierit, non sumet omnia: neque

que descendet cum eo gloria ejus.

19 Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi cùm benefeceris ei.

20 Introibit usque in progenies patrum suorum & usque in æternum non videbit lumen.

21 Homo quum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.

MATUT.

Psal. *Lat.* 49. *Heb.* 50.

DEus deorum Dominus locutus est: & vocavit terram.

2 A solis ortu usque ad occasum: ex Sion species decoris ejus.

3 Deus manifestè veniet: Deus noster, & non silebit.

4 Ignis in conspectu ejus exardescet: & in circuitu ejus tempestas valida.

5 Advocabit cœlum de sursum, & terram: discernere populum suum.

6 Congregate illi sanctos ejus: qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

7 Et annunciabunt cœli justitiam ejus: quoniam Deus judex est.

8 Audi populus meus, & loquar: Israel, & testificabor tibi, Deus tuus ego sum.

9 Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

10 Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos.

11 Quoniam meæ sunt omnes feræ sylvarum: jumenta in montibus, & boves.

12 Cognovi omnia volatilia cœli: & pulchritudo agri mecum est.

13 Si esurio, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo ejus.

14 Nunquid manducabo carnes taurorum? Aut sanguinem hircorum potabo?

15 Immola Deo sacrificium laudis: & redde Altissimo vota tua.

16 Et invoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.

17 Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?

18 Tu verò odisti disciplinam: & projecisti sermones meos retrorsum.

19 Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas.

20 Os tuum abundavit malitiâ: & lingua tua concinnabat dolos.

21 Sedens adversus fratrem tuum loquebaris: & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum; hæc fecisti, & tacui.

22 Existimâsti inique quòd ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.

23 Intelligite hæc qui obliviscimini Deum: nequando rapiat & non sit, qui eripiat.

24 Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter quo ostendam illi salutare Dei.

Psal. *Lat.* 50. *Heb.* 51.

MIserere mei Deus: ſecundum magnam miſericordiam tuam.

2 Et ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.

3 Amplius lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

4 Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.

5 Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris.

6 Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.

7 Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtâſti mihi.

8 Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

9 Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata.

10 Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

11 Cor mundum crea in me Deus: & Spiritum rectum innova in viſceribus meis.

12 Ne projicias me à facie tua: & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

13 Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & Spiritu principali confirma me.

14 Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.

15 Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ: & exultabit lingua mea juſtitiam tuam.

16 Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.

17 Quoniam ſi voluiſſes, ſacrificium dediſſem: utique holocauſtis non delectaberis.

18 Sacrificium Deo, Spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

19 Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jeruſalem.

20 Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ, oblationes & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Pſal. *Lat.* 51. *Heb.* 52.

QUid gloriaris in malitia: qui potens es in iniquitate?

2 Tota die injuſtitiam cogitavit lingua tua: ſicut novacula acuta feciſti dolum.

3 Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem: iniquitatem magis quàm loqui æquitatem.

4 Dilexiſti omnia verba præcipitationis: lingua doloſa.

5 Propterea Deus deſtruet te in finem: evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium.

6 Videbunt juſti & timebunt, & ſuper eum ridebunt: & dicent, Ecce homo qui non poſuit Deum adjutorem ſuum.

7 Sed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum: & prævaluit in vanitate ſua.

8 Ego autem ſicut oliva fructifera in domo Dei: ſperavi in miſericordia Dei in æternum, & in ſæculum ſæculi.

9 Con-

9 Confitebor tibi in ſæculum, quia feciſti: & expectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt in conſpectu ſanctorum tuorum.

VESPERT.

Pſal. *Lat.* 52. *Heb.* 53.

DIxit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.

2 Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus: non eſt qui faciat bonum.

3 Deus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum: ut videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum.

4 Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.

5 Nonne ſcient omnes qui operantur iniquitatem: qui devorant plebem meam ut cibum panis?

6 Deum non invocaverunt: illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

7 Quoniam Deus diſſipavit oſſa eorum qui hominibus placent: confuſi ſunt, quoniam Deus ſprevit eos.

8 Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael? Cùm converterit Deus captivitatem plebis ſuæ, exultabit Jacob, & lætabitur Iſrael.

Pſal. *Lat.* 53. *Heb.* 54.

DEus in nomine tuo ſalvum me fac: & in virtute tua judica me:

2 Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei:

3 Quoniam alieni inſurrexerunt adverſum me, & fortes quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.

4 Ecce enim Deus adjuvat me: & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.

5 Averte mala inimicis meis: & in veritate tua diſperde illos.

6 Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine: quoniam bonum eſt.

7 Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me: & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.

Pſal. *Lat.* 54. *Heb.* 55.

EXaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam: intende mihi & exaudi me.

2 Contriſtatus ſum in exercitatione mea: & conturbatus ſum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.

3 Quoniam declinaverunt in me iniquitates: & in ira moleſti erant mihi.

4 Cor meum conturbatum eſt in me: & formido mortis cecidit ſuper me.

5 Timor & tremor venerunt ſuper me: & contexerunt me tenebræ.

6 Et dixi, Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ: & volabo & requieſcam?

7 Ecce elongavi fugiens: & manſi in ſolitudine.

8 Expectabam eum qui ſalvum me fecit a puſillanimitate ſpiritus: & tempeſtate.

9 Præcipita Domine, divide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate.

10 Die ac nocte circundabit eam super muros ejus iniquitas: & labor in medio ejus, & injustitia.

11 Et non defecit de plateis ejus: usura & dolus.

12 Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi: sustinuissem utique.

13 Et si is qui oderat me, super me magna loquutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo.

14 Tu verò homo unânimis: dux meus & notus meus.

15 Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum consensu.

16 Veniat mors super illos: & descendant in infernum viventes.

17 Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum: in medio eorum.

18 Ego autem ad Deum clamavi: & Dominus salvabit me.

19 Vesperè & mâne & meridie narrabo & annunciabo: & exaudiet vocem meam.

20 Redimet in pace animam meam, ab his qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum.

21 Exaudiet Deus, & humiliabit illos: qui est ante sæcula.

22 Non enim est illis commutatio, & non timuerunt Deum: extendit manum suam in retribuendo.

23 Contaminaverunt testamentum ejus, divisi sunt ab ira vultus ejus: & appropinquavit cor illius.

24 Molliti sunt sermones ejus super oleum: & ipsi sunt jacula.

25 Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem justo:

26 Tu verò Deus deduces eos: in puteum interitus.

27 Viri sanguinum & dolosi, non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te Domine.

MATUT.

Psal. *Lat.* 55. *Heb.* 56.

MIserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo? totâ die impugnans tribulavit me.

2 Conculcaverunt me inimici mei totâ die: quoniam multi bellantes adversùm me.

3 Ab altitudine diei timebo: ego verò in te sperabo.

4 In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi: non timebo quid faciat mihi caro.

5 Totâ die verba mea execrabantur: adversùm me omnes cogitationes eorum in malum.

6 Inhabitabunt & abscondent: ipsi calcaneum meum observabunt.

7 Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos: in ira populos confringes.

8 Deus vitam meam annunciavi tibi: posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.

9 Sicut & in promissione tua: tua tunc convertentur inimici mei retrorsum.

10 In quacunque die invocavero te: ecce cognovi quoniam Deus meus es.

11 In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo ſermonem: in Deo ſperavi, non timebo quid faciat mihi homo.

12 In me ſunt Deus vota tua: quæ reddam laudationes tibi?

13 Quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos de lapſu: ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Pſal. *Lat.* 56. *Heb.* 57.

MIſerere mei Deus, miſerere mei: quoniam in te confidit anima mea.

2 Et in umbra alarum tuarum ſperabo: donec tranſeat iniquitas.

3 Clamabo ad Deum altiſſimum: Deum qui benefecit mihi.

4 Miſit de cœlo, & liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me.

5 Miſit Deus miſericordiam ſuam & veritatem ſuam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.

6 Filii hominum, dentes eorum arma & ſagittæ: & lingua eorum gladius acutus.

7 Exaltare ſuper cœlos Deus: & in omnem terram gloria tua.

8 Laqueum paraverunt pedibus meis: & incurvaverunt animam meam.

9 Foderunt ante faciem meam foveam: & inciderunt in eam.

10 Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo & pſalmum dicam.

11 Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara: exurgam diluculo.

12 Confitebor tibi in populis Domine: pſalmum dicam tibi in gentibus.

13 Quoniam magnificata eſt uſque ad cœlos miſericordia tua: & uſque ad nubes veritas tua.

14 Exaltare ſuper cœlos Deus: & ſuper omnem terram gloria tua.

Pſal. *Lat.* 57. *Heb.* 58.

SI verè utique juſtitiam loquimini: recta judicate filii hominum.

2 Etenim in corde iniquitates operamini in terra: injuſtitias manus veſtræ concinnant.

3 Alienati ſunt peccatores à vulva: erraverunt ab utero, locuti ſunt falſa.

4 Furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas.

5 Quæ non exaudiet vocem incantantium: & venefici incantantis ſapienter.

6 Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum: malas leonum confringet Dominus.

7 Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens: intendit arcum ſuum donec infirmentur.

8 Sicut cera quæ fluit auferentur: ſupercecidit ignis, & non viderunt ſolem.

9 Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum: ſicut viventes, ſic in ira abſorbet eos.

10 Lætabitur juſtus cum viderit vindictam: manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris.

11 Et dicet homo, Si utique est fructus justo : utique est Deus judicans eos in terra.

VESPERT.

Psal. *Lat.* 58. *Heb.* 59.

ERipe me de inimicis meis Deus meus : & ab insurgentibus in me libera me.

2 Eripe me de operantibus iniquitatem : & de viris sanguinum salva me.

3 Quia ecce ceperunt animam meam : irruerunt in me fortes.

4 Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine : sine iniquitate cucurri & direxi.

5 Exurge in occursum meum & vide : & tu Domine Deus virtutum Deus Israel.

6 Intende ad visitandas omnes gentes : non misereris omnibus qui operantur iniquitatem.

7 Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes : & circuibunt civitatem.

8 Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum : quoniam quis audivit ?

9 Et tu Domine deridebis eos : ad nihilum deduces omnes gentes.

10 Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es : Deus meus misericordia ejus præveniet me.

11 Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos : nequando obliviscantur populi mei.

12 Disperde illos in virtute tua : & depone eos protector meus, Domine.

13 Delictum oris eorum sermonem labiorum ipsorum : & comprehendantur in superbia sua.

14 Et de execratione & mendacio annunciabuntur in Consummatione : in ira consummationis, & non erunt.

15 Et scient quia Deus dominabitur Jacob : & finium terræ.

16 Convertentur ad vesperam & famem patientur ut canes : & circuibunt civitatem.

17 Ipsi dispergentur ad manducandum : si vero non fuerint saturati, & murmurabunt.

18 Ego autem cantabo fortitudinem tuam : & exultabo manè misericordiam tuam.

19 Quia factus est susceptor meus : & refugium meum in die tribulationis meæ.

20 Adjutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es : Deus meus misericordia mea.

Psal. *Lat.* 59. *Heb.* 60.

DEus repulisti nos, & destruxisti nos : iratus es, & misertus es nobis.

2 Commovisti terram, & conturbâsti eam : sana contritiones ejus, quia commota est.

3 Ostendisti populo tuo dura : potâsti nos vino compunctionis.

4 Dedisti metuentibus te significationem : ut refugiant à facie arcûs.

5 Ut liberentur dilecti tui : salvum fac dextera tua, & exaudi me.

6 Deus locutus est in sancto suo : Lætabor, & partibor Sichimam, & convallem tabernaculorum metibor.

7 Meus

7 Meus est Galaad, & meus est Manasses : & Ephraim fortitudo capitis mei.

8 Juda rex meus : Moab olla spei meæ.

9 In Idumæam extendam calceamentum meum : mihi alienigenæ subditi sunt.

10 Quis deducet me in civitatem munitam ; quis deducet me usque in Idumæam ?

11 Nonne tu Deus qui repulisti nos : & non egredieris Deus in virtutibus nostris.

12 Da nobis auxilium de tribulatione : quia vana salus hominis.

13 In Deo faciemus virtutem : & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

Psal. *Lat.* 60. *Heb.* 61.

EXaudi Deus deprecationem meam : intende orationi meæ.

2 A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum : in petra exaltâsti me.

3 Deduxisti me, quia factus es spes mea : turris fortitudinis à facie inimici.

4 Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula : protegar in velamento alarum tuarum.

5 Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam : dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.

6 Dies super dies regis adiicies : annos ejus usque in diem generationis & generationis.

7 Permanet in æternum in conspectu Dei : misericordiam & veritatem ejus quis requiret ?

8 Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi : ut reddam vota mea de die in diem.

MATUT.

Psal. *Lat.* 61. *Heb.* 62.

NOnne Deo subjecta erit anima mea ? Ab ipso enim salutare meum.

2 Nam & ipse Deus meus, & salutaris meus : susceptor meus, non movebor amplius.

3 Quousque irruitis in hominem ? Interficitis universi vos : tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ ?

4 Veruntamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti : ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.

5 Veruntamen Deo subjecta esto anima mea : quoniam ab ipso patientia mea.

6 Quia ipse Deus meus & salvator meus : Deus meus, adjutor meus, non emigrabo.

7 In Deo salutare meum, & gloria mea : Deus auxilii mei, & spes mea in Deo est.

8 Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra : Deus adjutor noster in æternum.

9 Veruntamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris : ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.

10 Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere : divitiæ si affluant, nolite cor apponere.

11 Semel locutus est Deus, duo, hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia :

misericordia : quia tu reddes unicuique juxta opera sua.

Psal. *Lat.* 62. *Heb.* 63.

DEus Deus meus : ad te de luce vigilo.

2 Sitivit in te anima mea : quàm multipliciter tibi caro mea.

3 In terra deserta, invia, & inaquosa : sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam & gloriam tuam.

4 Quoniam melior est misericordia tua super vitas : labia mea laudabunt te.

5 Sic benedicam te in vita mea : & in nomine tuo levabo manus meas.

6 Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea : & labiis exultationis laudabit os meum.

7 Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te ; quia fuisti adjutor meus.

8 Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te : me suscepit dextera tua.

9 Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ : tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

10 Rex verò lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui jurant in eo : quia obstructum est os loquentium iniqua.

Psal. *Lat.* 63. *Heb.* 64.

EXaudi Deus orationem meam cum deprecor : à timore inimici eripe animam meam.

2 Protexisti me à conventu malignantium : à multitudine operantium iniquitatem.

3 Quia exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram : ut sagittent in occultis immaculatum.

4 Subito sagittabunt eum, & non timebunt : firmaverunt sibi sermonem nequam.

5 Narraverunt ut absconderent laqueos : dixerunt, Quis videbit eos ?

6 Scrutati sunt iniquitates : defecerunt scrutantes scrutinio.

7 Accedet homo ad cor altum : & exaltabitur Deus.

8 Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum : & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.

9 Conturbati sunt omnes qui videbant eos : & timuit omnis homo.

10 Et annunciaverunt opera Dei : & facta ejus intellexerunt.

11 Lætabitur justus in Domino, & sperabit in eo : & laudabuntur omnes recti corde.

VESPERT.

Psal. *Lat.* 64. *Heb.* 65.

TE decet hymnus Deus in Sion : & tibi reddetur votum in Jerusalem.

2 Exaudi orationem meam : ad te omnis caro veniet.

3 Verba iniquorum prævaluerunt super nos : & impietatibus nostris tu propitiaberis.

4 Beatus

4 Beatus quem elegisti & assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.

5 Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

6 Exaudi nos Deus salutaris noster: spes omnium finium terræ, & in mari longé.

7 Præparans montes in virtute tua, accinctus potentiâ: qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

8 Turbabuntur gentes, & timebunt qui habitant terminos à signis tuis: exitus matutini & vespere delectabis.

9 Visitâsti terram & inebriâsti eam: multiplicâsti locupletare eam.

10 Flumen Dei repletum est aquis, parâsti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus.

11 Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus: in stillicidiis ejus lætabitur germinans.

12 Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur ubertate.

13 Pingueſcent speciosa deserti: & exultatione colles accingentur.

14 Induti sunt arietes ovium, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.

Psal. *Lat.* 65, *Heb.* 66.

JUbilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomine ejus: date gloriam laudi ejus.

2 Dicite Deo, Quàm terribilia sunt opera tua Domine? In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

3 Omnis terra adoret te, & psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo.

4 Venite & videte opera Dei: terribilis in consiliis super filios hominum.

5 Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: ibi lætabimur in ipso.

6 Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi ejus super gentes respiciunt: qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.

7 Benedicite gentes Deum nostrum: & auditam facite vocem laudis ejus.

8 Qui posuit animam meam ad vitam: & non dedit in commotionem pedes meos.

9 Quoniam probâsti nos Deus: igne nos examinâsti, sicut examinatur argentum.

10 Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra.

11 Transivimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium.

12 Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.

13 Et locutum est os meum: in tribulatione mea.

14 Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum offeram tibi boves cum hircis.

15 Venite, audite, & narrabo omnes qui timetis Deum: quanta fecit animæ meæ.

16 Ad ipsum ore meo clamavi: & exaltavi sub lingua mea.

17 Iniquitatem si aspexi in corde meo: non exaudiet Dominus.

18 Propterea exaudivit Deus : & attendit voci deprecationis meæ.

19 Benedictus Deus : qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam à me.

Psal. *Lat.* 66. *Heb.* 67.

DEus misereatur nostri, & benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos & misereatur nostri.

2 Ut cognoscamus in terra viam tuam : in omnibus gentibus salutare tuum.

3 Confiteantur tibi populi Deus : confiteantur tibi populi omnes.

4 Lætentur & exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

5 Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes : terra dedit fructum suum.

6 Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus : & metuant eum omnes fines terræ.

MATUT.

Psal. *Lat.* 67. *Heb.* 68.

EXurgat Deus, & dissipentur inimici ejus : & fugiant qui oderunt eum a facie ejus.

2 Sicut deficit fumus deficiant : sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.

3 Et justi epulentur & exultent in conspectu Dei : & delectentur in lætitiâ.

4 Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus : iter facite ei qui ascendit super occasum ; Dominus nomen illi.

5 Exultate in conspectu ejus : turbabuntur à facie ejus patris orphanorum, & judicis viduarum.

6 Deus in loco sancto suo : Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.

7 Qui educit vinctos in fortitudine : similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.

8 Deus cum egredereris in conspectu populi tui : cum pertransires in deserto.

9 Terra mota est, etenim cœli distillaverunt à facie Dei Sinai : à facie Dei Israel.

10 Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ : & infirmata est, tu verò perfecisti eam.

11 Animalia tua habitabunt in ea : parâsti in dulcedine tua pauperi Deus.

12 Dominus dabit verbum evangelizantibus : virtute multâ.

13 Rex virtutum dilecti dilecti : & speciei domus dividere spolia.

14 Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ : & posteriora dorsi ejus in pallore auri.

15 Dum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon : mons Dei mons pinguis.

16 Mons coagulatus, mons pinguis : ut quid suspicamini montes coagulatos.

17 Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo : etenim Dominus habitabit in finem.

18 Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium :

tium: Dominus in eis in Sinai in ſancto.

19 Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem: accepiſti dona in hominibus.

20 Etenim non credentes: inhabitare Dominum Deum.

21 Benedictus Dominus die quotidie: proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum.

22 Deus noſter, Deus ſalvos faciendi: Domini Domini exitus mortis.

23 Veruntamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum: verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.

24 Dixit Dominus: Ex Baſan convertam, convertam in profundum maris.

25 Ut intingatur pes tuus in ſanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.

26 Viderunt ingreſſus tuos Deus, ingreſſus Dei mei: regis mei qui eſt in ſancto.

27 Prævenerunt principes conjuncti pſallentibus: in medio juvencularum tympaniſtriarum.

28 In Eccleſiis benedicite Deo Domino: de fontibus Iſrael.

29 Ibi Benjamin adoleſcentulus: in mentis exceſſu.

30 Principes Juda Deus eorum: principes Zabulon, & principes Nepthalim.

31 Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

32 A templo tuo in Jeruſalem: tibi offerent reges munera.

33 Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos qui probati ſunt argento.

34 Diſſipa gentes quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

35 Regna terræ cantate Deo: pſallite Domino.

36 Pſallite qui aſcendit ſuper cœlum cœli: ad orientem.

37 Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, date gloriam Deo ſuper Iſrael: magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus.

38 Mirabilis Deus in ſanctis ſuis: ejus Deo ſuper Iſrael, ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ: benedictus Deus.

VESPERT.

Pſal. *Lat.* 68. *Heb.* 69.

SAlvum me fac Deus: quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam.

2 Infixus ſum in limo profundi: & non eſt ſubſtantia.

3 Veni in altitudinem maris: & tempeſtas demerſit me.

4 Laboravi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum.

5 Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei: qui oderunt me gratis.

6 Confortati ſunt qui perſecuti ſunt me inimici mei injuſte: quæ non rapui, tunc exolvebam.

7 Deus tu ſcis inſipientiam meam: & delicta mea a te non ſunt abſcondita.

8 Non erubeſcant in me: qui expectant te Domine, Domine virtutum.

9 Non

9 Non confundantur super me qui quærunt te: Deus Israel.

10 Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam.

11 Extraneus factus sum fratribus meis: & peregrinus filiis matris meæ.

12 Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me.

13 Et operui in jejunio animam meam: & factum est in opprobrium mihi.

14 Et posui vestimentum meum cilicium: & factus sum illis in parabolam.

15 Adversum me loquebantur qui sedebant in porta: & in me psallebant qui bibebant vinum.

16 Ego vero orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus.

17 In multitudine misericordiæ tuæ, exaudi me: in veritate salutis tuæ.

18 Eripe me de luto ut non infigar: libera me ab his qui oderunt me: & de profundis aquarum.

19 Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum: neque urgeat super me puteus os suum.

20 Exaudi me Domine quoniam benigna est misericordia tua: secundùm multitudinem miserationum tuarum respice in me.

21 Et ne avertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me.

22 Intende animæ meæ & libera eam: propter inimicos meos eripe me.

23 Tu scis improperium meum: & confusionem meam, & reverentiam meam.

24 In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me: improperium expectavit cor meum & miseriam.

25 Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inveni.

26 Et dederunt in escam meam fel: & in siti mea potaverunt me aceto.

27 Fiat mensa eorum, coram ipsis in laqueum: & in retributiones, & in scandalum.

28 Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum semper incurva.

29 Effunde super eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos.

30 Fiat habitatio eorum deserta: & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

31 Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

32 Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: & non intrent in justitiam tuam.

33 Deleantur de libro viventium: & cum justis non scribantur.

34 Ego sum pauper & dolens: salus tua Deus susceptit me.

35 Laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude.

36 Et placebit Deo super vitulum novellum: cornua producentem & ungulas.

37 Videant pauperes & lætentur: quærite Deum, & vivet anima vestra.

38 Quoniam exaudivit pauperes Dominus: & vinctus suos non despexit.

39 Laudent illum cœli & terra: mare & omnia reptilia in eis.

40 Quo-

40 Quoniam Deus ſalvam faciet Sion: & ædificabuntur civitates Judæ.

41 Et inhabitabunt ibi: & hæreditate acquirent eam.

42 Et ſemen ſervorum ejus poſſidebit eam: & qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea.

Pſal. *Lat.* 69. *Heb.* 70.

DEus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina.

2 Confundantur & reverentur: qui quærunt animam meam.

3 Avertantur retrorſum & erubeſcant: qui volunt mihi, mala.

4 Avertantur ſtatim erubeſcentes: qui dicunt mihi, Euge, euge.

5 Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te, & dicant ſemper: Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

6 Ego verò egenus & pauper ſum: Deus adjuva me.

7 Adjutor meus & liberator meus es tu: Domine ne moreris.

MATUTINUM.

Pſal. *Lat.* 70. *Heb.* 71.

IN te Domine ſperavi, non confundar in æternum: in juſtitia tua libera me, & eripe me.

2 Inclina ad me aurem tuam: & ſalva me.

3 Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum: ut ſalvum me facias.

4 Quoniam firmamentum meum: & refugium meum es tu.

5 Deus meus eripe me de manu peccatoris: & de manu contra legem agentis & iniqui.

6 Quoniam tu es patientia mea Domine: Domine ſpes mea à juventute mea.

7 In te confirmatus ſum ex utero: & de ventre matris meæ tu es protector meus.

8 In te cantatio mea ſemper: tanquam prodigium factus ſum multis, & tu adjutor fortis.

9 Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam: totâ die magnitudinem tuam.

10 Ne projicias me in tempore ſenectutis: cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

11 Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in unum.

12 Dicentes, Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum: quia non eſt qui eripiat.

13 Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum reſpice.

14 Confundantur & deficiant detrahentes animæ meæ: operiantur confuſione & pudore, qui quærunt mala mihi.

15 Ego autem ſemper ſperabo: & adjiciam ſuper omnem laudem tuam.

16 Os meum annunciabit juſtitiam tuam: totâ die ſalutare tuum.

17 Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentiam Domini: Domine memorabor juſtitiæ tuæ ſolius.

18 Deus docuiſti me à juventute mea: & uſque nunc pronunciabo mirabilia tua.

19 Et uſque in ſenectam & ſenium Deus, ne derelinquas me.

20 Donec

20 Donec annunciem brachium tuum: generationi omni quæ ventura est.

21 Potentiam tuam & justitiam tuam Deus usque in altissima quæ fecisti magnalia: Deus quis similis tibi?

22 Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas? Et conversus vivificâsti me: & de abyssis terræ iterum reduxisti me.

23 Multiplicâsti magnificentiam tuam: & conversus consolatus es me.

24 Nam & ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam Deus: psallam tibi in cithara sanctus Israel.

25 Exultabunt labia mea cùm cantavero tibi: & anima mea quam redemisti.

26 Sed & lingua mea totâ die meditabitur justitiam tuam: cùm confusi & reveriti fuerint qui quærunt mala mihi.

Psal. *Lat.* 71. *Heb.* 72.

DEus judicium tuum regi da: & justitiam tuam filio regis.

2 Judicare populum tuum in justitia: & pauperes tuos in judicio.

3 Suscipiant montes pacem populo: & colles justitiam.

4 Judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem.

5 Et permanebit cum sole & ante lunam: in generatione & generationem.

6 Descendet sicut pluvia in vellus: & sicut stillicidia stillantia super terram.

7 Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis: donec auferatur luna.

8 Et dominabitur à mari usque ad mare: & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.

9 Coram illo procident Æthiopes: & inimici ejus terram lingent.

10 Reges Tharsis & insulæ munera offerent: reges Arabum & Saba dona adducent.

11 Et adorabunt eum omnes reges: omnes gentes servient ei.

12 Quia liberabit pauperem à potente: & pauperem cui non erat adjutor.

13 Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum salvas faciet.

14 Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum coram illo.

15 Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper: totâ die benedicent ei.

16 Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus: & florebunt de civitate sicut fœnum terræ.

17 Sit nomen ejus benedictum in sæcula: ante solem permanet nomen ejus.

18 Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.

19 Benedictus Dominus Deus Israel: qui facit mirabilia solus.

20 Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum: & replebitur majestate ejus omnis terra: fiat, fiat.

VESPERT.

Psal. *Lat.* 72. *Heb.* 73.

QUam bonus Israel Deus his: qui recto sunt corde!

2 Mei autem penè moti sunt pedes: penè effusi sunt gressus mei.

3 Quia zelavi super iniquos: pacem peccatorum videns.

4 Quia non est respectus morti eorum: & firmamentum in plaga eorum.

5 In labore hominum non sunt: & cum hominibus non flagellabuntur.

6 Ideò tenuit eos superbia: operti sunt iniquitate & impietate suâ.

7 Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis.

8 Cogitaverunt & locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt.

9 Posuerunt in cœlum os suum: & lingua eorum transivit in terra.

10 Ideo convertetur populus meus hic: & dies pleni invenientur in eis.

11 Et dixerunt, Quomodo scit Deus: & si est scientia in excelso?

12 Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo: obtinuerunt divitias.

13 Et dixi, Ergo sine causa justificavi cor meum: & lavi inter innocentes manus meas.

14 Et fui flagellatus totâ die: & castigatio mea in maturinis.

15 Si dicebam: Narrabo sic: ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.

16 Existimabam ut cognoscerem hoc: labor est ante me.

17 Donec intrem in sanctuarium Dei: & intelligam in novissimis eorum.

18 Veruntamen propter dolos posuisti eis: dejecisti eos dum allevarentur.

19 Quomodo facti sunt in desolationem, subitò defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam.

20 Velut somnium surgentium Domine in civitate tua: imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

21 Quia inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt: & ego ad nihilum redactus sum, & nescivi.

22 Ut jumentum factus sum apud te: & ego semper tecum.

23 Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me: & cum gloria suscepisti me.

24 Quid enim mihi est in cœlo: & à te quid volui super terram?

25 Defecit caro mea & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

26 Quia ecce qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te.

27 Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam.

28 Ut annunciem omnes prædicationes tuas: in portis filiæ Sion.

Psal. *Lat.* 73. *Heb.* 74.

UT quid Deus repulisti in finem: iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ.

2 Memor esto congregationis

nis tuæ : quam possedisti ab initio.

3 Redemisti virgam hæreditatis tuæ : mons Sion in quo habitâsti in eo.

4 Leva manus tuas in superbias eorum in finem : quanta malignatus est inimicus in sancto !

5 Et gloriati sunt qui oderunt te : in medio solennitatis tuæ.

6 Posuerunt signa sua, signa : & non cognoverunt sicut in exitu super summum.

7 Quasi in sylva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum : in securi & ascia dejecerunt eam.

8 Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra : polluerunt tabernaculum nominis tui.

9 Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul : Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.

10 Signa nostra non vidimus, jam non est Propheta : & nos non cognoscet amplius.

11 Usquequò Deus improperabit inimicus : irritat adversarius nomen tuum in finem ?

12 Ut quid avertis manum tuam & dexteram tuam : de medio sinu tuo in finem ?

13 Deus autem rex noster : ante sæcula operatus est salutem in medio terræ.

14 Tu confirmâsti in virtute tua mare : contribulâsti capita draconum in aquis.

15 Tu confregisti capita draconis : dedisti eum escam populi Æthiopum.

16 Tu dirupisti fontes & torrentes : tu siccâsti fluvios Ethan.

17 Tuus est dies & tua est nox : tu fabricatus es auroram & solem.

18 Tu fecisti omnes terminos terræ : æstatem & ver tu plasmâsti ea.

19 Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino : & populus insipiens incitavit nomen tuum.

20 Ne tradas bestiis animas confitentes tibi : & animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

21 Respice in testamentum tuum : quia repleti sunt qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.

22 Ne avertatur humilis factus confusus : pauper & inops laudabunt nomen tuum.

23 Exurge Deus, judica causam tuam : memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt totâ die.

24 Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum : superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

MATUT.

Psal. *Lat.* 74. *Heb.* 75.

COnfitebimur tibi Deus : confitebimur, & invocabimus nomen tuum.

2 Narrabimus mirabilia tua : cum accepero tempus, ego justitias judicabo.

3 Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea : ego confirmavi columnas ejus.

4 Dixi iniquis, Nolite inique agere : & delinquentibus, nolite exaltare cornu.

5 Nolite extollere in altum cornu vestrum : nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

6 Quia neque ab oriente neque ab occidente, neque a deser-

desertis montibus : quoniam Deus judex est.

7 Hunc humiliat, & hunc exaltat : quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto.

8 Et inclinavit ex hoc in hoc ; veruntamen fæx ejus non est exinanita : bibent omnes peccatores terræ.

9 Ego autem annunciabo in sæculum : cantabo Deo Jacob.

10 Et omnia cornua peccatorum confringam : & exaltabuntur cornua justi.

Psal. *Lat.* 75. *Heb.* 76.

NOtus in Judæa Deus : in Israel magnum nomen ejus.

2 Et factus est in pace locus ejus : & habitatio ejus in Sion.

3 Ibi confregit potentias arcuum : scutum, gladium & bellum.

4 Illuminas tu mirabiliter à montibus æternis : turbati sunt omnes insipientes corde.

5 Dormierunt somnum suum : & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

6 Ab increpatione tua Deus Jacob : dormitaverunt qui ascenderunt equos.

7 Tu terribilis es, & quis resistet tibi : Ex tunc ira tua.

8 De cœlo auditum fecisti judicium : terra tremuit & quievit.

9 Cùm exurgeret in judicio Deus : ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.

10 Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi : & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.

11 Vovete, & reddite Domino Deo vestro : omnes qui in circuitu ejus affertis munera.

12 Terribili & ei qui aufert spiritum principum : terribili apud reges terræ.

Psal. *Lat.* 76. *Heb.* 77.

VOce meâ ad Dominum clamavi : voce meâ ad Deum, & intendit mihi.

2 In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum & non sum deceptus.

3 Renuit consolari anima mea, memor fui Dei & delectatus sum, & exercitatus sum : & defecit spiritus meus.

4 Anticipaverunt vigilias oculi mei : turbatus sum, & non sum loquutus.

5 Cogitavi dies antiquos : & annos æternos in mente habui.

6 Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar : & scopebam spiritum meum.

7 Nunquid in æternum projiciet Deus : aut non apponet ut complacitior sit adhuc ?

8 Aut in finem misericordiam suam abscindet : à generatione in generationem ?

9 Aut obliviscetur misereri Deus : Aut continebit in ira sua misericordias suas ?

10 Et dixi, Nunc cœpi : hæc mutatio dexteræ excelsi.

11 Memor fui operum Domini : quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.

12 Et meditabor in omnibus operibus tuis : & in adinventionibus tuis exercebor.

13 Deus in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster ? Tu es Deus qui facis mirabilia.

14 Notam fecisti in populis virtutem tuam : redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob & Joseph.

15 Vi-

15 Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt: & turbatæ sunt abyssi.

16 Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes.

17 Etenim sagittæ tuæ transeunt: vox tonitrui tui in rota.

18 Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ; commota est & contremuit terra.

19 In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia tua non cognoscentur.

20 Deduxisti sicut oves populum tuum: in manu Moysi & Aaron.

VESPERT.

Psal. *Lat.* 77. *Heb.* 78.

ATtendite populе meus legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.

2 Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio.

3 Quanta audivimus & cognovimus ea, & patres nostri narraverunt nobis.

4 Non sunt occultata à filiis eorum in generatione altera.

5 Narrantes laudes Domini & virtutes ejus & mirabilia ejus quæ fecit.

6 Et suscitavit testimonium in Jacob: & legem posuit in Israel.

7 Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis: ut cognoscat generatio altera.

8 Filii qui nascentur & exurgent: & narrabunt filiis suis.

9 Ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur operum Dei: & mandata ejus exquirant.

10 Ne fiant sicut patres eorum: generatio prava & exasperans.

11 Generatio quæ non direxit cor suum: & non est creditus cum Deo spiritus ejus.

12 Filii Ephrem intendentes & mittentes arcum: conversi sunt in die belli.

13 Non custodierunt testamentum Dei: & in lege ejus noluerunt ambulare.

14 Et obliti sunt beneficiorum ejus: & mirabilium ejus quæ ostendit eis.

15 Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti: in campo Taneos.

16 Interrupit mare & perduxit eos: & statuit aquas quasi in utre.

17 Et deduxit eos in nube diei: & totâ nocte in illuminatione ignis.

18 Interrupit petram in eremo: & adaquavit eos velut in abyssio multa.

19 Et eduxit aquam de petra: & deduxit tanquam flumina aquas.

20 Et apposuerunt adhuc peccare ei: in iram concitaverunt excelsum in inaquoso.

21 Et tentaverunt Deum in cordibus suis: ut peterent escas animabus suis.

22 Et malè loquuti sunt de Deo: dixerunt, Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?

23 Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ: & torrentes inundaverunt.

24 Nunquid & panem poterit dare: aut parare mensam populo suo?

25 Ideò audivit Dominus, &

& distulit, & ignis accensus est in Jacob: & ira ascendit in Israel.

26 Quia non crediderunt in Deo: nec speraverunt in salutari ejus.

27 Et mandavit nubibus desuper: & januas cœli aperuit.

28 Et pluit illis Manna ad manducandum: & panem cœli dedit eis.

29 Panem Angelorum manducavit homo: cibaria misit eis in abundantia.

30 Transtulit austrum de cœlo: & induxit in virtute sua Africum.

31 Et pluit super eos sicut pulverem carnes: & sicut arenam maris volatilia pennata.

32 Et ciciderunt in medio castrorum eorum: circa tabernacula eorum.

33 Et manducaverunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati à desiderio suo.

34 Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum: & ira Dei ascendit super eos.

35 Et occidit pingues eorum: & electos Israel impedivit.

36 In omnibus his peccaverunt adhuc: & non crediderunt in mirabilibus ejus.

37 Et defecerunt in vanitate dies eorum: & anni eorum cum festinatione.

38 Cùm occideret eos quærebant eum: & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.

39 Et rememorati sunt quia Deus adjutor est eorum: & Deus excelsus redemptor eorum est.

40 Et dilexerunt eum in ore suo: & linguâ suâ mentiti sunt ei.

41 Cor autem eorum non erat rectum cum eo: nec fideles habiti sunt in testamento ejus.

42 Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum: & non disperdet eos.

43 Et abundavit ut averteret iram suam: & non accendit omnem iram suam.

44 Et recordatus est quia caro sunt: spiritus vadens & non rediens.

45 Quoties exacerbaverunt eum in deserto: in iram concitaverunt eum in inaquoso?

46 Et conversi sunt, & tentaverunt Deum: & sanctum Israel exacerbaverunt.

47 Non sunt recordati manus ejus: die quâ redemit eos de manu tribulantis.

48 Sicut posuit in Ægypto signa sua: & prodigia sua in campo Taneos.

49 Et convertit in sanguinem flumina eorum: & imbres eorum ne biberent.

50 Misit in eos cœnomyiam, & comedit eos: & ranam, & disperdidit eos.

51 Et dedit ærugini fructus eorum: & labores eorum locustæ.

52 Et occidit in grandine vineas eorum: & moros eorum in pruina.

53 Et tradidit grandini jumenta eorum: & possessionem eorum regni.

54 Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem: immissiones per angelos malos.

55 Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit à morte animabus eorum: & jumenta eorum in morte conclusit.

56 Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti: primitias

mitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.

57 Et abstulit sicut oves populum suum : & perduxit eos tanquam gregem in deserto.

58 Et deduxit eos in spe, & non timuerunt : & inimicos eorum operuit mare.

59 Et induxit eos in montem sanctificationis suæ ? montem quem acquisivit dextera ejus.

60 Et ejecit à facie eorum gentes : & sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.

61 Et habitare fecit in tabernaculis eorum : tribus Israel.

62 Et tentaverunt, & exacerbaverunt Deum excelsum : & testimonia ejus non custodierunt.

63 Et averterunt se, & non servaverunt pactum : quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum pravum.

64 In iram concitaverunt eum in collibus suis : & in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.

65 Audivit Deus & sprevit : & ad nihilum redegit valde Israel.

66 Et repulit tabernaculum Silo : tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus.

67 Et tradidit in captivitatem virtutem eorum : pulchritudinem eorum in manus inimici.

68 Et conclusit in gladio populum suum : & hæreditatem suam sprevit.

69 Juvenes eorum comedit ignis : & virgines eorum non sunt lamentatæ.

70 Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt : & viduæ eorum non plorabantur.

71 Et excitatus est tanquam dormiens Dominus ; tanquam potens crapulatus à vino.

72 Et percussit inimicos suos in posteriora : opprobrium sempiternum dedit illis.

73 Et repulit tabernaculum Joseph : & tribum Ephraim non elegit.

74 Sed elegit tribum Judæ : montem Sion quem dilexit.

75 Et Edificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra : quam fundavit in sæcula.

76 Et elegit David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium : de post fœtantes accepit eum.

77 Pascere Jacob servum suum : & Israel hæreditatem suam.

78 Et pavit eos in innocentia cordis sui : & intellectibus manuum suarum deduxit eos.

MATUT.

Psal. *Lat.* 78. *Heb.* 79.

DEus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum : posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.

2 Posuerunt morticinia servorum tuorum escas volatilibus cœli : carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.

3 Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Jerusalem : & non erat qui sepeliret.

4 Facti sumus opprobrium vicinis nostris : subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt.

5 Usquequò Domine irascēris in finem : accendetur velut ignis zelus tuus ?

6 Effunde iram tuam in gentes

es quæ te non noverunt: in regna quæ nomen tuum non invocaverunt.

7 Quia comederunt Jacob: & locum ejus desolaverunt.

8 Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

9 Adjuva nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

10 Ne fortè dicant in gentibus, Ubi est Deus eorum? & innotescat in nationibus coram oculis nostris.

11 Ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est: introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

12 Secundum magnitudinem brachii tui: possside filios mortificatorum.

13 Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: improperium ipsorum quod exprobraverunt tibi Domine.

14 Nos autem populus tuus, & oves pascuæ tuæ confitebimur tibi in sæculum: in generationem & generationem annunciabimus laudem tuam.

Psal. *Lat.* 79. *Heb.* 80.

QUI regis Israel intende: qui deducis velut ovem Joseph.

2 Qui sedes super Cherubim: manifestare coram Ephraim: Benjamin & Manasse.

3 Excita potentiam tuam, & veni: ut salvos facias nos.

4 Deus converte nos, & ostende faciem tuam: & salvi erimus.

5 Domine Deus virtutum; quousque irascéris super orationem servi tui?

6 Cibabis nos pane lachrymarum: & potum dabis nobis in lachrymis in mensura.

7 Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris: & inimici nostri subsannaverunt nos.

8 Deus virtutum converte nos: & ostende faciem tuam, & salvi erimus.

9 Vineam de Ægypto transtulisti: ejecisti gentes, & plantâsti eam.

10 Dux itineris fuisti in conspectu ejus: & plantâsti radices ejus, & implevit terram.

11 Operuit montes umbra ejus: & arbusta ejus cedros Dei.

12 Extendit palmites suos usque ad mare: & usque ad flumen propagines ejus.

13 Ut quid destruxisti maceriam ejus: & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam?

14 Exterminavit eam aper de sylva: & singularis ferus depastus est eam.

15 Deus virtutum convertere: respice de cœlo, & vide, & visita vineam istam.

16 Et perfice eam quam plantavit dextera tua: & super filium hominis quem confirmâsti tibi.

17 Incensa igni & suffossa: ab increpatione vultus tui peribunt.

18 Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ: & super filium hominis, quem confirmâsti tibi.

19 Et non discedimus à te, vivificabis nos: & nomen tuum invocabimus.

20 Domine Deus virtutum converte nos: & ostende faciem tuam, & salvi erimus.

Psal.

Psal. *Lat.* 80. *Heb.* 81.

EXultate Deo adjutori nostro: jubilate Deo Jacob.

2 Sumite psalmum, & date tympanum: psalterium jucundum cum cythara.

3 Buccinate in neomenia tubâ: ad insigni die solennitatis vestræ.

4 Quia præceptum in Israel est: & judicium Deo Jacob.

5 Testimonium in Joseph posuit illud: cum exiret de terra Ægypti, linguam quam non noverat audivit.

6 Divertit ab oneribus dorsum ejus: manus ejus in cophino servierunt.

7 In tribulatione invocâsti me, & liberavi te, & exaudivi te in absondito tempestatis: probavi te apud aquam contradictionis.

8 Audi populus meus, & contestabor te: Israel si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.

9 Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: dilata os tuum, & implebo illud.

10 Et non audivit populus meus vocem meam: & Israel non intendit mihi.

11 Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis.

12 Si populus meus audisset me: Israel si in viis meis ambulâsset.

13 Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliâssem: & super tribulantes eos misissem manum meam.

14 Inimici Domini mentiti sunt ei: & erit tempus eorum in sæcula.

15 Et cibavit eos ex adipe frumenti: & de petra melle saturavit eos.

VESPERT.

Psal. *Lat.* 81. *Heb.* 82.

DEus stetit in Synagoga deorum: in medio autem deos dijudicat.

2 Usquequo judicatis iniquitatem: & facies peccatorum sumitis?

3 Judicate egeno & pupillo: humilem & pauperem justificate.

4 Eripite pauperem: & egenum de manu peccatoris liberate.

5 Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terræ.

6 Ego dixi, Dii estis: & filii Excelsi omnes.

7 Vos autem sicut homines moriemini: & sicut unus de principibus cadetis.

8 Surge Deus, judica terram: quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.

Psal. *Lat.* 82. *Heb.* 83.

DEus quis similis erit tibi? Ne taceas, neque compescaris Deus.

2 Quoniam ecce inimici tui sonuerunt: & qui oderunt te, extulerunt caput.

3 Super populum tuum malignaverunt consilium: & cogitaverunt adversus sanctos tuos.

4 Dixerunt, Venite, & disperdamus eos de gente: & non memoretur nomen Israel ultra.

5 Quo-

5 Quoniam cogitaverunt unanimiter: simul adversus te testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum & Ismaelitæ.

6 Moab, & Agareni, Gebal & Ammon & Amaleeh: alienigenæ cum habitantibus Tyrum.

7 Etenim Assur venit cum illis: facti sunt in adjutorium filiis Loth.

8 Fac illis sicut Madian & Sisare: sicut Jabin in torrente Cison.

9 Disperierunt in Endor: facti sunt ut stercus terræ.

10 Pone principes eorum sicut Oreb & Zeb: & Zebee & Salmana.

11 Omnes principes eorum qui dixerunt: Hæreditate possideamus sanctuarium Dei.

12 Deus meus pone illos ut rotam: & sicut stipulam ante faciem venti.

13 Sicut ignis qui comburit sylvam: & sicut flamma comburens montes.

14 Ita persequeris illos in tempestate tua: & in ira tua turbabis eos.

15 Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum Domine.

16 Erubescant, & conturbentur in sæculum sæculi: & confundantur, & pereant.

17 Et cognoscent quia nomen tibi Dominus: tu solus altissimus in omni terra.

Psal. *Lat.* 83. *Heb.* 84.

QUam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.

2 Cor meum & caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

3 Etenim passer invenit sibi domum: & turtur nidum sibi, ubi reponat pullos suos.

4 Altaria tua Domine virtutum: Rex meus & Deus meus.

5 Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.

6 Beatus vir, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum: in loco quem posuit.

7 Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.

8 Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Jacob.

9 Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui.

10 Quia melior est dies una in atriis tuis: super millia.

11 Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

12 Quia misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.

13 Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum beatus homo qui sperat in te.

Psal. *Lat.* 84. *Heb.* 85.

BEnedixisti Domine terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

2 Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.

3 Mitigâsti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuæ.

4 Converte nos Deus salutaris noster: & averte iram tuam à nobis.

5 Nunquid in æternum irascêris nobis: aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

6 Deus tu conversus vivificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.

7 Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis.

8 Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

9 Et super sanctos suos: & in eos qui convertuntur ad cor.

10 Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

11 Misericordia & veritas obviaverunt sibi: justitia & pax osculatæ sunt.

12 Veritas de terra orta est: & justitia de cœlo prospexit.

13 Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum.

14 Justitia ante eum ambulabit: & ponet in via gressus suos.

MATUT.

Psal. *Lat.* 85. *Heb.* 86.

INclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper sum ego.

2 Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum Deus meus sperantem in te.

3 Miserere mei Domine quoniam ad te clamavi totâ die: lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

4 Quoniam tu Domine suavis & mitis: & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

5 Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.

6 In die tribulationis meæ clamavi ad te: quia exaudisti me.

7 Non est similis tui in diis Domine: & non est secundùm opera tua.

8 Omnes gentes quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

9 Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.

10 Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

11 Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.

12 Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

13 Deus, iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo.

14 Et tu Domine Deus meus miserator & misericors: patiens & multæ misericordiæ, & verax.

15 Respice in me, & miserere

rere mei: da imperium tuum puero tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ.

16 Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me.

Psal. *Lat.* 86. *Heb.* 87.

FUndamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

2 Gloriosa dicta sunt de te: civitas Dei.

3 Memor ero Raab: & Babylonis scientium me.

4 Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum: hi fuerunt illic.

5 Nunquid Sion dicet, Homo, & homo natus est in ea: & ipse fundavit eam Altissimus?

6 Dominus narrabit in scripturis populorum: & principum horum qui fuerunt in ea.

7 Sicut lætantium omnium: habitatio est in te.

Psal. *Lat.* 87. *Heb.* 88.

DOmine Deus salutis meæ: in die clamavi, & nocte coram te.

2 Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam.

3 Quia repleta est malis anima mea: & vita mea inferno appropinquavit.

4 Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

5 Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: & ipsi de manu tua repulsi sunt.

6 Posuerunt me in lacu inferiori: in tenebrosis, & in umbra mortis.

7 Super me confirmatus est furor tuus: & omnes fluctus tuos induxisti super me.

8 Longè fecisti notos meos à me: posuerunt me abominationem sibi.

9 Traditus sum, & non egrediebar: oculi mei languerunt præ inopia.

10 Clamavi ad te Domine: totâ die expandi ad te manus meas.

11 Nunquid mortuis facies mirabilia: aut medici susci tabunt, & confitebuntur tibi?

12 Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam: & veritatem tuam in perditione?

13 Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: & justitia tua in terra oblivionis?

14 Et ego ad te Domine clamavi: & mane oratio mea præveniet te.

15 Ut quid Domine repellis orationem meam: avertis faciem tuam à me?

16 Pauper sum ego & in laboribus a juventute mea: exaltatus autem, humiliatus sum & conturbatus.

17 In me transierunt iræ tuæ: & terrores tui conturbaverunt me.

18 Circundederunt me sicut aqua: totâ die circundederunt me simul.

19 Elongâsti à me amicum & proximum: & notos meos à miseria.

VESPERT.

Psal. *Lat.* 88. *Heb.* 89.

MIsericordias Domini: in æternum cantabo.

2 In generationem & generationem: annunciabo veritatem tuam in ore meo.

3 Quoniam dixisti, In æternum misericordia ædificabitur in cœlis: præparabitur veritas tua in eis.

4 Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo: Usque in æternum præparabo semen tuum.

5 Et ædificabo in generationem: & generationem sedem tuam.

6 Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine: etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum.

7 Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? Similis erit Deo in filiis Dei?

8 Deus qui glorificatur in concilio sanctorum: magnus & terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt.

9 Domine Deus virtutum, quis similis tibi? Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.

10 Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum ejus tu mitigas.

11 Tu humiliâsti sicut vulneratum superbum: in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.

12 Tui sunt cœli. & tua est terra, orbem terræ, & plenitudinem ejus tu fundâsti: Aquilonem & mare tu creâsti.

13 Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia.

14 Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua: justitia & judicium præparatio sedis tuæ.

15 Misericordia & veritas præcedent faciem tuam: beatus populus qui scit jubilationem.

16 Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt totâ die: & in justitia tua exaltabuntur.

17 Quoniam gloria virtutis eorum tu es: & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

18 Quia Domini est assumptio nostra: & sancti Israel regis nostri.

19 Tunc locutus es in visione sanctis tuis & dixisti: Posui adjutorium in potente, & exaltavi electum de plebe mea.

20 Inveni David servum meum: oleo sancto meo unxi eum.

21 Manus enim mea auxiliabitur ei: & brachium meum confortabit eum.

22 Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non apponet nocere ei.

23 Et concidam à facie ipsius inimicos ejus: & odientes eum in fugam convertam.

24 Et veritas mea & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

25 Et ponam in mare manum ejus: & in fluminibus dexteram ejus.

26 Ipse invocabit me: Pater meus es tu, Deus meus, & susceptor salutis meæ.

27 Et ego primogenitum ponam illum: excelsum præ regibus terræ.

28 In

28 In æternum servabo illi misericordiam meam: & testamentum meum fidele ipsi.

29 Et ponam in sæculum sæculi semen ejus: & thronum ejus sicut dies cœli.

30 Si autem dereliquerint filii ejus legem meam: & in judiciis meis non ambulaverint:

31 Si justitias meas prophanaverint: & mandata mea non custodierint.

32 Visitabo in virga iniquitates eorum: & in verberibus peccata eorum.

33 Misericordiam autem meam non dispergam ab eo: neque nocebo in veritate mea.

34 Neque prophanabo testamentum meum: & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.

35 Semel juravi in sancto meo, si David mentiar: semen ejus in æternum manebit.

36 Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum: & testis in cœlo fidelis.

37 Tu verò repulisti & despexisti: distulisti Christum tuum.

38 Evertisti testamentum servi tui: prophanâsti in terra sanctuarium ejus.

39 Destruxisti omnes sepes ejus: posuisti firmamentum ejus formidinem.

40 Diripuerunt eum omnes transeuntes viam: factus est opprobrium vicinis suis.

41 Exaltasti dexteram deprimentium eum: lætificâsti omnes inimicos ejus.

42 Avertisti adjutorium gladii ejus: & non es auxiliatus ei in bello.

43 Destruxisti eum ab emundatione: & sedem ejus in terram collisisti.

44 Minorâsti dies temporis ejus: perfudisti eum confusione.

45 Usquequò Domine avertis in finem: exardescet sicut ignis ira tua?

46 Memorare quæ mea substantia: nunquid enim vanè constituisti omnes filios hominum.

47 Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi?

48 Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine: sicut jurâsti David in veritate tua?

49 Memor esto Domine opprobrii servorum tuorum: quod continui in sinu meo multarum gentium.

50 Quod exprobraverunt inimici tui Domine: quod exprobraverunt commutationem Christi tui.

51 Benedictus Dominus in æternum: fiat, fiat.

MATUT.

Psal. *Lat.* 89. *Heb.* 90.

DOmine, refugium factus es nobis: à generatione in generationem.

2 Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis: à sæculo & usque in sæculum tu es Deus.

3 Ne avertas hominem in humilitatem: & dixisti, Convertimini filii hominum.

4 Quoniam mille anni ante oculos tuos: tanquam dies hesterna quæ præteriit.

5 Et custodia in nocte: quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

6 Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat & tranſeat : veſpere decidat induret & arefcat.

7 Quia defecimus in ira tua : & in furore tuo turbati ſumus.

8 Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo : ſæculum noſtrum in illuminatione vultus tui.

9 Quoniam omnes dies noſtri defecerunt : & in ira tua defecimus.

10 Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur : dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta annis.

11 Si autem in potentatibus, octoginta anni : & amplius eorum, labor & dolor.

12 Quoniam ſupervenit manſuetudo, & corripiemur.

13 Quis novit poteſtatem iræ tuæ : & præ timore tuo iram tuam dinumerare.

14 Dexteram tuam ſic notam fac : & eruditos corde in ſapientia.

15 Convertere Domine uſquequò : Et deprecabilis eſto ſuper ſervos tuos.

16 Repleti ſumus manè miſericordiâ tuâ : & exultavimus & delectati ſumus omnibus diebus noſtris.

17 Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliâſti : annis quibus vidimus mala.

18 Reſpice in ſervos tuos, & in opera tua : & dirige filios eorum.

19 Et ſic ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, & opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos : & opus manuum noſtrarum dirige.

Pſal. *Lat.* 90. *Heb.* 91.

QUi habitat in adjutorio Altiſſimi : in protectione Dei cœli commorabitur.

2 Dicet Domino, Suſceptor meus es tu : & refugium meum Deus meus, ſperabo in eum.

3 Quoniam ipſe liberavit me de laqueo venantium : & à verbo aſpero.

4 Scapulis ſuis obumbrabit tibi : & ſub pennis ejus ſperabis.

5 Scuto circundabit te veritas ejus : non timebis à timore nocturno.

6 A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris : ab incurſu & dæmonio meridiano.

7 Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dexteris tuis : ad te autem non appropinquabit.

8 Veruntamen oculis tuis conſiderabis : & retributionem peccatorum videbis.

9 Quoniam tu es Domine ſpes mea : Altiſſimum poſuiſti refugium tuum.

10 Non accedet ad te malum : & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

11 Quoniam angelis ſuis mandavit de te : ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

12 In manibus portabunt te : ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

13 Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis : & conculcabis leonem & draconem.

14 Quoniam in me ſperavit, liberabo eum : protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

15 Clamabit ad me, & ego exau-

exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.

16 Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.

Psal. *Lat.* 91. *Heb.* 92.

BOnum est confiteri Domino: & psallere nomini tuo Altissime.

2 Ad annunciandum mane misericordiam tuam; & veritatem tuam per noctem.

3 In decachordo, psalterio: cum cantico, in cithara.

4 Quia delectâsti me Domine in factura tua: & in operibus manuum tuarum exultabo.

5 Quàm magnificata sunt opera tua Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

6 Vir insipiens non cognoscet: & stultus non intelliget hæc.

7 Cùm exorti fuerint peccatores sicut fœnum: & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem.

8 Ut intereant in sæculum sæculi: tu autem altissimus in æternum Domine.

9 Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt: & dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.

10 Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum: & senectus mea in misericordia uberi.

11 Et despexit oculos meus inimicos meos: & in insurgentibus in me malignantibus, audiet auris mea.

12 Justus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur.

13 Plantati in domo Domini: in atriis domus Dei nostri florebunt.

14 Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi: & bene patientes erunt ut annuncient.

15 Quoniam rectus Dominus Deus noster: & non est iniquitas in eo.

VESPERT.

Psal. *Lat.* 92. *Heb.* 93.

DOminus regnavit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.

2 Etenim firmavit orbem terræ: qui non commovebitur.

3 Parata sedes tua Deus extunc: à sæculo tu es.

4 Elevaverunt flumina Domine: elevaverunt flumina vocem suam.

5 Elevaverunt flumina fluctus suos: à vocibus aquarum multarum.

6 Mirabiles elationes maris: mirabilis in altis Dominus.

7 Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.

Psal. *Lat*, 93. *Heb.* 94.

DEus ultionum Dominus: Deus ultionum libere egit.

2 Exaltare qui judicas terram: redde retributionem superbis.

3 Usquequò peccatores Domine? Usquequò peccatores gloriabuntur?

4 Effabuntur, & loquentur iniquitatem: loquentur omnes qui operantur injustitiam.

5 Populum tuum Domine humiliaverunt: & hæreditatem tuam vexaverunt.

6 Viduam & advenam interfecerunt: & pupillos occiderunt.

7 Et dixerunt, non videbit Dominus: nec intelliget Deus Jacob.

8 Intelligite insipientes in populo: & stulti aliquando sapite.

9 Qui plantavit aurem, non audiet? Aut qui finxit oculum, non considerat?

10 Qui corripit gentes, non arguet? Qui docet hominem scientiam.

11 Dominus scit cogitationes hominum: quoniam vanæ sunt.

12 Beatus homo quem tu erudieris Domine: & de lege tua docueris eum.

13 Ut mitiges ei à diebus malis: donec fodiatur peccatori fovea.

14 Quia non repellit Dominus plebem suam: & hæreditatem suam non derelinquet.

15 Quoadusque justitia convertatur in judicium: & qui juxta illam, omnes qui rectò sunt corde.

16 Quis consurget mihi adversus malignantes? Aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?

17 Nisi quia Dominus adjuvit me: paulominus habitasset in inferno anima mea.

18 Si dicebam, Motus est pes meus: misericordia tua Domine adjuvabat me.

19 Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

20 Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis: qui fingis laborem in præcepto.

21 Captabunt in animam justi: & sanguinem innocentem condemnabunt.

22 Et factus est mihi Dominus in refugium: & Deus meus in adjutorium spei meæ.

23 Et reddet illis iniquitatem ipsorum & in malitia eorum disperdet eos, disperdet illos Dominus Deus noster.

MATUT.

Psal. *Lat.* 94. *Heb.* 95.

VEnite exultemus Domino jubilemus Deo: salutari nostro.

2 Præoccupemus faciem ejus in confessione: & in psalmis jubilemus ei.

3 Quoniam Deus magnus Dominus: & rex magnus super omnes deos.

4 Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ: & altitudines montium ipsius sunt.

5 Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud: & siccam manus ejus formaverunt.

6 Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum qui fecit nos: quia ipse est Dominus Deus noster.

7 Et nos populus pascuæ ejus: & oves manûs ejus.

8 Hodie si vocem ejus audieritis: nolite obdurare corda vestra.

9 Sicut in irritatione: secundum diem tentationis in deserto.

10 Ubi tentaverunt me patres vestri: probaverunt me, & viderunt opera mea.

11 Qua-

11 Quadraginta annis offensus fui generationi illi: & dixi, Semper hi errant corde.

12 Et isti non cognoverunt vias meas: ut juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam.

Psal. *Lat.* 95. *Heb.* 96.

CAntate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra.

2 Cantate Domino, & benedicite nomini ejus: annunciate de die in diem salutare ejus.

3 Annunciate inter gentes gloriam ejus: in omnibus populis mirabilia ejus.

4 Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis est super omnes Deus.

5 Quoniam omnes dii gentium dæmonia: Dominus autem cœlos fecit.

6 Confessio & pulchritudo in conspectu ejus: sanctimonia & magnificentia in sanctificatione ejus.

7 Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus.

8 Tollite hostias, & introite in atria ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus.

9 Commoveatur à facie ejus universa terra: dicite in gentibus, Quia Dominus regnavit.

10 Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur: judicabit populos in æquitate.

11 Lætentur cœli & exultet terra, commoveatur mare & plenitudo ejus: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt.

12 Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum à facie Domini quia venit: quoniam venit judicare terram.

13 Judicabit orbem terræ in æquitate: & populos in veritate sua.

Psal. *Lat.* 96. *Heb.* 97.

DOminus regnavit, exultet terra: lætentur insulæ multæ.

2 Nubes & caligo in circuitu ejus: justitia & judicium correctio sedis ejus.

3 Ignis ante ipsum præcedet: inflammabit in circuitu inimicos ejus.

4 Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: vidit, & commota est.

5 Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini: à facie Domini omnis terræ.

6 Annunciaverunt cœli justitiam ejus: & viderunt omnes populi gloriam ejus.

7 Confundantur omnes qui adorant sculptiliá: & qui gloriantur in simulachris suis.

8 Adorate eum omnes Angeli ejus: audivit, & lætata est Sion.

9 Et exultaverunt filiæ Judæ: propter judicia tua Domine.

10 Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: nimis exaltatus es super omnes deos.

11 Qui diligitis Dominum odite malum: custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

12 Lux orta est justo: & rectis corde lætitia.

13 Lætamini justi in Domino: & confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

VESPERT.

Pſal. *Lat.* 97. *Heb.* 98.

CAntate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.

2 Salvavit ſibi dextera ejus: & brachium ſanctum ejus.

3 Notum fecit Dominus ſalutare ſuum: in conſpectu gentium revelavit juſtitiam ſuam.

4 Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ: & veritatis ſuæ domui Iſrael.

5 Viderunt omnes termini terræ: ſalutare Dei noſtri.

6 Jubilate Deo omnis terra: cantate & exultate, & pſallite.

7 Pſallite Domino in cithara, in cithara & voce Pſalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

8 Jubilate in conſpectu regis Domini: moveatur mare & plenitudo ejus: orbis terrarum, & qui habitant in eo.

9 Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini: quoniam venit judicare terram.

10 Judicabit orbem terrarum in juſtitia: & populos in æquitate.

Pſal. *Lat.* 98. *Heb.* 99.

DOminus regnavit, iraſcantur populi: qui ſedet ſuper Cherubim, moveatur terra.

2 Dominus in Sion magnus: & excelſus ſuper omnes populos.

3 Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & ſanctum eſt: & honor regis judicium diligit.

4 Tu parâſti directiones: judicium & juſtitiam in Jacob tu feciſti.

5 Exaltate Dominum Deum noſtrum: & adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt.

6 Moyſes & Aaron in ſacerdotibus ejus: & Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus.

7 Invocabant Dominum & ipſe exaudiebat eos: in columna nubis loquebatur ad eos.

8 Cuſtodiebant teſtimonia ejus: & præceptum quod dedit illis.

9 Dominus Deus noſter tu exaudiebas eos: Deus tu propitius fuiſti eis, & ulciſcens in omnes adinventiones eorum.

10 Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate in monte ſancto ejus: quoniam ſanctus Dominus Deus noſter.

Pſal. *Lat* 99. *Heb.* 100.

JUbilate Deo omnis terra: ſervite Domino in lætitia.

2 Introite in conſpectu ejus: in exultatione.

3 Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus: ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

4 Populus ejus, & oves paſcuæ ejus: introite portas ejus in confeſſione, atria ejus in hymnis, confitemini illi.

5 Laudate nomen ejus quoniam ſuavis eſt Dominus: in æternum miſericordia ejus, & uſque in generationem & generationem veritas ejus.

Pſal. *Lat.* 100. *Heb.* 101.

MIſericordiam & judicium: cantabo tibi Domine.

2 Psallam & intelligam in via immaculata: quando venies ad me.

3 Perambulabam in innocentia cordis mei: in medio domus meæ.

4 Non proponebam ante oculos meos rem injustam: facientes prævaricationes odivi.

5 Non adhæsit mihi cor pravum: declinantem à me malignum non cognoscebam.

6 Detrahentem secretò proximo suo: hunc persequebar.

7 Superbo oculo & insatiabili corde: cum hoc non edebam.

8 Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabit.

9 Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.

10 In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.

MATUT.

Psal. *Let.* 101. *Heb.* 102.

DOmine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

2 Non avertas faciem tuam à me in quacunque die tribulor: inclina ad me aurem tuam.

3 In quacunque die invocavero te: velociter exaudi me.

4 Quia defecerunt sicut fumus dies mei: & ossa mea sicut cremium aruerunt.

5 Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

6 A voce gemitus mei: adhæsit os meum carni meæ.

7 Similis factus sum Pelicano solitudinis: factus sum sicut Nycticorax in domicilio.

8 Vigilavi: & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

9 Totâ die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, adversùm me jurabant.

10 Quia cinerem tanquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miscebam.

11 A facie iræ & indignationis tuæ: quia elevans allisisti me.

12 Dies mei sicut umbra declinaverunt: & ego sicut fœnum arui.

13 Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generationem & generationem.

14 Tu exurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

15 Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus: & terræ ejus miserebuntur.

16 Et timebunt gentes nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam.

17 Quia ædificabit Dominus Sion: & videbitur in gloria sua.

18 Respexit in orationem humilium: & non sprevit precem eorum.

19 Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur laudabit Dominum.

20 Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cœlo in terram aspexit.

21 Ut audiret gemitus compeditorum: ut solveret filios interemptorum.

22 Ut annuncient in Sion nomen Domini: & laudem ejus in Jerusalem.

23 In conveniendo populos in unum: & reges ut ſerviant Domino.

24 Reſpondit in via virtutis ſuæ: paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

25 Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem & generationem anni tui.

26 Initio tu Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cœli.

27 Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.

28 Et ſicut operatorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

29 Filii ſervorum tuorum habitabunt: & ſemen eorum in ſæculum dirigetur.

Pſal. *Lat.* 102. *Heb.* 103.

BEnedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto ejus.

2 Benedic anima mea Domino: & noli obliviſci omnes retributiones ejus.

3 Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas.

4 Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.

5 Qui replet in bonis deſiderium tuum: renovabitur ut aquilæ juventus tua.

6 Faciet miſericordiam Dominus: & judicium omnibus injuriam patientibus.

7 Notas fecit vias ſuas Moyſi: filiis Iſrael voluntates ſuas.

8 Miſerator, & miſericors Dominus: longanimis, & multum miſericors.

9 Non in perpetuum iraſcetur: neque in æternum comminabitur.

10 Non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis: neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.

11 Quoniam ſecundùm altitudinem cœli à terra: corroboravit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe.

12 Quantum diſtat ortus ab occidente: longè fecit à nobis iniquitates noſtras.

13 Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe: quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum.

14 Recordatus eſt quoniam pulvis ſumus: homo ſicut fœnum, dies ejus tanquam flos agri ſic efflorebit.

15 Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet: & non cognoſcet amplius locum ſuum.

16 Miſericordia autem Domini ab æterno: & uſque in æternum ſuper timentes eum.

17 Et juſtitia illius in filios filiorum: his qui ſervant teſtamentum ejus.

18 Et memores ſunt mandatorum ipſius: ad faciendum ea.

19 Dominus in cœlo paravit ſedem ſuam: & regnum ipſius omnibus dominabitur.

20 Benedicite Domino omnes Angeli ejus: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum ejus.

21 Benedicite Domino omnes virtutes ejus: miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

22 Benedicite Domino omnia opera ejus: in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.

VESPERT.

Psal. *Lat.* 103. *Heb.* 104.

BEnedic anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer.

2 Confessionem & decorem induisti: amictus lumine sicut vestimento.

3 Extendens cœlum sicut pellem: qui tegis aquis superiora ejus.

4 Qui ponis nubem ascensum tuum: qui ambulas super pennas ventorum.

5 Qui facis Angelos tuos spiritus: & ministros tuos ignem urentem.

6 Qui fundâsti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in sæculum sæculi.

7 Abyssus sicut vestimentum amictus ejus: super montes stabunt aquæ.

8 Ab increpatione tua fugient: à voce tonitrui tui formidabunt.

9 Ascendunt montes, & descendunt campi: in locum quem fundâsti eis.

10 Terminum posuisti quem non transgredientur: neque convertentur operire terram.

11 Qui emittis fontes in convallibus: inter medium montium pertransibunt aquæ.

12 Potabunt omnes bestiæ agri: expectabunt onagri in siti sua.

13 Super ea volucres cœli habitabunt: de medio petrarum dabunt voces.

14 Rigans montes de superioribus suis; de fructu operum tuorum satiabitur terra.

15 Producens fœnum jumentis: & herbam servituti hominum.

16 Ut educas panem de terra: & vinum lætificet cor hominis.

17 Ut exhilaret faciem in oleo: & panis cor hominis confirmet.

18 Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani quas plantavit: illic passeres nidificabunt.

19 Erodii domus dux est eorum, montes excelsi cervis: petra refugium herinaceis.

20 Fecit lunam in tempora: sol cognovit occasum suum.

21 Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ.

22 Catuli leonum rugientes ut rapiant: & quærant à Deo escam sibi.

23 Ortus est Sol, & congregati sunt: & in cubilibus suis collocabuntur.

24 Exibit homo ad opus suum: & ad operationem suam usque ad vesperam.

25 Quàm magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tuâ.

26 Hoc mare magnum & spacioſum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus.

27 Animalia pusilla cum magnis: illic naves pertransibunt.

28 Draco iste quem formâsti ad illudendum ei: omnia à te expectant ut des illis escam in tempore.

29 Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia replebuntur bonitate.

30 Avertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum & deficient, & in pulverem suum revertentur.

31 Emitte spiritum tuum & creabuntur: & renovabis faciem terræ.

32 Sit gloria Domini in sæculum: lætabitur Dominus in operibus suis.

33 Qui respicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant.

34 Cantabo Domino in vita mea: psallam Deo meo quamdiu sum.

35 Jucundum sit ei eloquium meum: ego vero delectabor in Domino.

36 Deficient peccatores à terra, & iniqui, ita ut non sint: benedic anima mea Domino.

MATUT.

Psal. *Lat.* 104. *Heb.* 105.

CONfitemini Domino, & invocate nomen ejus: annunciate inter gentes opera ejus.

2 Cantate ei, & psallite ei: narrate omnia mirabilia ejus.

3 Laudamini in nomine sancto ejus: lætetur cor quærentium Dominum.

4 Quærite Dominum & confirmamini; quærite faciem ejus semper.

5 Mementote mirabilium ejus quæ fecit: prodigia ejus & judicia oris ejus.

6 Semen Abraham: servi ejus filii Jacob electi ejus.

7 Ipse Dominus Deus noster: in universa terra judicia ejus.

8 Memor fuit in sæculum testamenti sui: verbi quod mandavit in mille generationes.

9 Quod disposuit ad Abraham: & juramenti sui ad Isaac.

10 Et statuit illud Jacob in præceptum: & Israel in testamentum æternum.

11 Dicens, Tibi dabo terram Chanaan: funiculum hæreditatis vestræ.

12 Cum essent numero brevi: pauciſſimi & incolæ ejus.

13 Et pertranſierunt de gente in gentem: & de regno ad populum alterum.

14 Non reliquit hominem nocere eis: & corripuit pro eis reges.

15 Nolite tangere christos meos: & in prophetis meis nolite malignari.

16 Et vocavit famem super terram: & omne firmamentum panis contrivit.

17 Misit ante eos virum: in servum venundatus est Joseph.

18 Humiliaverunt in compedibus pedes ejus: ferrum pertranſiit animam ejus, donec veniret verbum ejus.

19 Eloquium Domini inflammavit eum: misit rex & solvit eum, princeps populorum & dimisit eum.

20 Constituit eum dominum domus suæ: & principem omnis possessionis suæ.

21 Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum: & senes ejus prudentiam doceret.

22 Et intravit Israel in Ægyptum: & Jacob accola fuit in terra Cham.

23 Et auxit populum suum vehementer: & firmavit eum super inimicos ejus.

24 Convertit cor eorum ut audirent populum ejus: & dolum facerent in servos ejus.

25 Misit Moysen servum suum: Aaron quem elegit ipsum.

26 Posuit in eis verba signorum suorum: & prodigiorum in terra Cham.

27 Misit tenebras & obscuravit: & non exacerbavit sermones suos.

28 Con-

28 Convertit aquas eorum in ſanguinem: & occidit piſces eorum.

29 Edidit terra eorum ranas: in penetralibus regnum ipſorum.

30 Dixit, & venit cynomyia: & cyniphes in omnibus finibus eorum.

31 Poſuit pluvias eorum grandinem: ignem comburentem in terra ipſorum.

32 Et percuſſit vineas eorum, & ficulneas eorum: & contrivit lignum finium eorum.

33 Dixit, & venit locuſta: & bruchus cujus non erat numerus.

34 Et comedit omne fœnum in terra eorum: & comedit omnem fructum terræ eorum.

35 Et percuſſit omne primogenitum in terra eorum: primitias omnis laboris eorum.

36 Et eduxit eos cum argento & auro: & non erat in tribubus eorum infirmus.

37 Lætata eſt Ægyptus in profectione eorum: quia incubuit timor eorum ſuper eos.

38 Expandit nubem in protectionem eorum: & ignem ut luceret eis per noctem.

39 Petierunt, & venit coturnix: & pane cœli ſaturavit eos.

40 Diſrupit petram, & fluxerunt aquæ: abierunt in ſicco flumina.

41 Quoniam memor fuit verbi ſancti ſui: quod habuit ad Abraham puerum ſuum.

42 Et eduxit populum ſuum in exultatione: & electos ſuos in lætitia.

43 Et dedit illis regiones gentium: & labores populorum poſſederunt.

44 Ut cuſtodiant juſtificationes ejus: & legem ejus exquirant.

VESPERT.

Pſal. *Lat.* 105. *Heb.* 106.

COnfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

2 Quis loquetur potentias Domini: auditas faciet omnes laudes ejus?

3 Beati qui cuſtodierunt judicium: & faciunt juſtitiam in omni tempore.

4 Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui: viſita nos in ſalutari tuo.

5 Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ: ut lauderis cum hæreditate tua.

6 Peccavimus cum patribus noſtris: injuſte egimus, iniquitatem fecimus.

7 Patres noſtri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis miſericordiæ tuæ.

8 Et irritaverunt aſcendentes in mare: mare rubrum.

9 Et ſalvavit eos propter nomen ſuum: ut notam faceret potentiam ſuam.

10 Et increpuit mare rubrum, & exiccatum eſt: & deduxit eos in abyſſis ſicut in deſerto.

11 Et ſalvavit eos de manu odientium: & redemit eos de manu inimici.

12 Et operuit aqua tribulantes eos: unus ex eis non remanſit.

13 Et crediderunt verbis ejus: & laudaverunt laudem ejus.

14 Citò fecerunt, obliti ſunt operum ejus: & non ſuſtinuerunt conſilium ejus.

15 Et

15 Et concupierunt concupiscentiam in deserto : & tentaverunt Deum in inaquoso.

16 Et dedit eis petitionem ipsorum : & misit saturitatem in animas eorum.

17 Et irritaverunt Moysen in castris : Aaron sanctum Domini.

18 Aperta est terra, & deglutivit Dathan : & operuit super congregationem Abiron.

19 Et exarsit ignis in synagogo eorum : flamma combussit peccatores.

20 Et fecerunt vitulum in Horeb : & adoraverunt sculptile.

21 Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli : comedentis fœnum.

22 Obliti sunt Deum qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto : mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.

23 Et dixit, Ut disperderet eos : si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus.

24 Ut averteret iram ejus ne disperderet eos : & pro nihilo habuerunt terram deliderabilem.

25 Non crediderunt verbo ejus, & murmuraverunt tabernaculis suis : non exaudierunt vocem Domini.

26 Et elevavit manum suam super eos : ut prosterneret eos in deserto.

27 Et ut deficeret semen eorum in nationibus : ut disperderet eos in regionibus.

28 Et initiati sunt Beelphegor : & comederunt sacrificia mortuorum.

29 Et irritaverunt eum in adinventionibus suis : & multiplicata est in eis ruina.

30 Et stetit Phinees, & placavit : & cessavit quassatio.

31 Et reputatum est ei in justitiam in generationem & generationem : usque in sempiternum.

32 Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis : & vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus.

33 Et distinxit in labiis suis : non disperdiderunt gentes quas dixit Dominus illis.

34 Et commixti sunt inter gentes & didicerunt opera eorum, & servierunt sculptilibus eorum : & factum est illis in scandalum.

35 Et immolaverunt filios suos : & filias suas dæmoniis.

36 Et effuderunt sanguinem innocentem : sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.

37 Et infecta est terra in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum : & fornicati sunt in adinventionibus suis.

38 Et iratus est furore Dominus in populum suum : & abominatus est hæreditatem suam.

39 Et tradidit eos in manus gentium : & dominati sunt eorum qui oderunt eos.

40 Et tribulaverunt eos inimici eorum, humiliati sunt sub manibus eorum : sæpe liberavit eos.

41 Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo : & humiliati sunt in iniquitatibus suis.

42 Et vidit cùm tribularentur : & audivit orationem eorum.

43 Et memor fuit teſtamenti ſui : & pœnituit eum ſecundùm multitudinem miſericordiæ tuæ.

44 Et dedit eos in miſericordias : in conſpectu omnium qui ceperant eos.

45 Salvos nos fac Domine Deus noſter : & congrega nos de nationibus.

46 Ut confiteamur nomini ſancto tuo : & gloriemur in laude tua.

47 Benedictus Dominus Deus Iſrael à ſæculo & uſque in ſæculum : & dicet omnis populus, Fiat, fiat.

MATUT.

Pſal. *Lat.* 106. *Heb.* 107.

COnfitemini Domino quoniam bonus : quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

2 Dicant qui redempti ſunt à Domino, quos redemit de manu inimici : & de regionibus congregavit eos.

3 A ſolis ortu & occaſu : ab Aquilone & mari.

4 Erraverunt in ſolitudine in inaquoſo : viam civitatis habitaculi non invenerunt.

5 Eſurientes & ſitientes : anima eorum in ipſis defecit.

6 Et clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur : & de neceſſitatibus eorum eripuit eos.

7 Et deduxit eos in viam rectam : ut irent in civitatem habitationis.

8 Confiteantur Domino miſericordiæ ejus : & mirabilia ejus filiis hominum.

9 Quia ſatiavit animam inanem : & animam eſurientem ſatiavit bonis.

10 Sedentes in tenebris & umbra mortis : vinctus in mendicitate & ferro.

11 Quia exacerbaverunt eloquia Dei : & conſilium Altiſſimi irritaverunt.

12 Et humiliatum eſt in laboribus cor eorum ; infirmati ſunt, nec fuit qui adjuvaret.

13 Et clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur : & de neceſſitatibus eorum liberavit eos.

14 Et eduxit eos de tenebris & umbra mortis : & vincula eorum diſrupit.

15 Confiteantur Domino miſericordiæ ejus : & mirabilia ejus filiis hominum.

16 Quia contrivit portas æreas : & vectes ferreos confregit.

17 Suſcepit eos de via iniquitatis eorum : propter injuſtitias enim ſuas humiliati ſunt.

18 Omnem eſcam abominata eſt anima eorum : & appropinquaverunt uſque ad portas mortis.

19 Et clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur : & de neceſſitatibus eorum liberavit eos.

20 Miſit verbum ſuum & ſanavit eos : & eripuit eos de interitionibus eorum.

21 Confiteantur Domino miſericordiæ ejus : & mirabilia ejus filiis hominum.

22 Et sacrificent sacrificium laudis : & annuncient opera ejus in exultatione.

23 Qui descendunt mare in navibus : facientes operationem in aquis multis.

24 Ipsi viderunt opera Domini : & mirabilia ejus in profundo.

25 Dixit, & stetit spiritus procellæ : & exaltati sunt fluctus ejus.

26 Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos : anima eorum in malis tabescebat.

27 Turbati sunt & moti sunt sicut ebrius : & omnis sapientia eorum devorata est.

28 Et clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur : & de necessitatibus eorum eduxit eos.

29 Et statuit procellam ejus in auram : & siluerunt fluctus ejus.

30 Et lætati sunt quia siluerunt : & deduxit eos in portum voluntatis eorum.

31 Confiteantur Domino misericordiæ ejus : & mirabilia ejus filiis hominum.

32 Et exultent eum in Ecclesia plebis : & in cathedra seniorum laudent eum.

33 Posuit flumina in desertum : & exitus aquarum in sitim.

34 Terram fructiferam in salsuginem : à malitia inhabitantium in ea.

35 Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum.

36 Et collocavit illic esurientes : & constituerunt civitatem habitationis.

37 Et seminaverunt agros, & plantaverunt vineas : & fecerunt fructum nativitatis.

38 Et benedixit eis, & multiplicati sunt nimis : & jumenta eorum non minoravit.

39 Et pauci facti sunt : & vexati sunt à tribulatione malorum & dolore.

40 Effusa est contemptio super principes : & errare fecit eos in invio, & non in via.

41 Et adjuvit pauperem de inopia : & posuit sicut oves familias.

42 Videbunt recti & lætabuntur : & omnis iniquitas oppilabit os suum.

43 Quis sapiens, & custodiet hæc : & intelliget misericordias Domini ?

VESPERT.

Psal. *Lat.* 107. *Heb.* 108.

PAratum cor meum Deus, paratum cor meum : cantabo, & psallam in gloria mea,

2 Exurge gloria mea : exurge psalterium & cithrara, exurgam diluculo.

3 Confitebor tibi in populis Domine : & psallam tibi in nationibus.

4 Quia magna est super cœlos misericordia tua : & usque ad nubes veritas tua.

5 Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua : ut liberentur dilecti tui.

6 Salvum fac dextera tua & exaudi me : Deus locutus est in sancto suo.

7 Exultabo, & dividam Sichimam : & convallem tabernaculorum dimetiar.

8 Meus est Gelaad, & meus est Manasses : & Ephraim fortitudo capitis mei.

9 Juda

9 Juda rex meus: Moab lebes spei meæ.

10 In Idumeam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ amici facti sunt.

10 Quis deducet me in civitatem munitam? Quis deducet me usque in Idumæam?

12 Nonne tu Deus qui repulisti nos: & non exibis Deus in virtutibus nostris?

13 Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.

14 In Deo faciemus virtutem: & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

Psal. *Lat.* 108. *Heb.* 109.

DEus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, & os dololi super me apertum est.

2 Locuti sunt adversum me linguâ dolosâ: & sermonibus odii circundederunt me, & expugnaverunt gratis.

3 Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.

4 Et posuerunt adversùm me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea.

5 Constitue super eum peccatorem: & diabolus stet à dextris ejus.

6 Cùm judicatur, exeat condemnatus: & oratio ejus fiat in peccatum.

7 Fiant dies ejus pauci: & episcopatum ejus accipiat alter.

8 Fiant filii ejus orphani: & uxor ejus vidua.

9 Nutantes transferantur filii ejus & mendicent: & ejiciantur de habitationibus suis.

10 Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus: & diripiant alieni labores ejus.

11 Non sit illi adjutor: nec sit qui misereatur pupillis ejus.

12 Fiant nati ejus in interitum: in generatione una deleatur nomen ejus.

13 In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini: & peccatum matris ejus non deleatur.

14 Fiant contra Dominum semper, & dispereat de terra memoria eorum: pro eo quòd non est recordatus facere misericordiam.

15 Et persecutus est hominem inopem & mendicum: & compunctum corde mortificare.

16 Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

17 Et indùit maledictionem sicut vestimentum: & intravit sicut aqua in interiora ejus, & sicut oleum in ossibus ejus.

18 Fiat ei sicut vestimentum quo operitur: & sicut zona quâ semper præcingitur.

19 Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum: & qui loquuntur mala adversus animam meam.

20 Et tu Domine Domine fac mecum propter nomen tuum: quia suavis est misericordia tua.

21 Libera me quia egenus & pauper ego sum: & cor meum conturbatum est intra me.

22 Sicut umbra cùm declinat, ablatus sum: & excussus sum sicut locustæ.

23 Genua mea infirmata sunt à jejunio: & caro mea immutata est propter oleum.

24 Et ego factus sum opprobrium illis: viderunt me, & moverunt capita sua.

25 Adjuva me Domine Deus meus: salvum me fac secundùm misericordiam tuam.

26 Et sciant quia manus tua hæc: & tu domine fecisti eam.

27 Maledicent illi, & tu benedices, qui insurgunt in me confundantur: servus autem tuus lætabitur.

28 Induantur qui detrahunt mihi pudore: & operiantur sicut diploide confusione sua.

29 Confitebor Domino nimis in ore meo: & in medio multorum laudabo eum.

30 Quia astitit à dextris pauperis: ut salvam faceret à persequentibus animam meam.

MATUT.

Psal. *Lat.* 109. *Heb.* 110.

DIxit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis.

2 Donec ponam inimicos tuos: scabellum pedum tuorum.

3 Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

4 Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum; ex utero ante luciferum genui te.

5 Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.

6 Dominus à dextris tuis: confregit in die iræ suæ reges.

7 Judicabit in nationibus; implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.

8 De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.

Psal. *Lat.* 110. *Heb.* 111.

COnfitebor tibi Domine in toto corde meo: in concilio justorum & congregatione.

2 Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates ejus.

3 Confessio & magnificentia opus ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

4 Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors: & miserator Dominus: escam dedit timentibus se.

5 Memor erit in sæculum testamenti sui: virtutem operum suorum annunciabit populo suo.

6 Ut det illis hæreditatem gentium opera manuum ejus: veritas & judicium.

7 Fidelia omnia mandata ejus: confirmata in sæculum sæculi: facta in veritate & æquitate.

8 Redemptionem misit populo suo: mandavit in æternum testamentum suum.

9 Sanctum & tetribile nomen ejus: initium sapientiæ timor Domini.

10 Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

Psal.

Psal. *Lat.* 111. *Heb.* 112.

BEatus vir qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis.

2 Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

3 Gloria & divitiæ in domo ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

4 Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors & miserator & justus.

5 Jucundus homo qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in judicio: quia in æternum non commovebitur.

6 In memoria æterna erit justus: ab auditione mala non timebit.

7 Paratum cor ejus sperare in Domino: confirmatum est cor ejus: non commovebitur, donec despiciat inimicos suos.

8 Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi: cornu ejus exaltabitur in gloria.

9 Peccator videbit, & irascetur: dentibus suis fremet & tabescet: desiderium peccatorum peribit.

Psal. *Lat.* 112. *Heb.* 113.

LAudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.

2 Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc, & usque in sæculum.

3 A solis ortu usque ad occasum: laudabile nomen Domini.

4 Excelsus super omnes gentes Dominus: & super cœlos gloria ejus.

5 Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat: & humilia respicit in cœlo & in terra?

6 Suscitans à terra inopem: & de stercore erigens pauperem.

7 Ut collocet eum cum principibus: cum principibus populi sui.

8 Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum lætantem.

VESPERT.

Psal. *Lat.* 113. *Heb.* 114.

IN exitu Israel de Ægypto: domus Jacob de populo barbaro.

2 Facta est Judæa sanctificatio ejus: Israel potestas ejus.

3 Mare vidit & fugit: Jordanis conversus est retrorsum.

4 Montes exultaverunt ut arietes: & colles sicut agni ovium.

5 Quid est tibi mare quod fugisti: & tu Jordanis quia conversus es retrorsum?

6 Montes exultâstis sicut arietes: & colles sicut agni ovium.

7 A facie Domini mota est terra: à facie Dei Jacob.

8 Qui convertit petram in stagna aquarum: & rupem in fontes aquarum.

Psal. 115. *secundum Heb.*

NON nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.

2 Super misericordia tua, & veritate tua: nequando dicant

cant gentes, Ubi est Deus eorum.

3 Deus autem noster in cœlo: omnia quæcunque voluit fecit.

4 Simulacra gentium, argentum & aurum: opera manuum hominum.

5 Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.

6 Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt.

7 Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo.

8 Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.

9 Domus Israel speravit in Domino: adjutor eorum & protector eorum est.

10 Domus Aaron speravit in Domino: adjutor eorum & protector eorum est.

11 Qui timent Dominum, speraverunt in Domino: adjutor eorum & protector eorum est.

12 Dominus memor fuit nostri: & benedixit nobis.

13 Benedixit domui Israel: benedixit domui Aaron.

14 Benedixit omnibus qui timent Dominum: pusillis cum majoribus.

15 Adjiciat Dominus super vos: super vos & super filios vestros.

16 Benedicti vos à Domino: qui fecit cœlum & terram.

17 Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filiis hominum.

18 Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes qui descendunt in infernum.

19 Sed nos qui vivimus benedicimus Domino: ex hoc nunc, & usque in sæculum.

MATUT.

Psal. *Lat.* 114. *Heb.* 116.

Dilexit quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.

2 Quia inclinavit aurem suam mihi: & in diebus meis invocabo.

3 Circumdederunt me dolores mortis: & pericula inferni invenerunt me.

4 Tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi.

5 O Domine libera animam meam: misericors Dominus, & justus, & Deus noster miseretur.

6 Custodiens parvulos Dominus: humiliatus sum & liberavit me.

7 Convertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi:

8 Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.

9 Placebo Domino in regione vivorum.

10 Credidi propter quod loquutus sum ego autem humiliatus sum nimis. *PSAL.* 115. *Lat.*

11 Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.

12 Quid retribuam Domino: pro omnibus quæ retribuit mihi?

13 Calicem salutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.

14 Vota mea Domino reddam

dam coram omni populo ejus : pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus.

15 O Domine quia ego ſervus tuus : ego ſervus tuus & filius ancillæ tuæ.

16 Dirupiſti vincula mea : tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo.

17 Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi ejus : in atriis domus Domini, in medio tui Jeruſalem.

Pſal. *Lat.* 116. *Heb.* 117.

LAudate Dominum omnes gentes : laudate eum omnes populi.

2 Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus : & veritas Domini manet in æternum.

Pſal. *Lat.* 117. *Heb.* 118.

COnfitemini Domino quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

2 Dicat nunc Iſrael, quoniam bonus : quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

4 Dicat nunc domus Aaron : quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

3 Dicant nunc qui timent Dominum : quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

5 De tribulatione invocavi Dominum : & exaudivit me in latitudine Dominus.

6 Dominus mihi adjutor : non timebo quid faciat mihi homo.

7 Dominus mihi adjutor : & ego deſpiciam inimicos meos.

8 Bonum eſt confidere in Domino : quàm confidere in homine.

9 Bonum eſt ſperare in Domino : quam ſperare in principibus.

10 Omnes gentes circuierunt me : me in nomine Domini quia ultus ſum in eos.

11 Circundantes circundederunt me : & in nomine Domini quia ultus ſum in eos.

12 Circundederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis : & in nomine Domini quia ultus ſum in eos.

13 Impulſus everſus ſum ut caderem : & Dominus ſuſcepit me.

14 Fortitudo mea & laus mea Dominus : & factus eſt mihi in ſalutem.

15 Vox exultationis & ſalutis : in tabernaculis juſtorum.

16 Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exultavit me : dextera Domini fecit virtutem.

17 Non moriar, ſed vivam : & narrabo opera Domini.

18 Caſtigans caſtigavit me Dominus : & morti non tradidit me.

19 Aperite mihi portas juſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino : hæc porta Domini, juſti intrabunt in eam.

20 Confitebor tibi quoniam exaudiſti me : & factus es mihi in ſalutem.

21 Lapidem quem reprobaverunt ædificantes : hic factus eſt in caput anguli.

22 A Domino factum eſt iſtud : & eſt mirabile in oculis noſtris.

23 Hæc eſt dies quam fecit Dominus : exultemus & lætemur in ea.

24 O Domine ſalvum me fac, Domine bene proſperare : benedictus qui venit in nomine Domini.

25 Bene-

25 Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus & illuxit nobis.

26 Conſtituite diem ſolennem in condenſis: uſque ad cornu altaris.

27 Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.

28 Confitebor tibi quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.

29 Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

VESPERT.

Pſal. *Lat.* 118. *Heb.* 119.

ALEPH.

BEati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.

2 Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus: in toto corde exquirunt eum.

3 Non enim qui operantur iniquitatem: in viis ejus ambulaverunt.

4 Tu mandâſti: mandata tua cuſtodiri nimis.

5 Utinam dirigantur viæ meæ: ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.

6 Tunc non confundar: cùm proſpexero in omnibus mandatis tuis.

7 Confitebor tibi in directione cordis: in eo quòd didici judicia juſtitiæ tuæ.

8 Juſtificationes tuas cuſtodiam: non me derelinquas uſquequaque.

BETH.

IN quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? In cuſtodiendo ſermones tuos.

10 In toto corde meo exquiſivi te: ne repellas me à mandatis tuis.

11 In corde meo abſcondi eloquia tua: ut non peccem tibi.

12 Benedictus es Domine: doce me juſtificationes tuas.

13 In labiis meis pronunciavi: omnia judicia oris tui.

14 In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum: ſicut in omnibus divitiis.

15 In mandatis tuis exercebor: & conſiderabo vias tuas.

16 In juſtificationibus tuis meditabor: non obliviſcar ſermones tuos.

GIMEL.

RETribue ſervo tuo, vivifica me: & cuſtodiam ſermones tuos.

18 Revela oculos meos! & conſiderabo mirabilia de lege tua.

19 Incola ego ſum in terra; non abſcondas à me mandata tua.

20 Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas: in omni tempore.

21 Increpâſti ſuperbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.

22 Aufer à me opprobrium & contemptum: quia teſtimonia tua exquiſivi.

23 Etenim ſederunt principes, & adversum me loquebantur: ſervus autem tuus exercebatur

cebatur in justificationibus tuis.

24 Nam & testimonia tua meditatio mea est : & consilium justificationes tuæ.

DALETH.

Adhæsit pavimento anima mea : vivifica me secundùm verbum tuum.

26 Vias meas annunciavi, & exaudisti me : doce me justificationes tuas.

27 Viam justificationum tuarum instrue me : & exercebor in mirabilibus tuis.

28 Dormitavit anima mea præ tædio : confirma me in verbis tuis.

29 Viam iniquitatis amove à me : & de lege tua miserere mei.

30 Viam veritatis elegi : judicia tua non sum oblitus.

31 Adhæsi testimoniis tuis Domine : noli me confundere.

32 Viam mandatorum tuorum cucurri : cùm dilatâsti cor meum.

MATUT.

HE.

Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum : & exquiram eam semper.

34 Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam : & custodiam illam in toto corde meo.

35 Deduc me in semitam mandatorum tuorum : quia ipsum volui.

36 Inclina cor meum in testimonia tua : & non in avaritiam.

37 Averte oculos meos ne videant vanitatem : in via tua vivifica me.

38 Statue servo tuo eloquium tuum : in timore tuo.

39 Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum : quia judicia tua jucunda.

40 Ecce concupivi mandata tua : in æquitate tua vivifica me.

VAU.

Et veniat super me misericordia tua Domine : salutare tuum secundùm eloquium tuum.

42 Et respondebo exprobrantibus mihi verbum : quia speravi in sermonibus tuis.

43 Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque : quia in judiciis tuis superspe-ravi.

44 Et custodiam legem tuam semper in sæculum : & in sæculum sæculi.

45 Et ambulabam in latitudine : quia mandata tua exquisivi.

46 Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum : & non confundebar.

47 Et meditabar in mandatis tuis : quæ dilexi.

48 Et levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi : & exercebar in justificationibus tuis.

ZAIN.

Memor esto verbi tui servo tuo : in quo mihi spem dedisti.

50 Hæc me consolata est in humilitate mea : quia eloquium tuum vivificavit me.

51 Super-

51 Superbi iniquè agebant usquequaque : à lege autem tua non declinavi.

52 Memor fui judiciorum tuorum à seculo Domine : & consolatus sum.

53 Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

54 Cantabiles mihi erant justificationes tuæ : in loco peregrinationis meæ.

55 Memor fui nocte nominis tui Domine : & custodivi legem tuam.

56 Hæc facta est mihi : quia justificationes tuas exquisivi.

CHETH.

POrtio mea Domine : dixi, Custodire legem tuam.

58 Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo : miserere mei secundùm eloquium tuum.

59 Cogitavi vias meas : & converti pedes meos in testimonia tua.

60 Paratus sum & non sum turbatus : ut custodiam mandata tua.

61 Funes peccatorum circumplexi sunt me : & legem tuam non sum oblitus.

62 Media nocte surgebam ad confitendum tibi : super judicia justificationis tuæ.

63 Particeps ego sum omnium timentium te : & custodientium mandata tua.

64 Misericordiâ tuâ Domine plena est terra : justificationes tuas doce me.

TETH.

BOnitatem fecisti cum servo tuo Domine : secundum verbum tuum.

66 Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me : quia mandatis tuis credidi.

67 Priusquam humiliarer ego deliqui : propterea eloquium tuum custodivi.

68 Bonus es tu : & in bonitate tua doce me justificationes tuas.

69 Multiplicata est super me iniquitas superborum : ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

70 Coagulatum est sicut lac cor eorum : ego verò legem tuam meditatus sum.

71 Bonum mihi quia humiliâsti me : ut discam justificationes tuas.

72 Bonum mihi lex oris tui : super millia auri & argenti.

VESPERT.

JOD.

MAnus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me : da mihi intellectum, & discam mandata tua.

74 Qui timent te videbunt me & lætabuntur : quia in verba tua supersperavi.

75 Cognovi Domine quia æquitas judicia tua : & in veritate tua humiliâsti me.

76 Fiat misericordia tua ut consoletur me : secundùm eloquium tuum servo tuo.

77 Veniant mihi miserationes tuæ, & vivam : quia lex

lex tua meditatio mea est.

78 Confundantur superbi, quia injustè iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

79 Convertantur mihi timentes te: & qui noverunt testimonia tua.

80 Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis: ut non confundar.

CAPH.

DEfecit in salutare tuum anima mea: & in verbum tuum superspèravi.

82 Defecerunt oculi mei in eloquium tuum: dicentes, Quando consolaberis me?

83 Quia factus sum sicut uter in pruina: justificationes tuas non sum oblitus.

84 Quòt sunt dies servi tui: quando facies de persequentibus me judicium?

85 Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.

86 Omnia mandata tua veritas: iniquè persecuti sunt me, adjuva me.

87 Paulominus consummaverunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.

88 Secundùm misericordiam tuam vivifica me: & custodiam testimonia oris tui.

LAMED.

IN æternum Domine verbum tuum: permanet in cœlo.

90 In generationem & generationem veritas tua: fundasti terram & permanet.

91 Ordinatione tuâ perseverat dies: quoniam omnia serviunt tibi.

92 Nisi quòd lex tua meditatio mea est: tunc fortè periissem in humilitate mea.

93 In æternum non obliviscar justificationes tuas: quia in ipsis vivificâsti me.

94 Tuus sum ego, salvum me fac: quoniam justificationes tuas exquisivi.

95 Me expectaverunt peccatores ut perderent me: testimonia tua intellexi.

96 Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.

MEM.

QUomodo dilexi legem tuam Domine: totâ die meditatio mea est.

98 Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in æternum mihi est.

99 Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.

100 Super senes intellexi: quia mandata tua quæsivi.

101 Ab omni via mala prohibui pedes meos: ut custodiam verba tua.

102 A judiciis tuis non declinavi: quia tu legem posuisti mihi.

103 Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel ori meo!

104 A mandatis tuis intellexi: propterea odivi omnem viam iniquitatis.

MATUT.

NUN.

LUcerna pedibus meis verbum tuum: & lumen ſemitis meis.

106 Juravi & ſtatui cuſtodire judicia: juſtitiæ tuæ.

107 Humiliatus ſum uſquequaque Domine: vivifica me ſecundum verbum tuum.

108 Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine: & judicia tua doce me.

109 Anima mea in manibus meis ſemper: & legem tuam non ſum oblitus.

110 Poſuerunt peccatores laqueum mihi: & de mandatis tuis non erravi.

111 Hæreditate acquiſivi teſtimonia tua in æternum: quia exultatio cordis mei ſunt.

112 Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum: propter retributionem.

SAMECH.

INiquos odio habui: & legem tuam dilexi.

114 Adjutor & ſuſceptor meus es tu: & in verbum tuum ſuperſperavi.

115 Declinate à me maligni: & ſcrutabor mandata Dei mei.

116 Suſcipe me ſecundùm eloquium tuum, & vivam: & non confundas me ab expectatione mea.

117 Adjuva me & ſalvus ero: & meditabor in juſtificationibus tuis ſemper.

118 Spreviſti omnes diſcedentes à judiciis tuis: quia injuſta cogitatio eorum.

119 Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ: ideo dilexi teſtimonia tua.

120 Confige timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui.

AIN.

FEci judicium & juſtitiam: non tradas me calumniantibus me.

122 Suſcipe ſervum tuum in bonum: non calumnientur me ſuperbi.

123 Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum: & in eloquium juſtitiæ tuæ.

124 Fac cum ſervo tuo ſecundùm miſericordiam tuam: & juſtificationes tuas doce me.

125 Servus tuus ſum ego: da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua.

126 Tempus faciendi Domine: diſſipaverunt legem tuam.

127 Ideo dilexi mandata tua: ſuper aurum & topazion.

128 Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.

PHE.

MIrabilia teſtimonia tua: ideo ſcrutata eſt ea anima mea.

130 Declaratio ſermonum tuorum illuminat: & intellectum dat parvulis.

131 Os meum aperui, & attraxi ſpiritum: quia mandata tua deſiderabam.

132 Aſpice in me: & miſerere mei ſecundùm judicium diligentium nomen tuum.

133 Greſſus meos dirige ſecundùm eloquium tuum: & non dominetur mei omnis injuſtitia.

134 Redime me à calumniis hominum: ut cuſtodiam mandata tua.

135 Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum: & doce me juſtificationes tuas.

136 Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non cuſtodierunt legem tuam.

TSADE.

JUſtus es Domine: & rectum judicium tuum.

138 Mandâſti juſtitiam teſtimonia tua: & veritatem tuam nimis.

139 Tabeſcere me fecit zelus meus: quia obliti ſunt verba tua inimici mei.

140 Ignitum eloquium tuum vehementer: & ſervus tuus dilexit illud.

141 Adoleſcentulus ſum ego & contemptus: juſtificationes tuas non ſum oblitus.

142 Juſtitia tua juſtitia in æternum: & lex tua veritas.

143 Tribulatio & anguſtia invenerunt me: mandata tua meditatio mea eſt.

144 Æquitas teſtimonia tua in æternum: intellectum da mihi & vivam.

VESPERT.

COPH.

CLamavi in toto corde: exaudi me Domine, juſtificationes tuas requiram.

146 Clamavi ad te, ſalvum me fac: ut cuſtodiam mandata tua.

147 Præveni in immaturitate, & clamavi: quia in verba tua ſuperſperavi.

148 Prævenerunt oculi mei ad te diluculo: ut meditarer eloquia tua.

149 Vocem meam audi, ſecundùm miſericordiam tuam Domine: & ſecundùm judicium tuum vivifica me.

150 Appropinquaverunt perſequentes me iniquitati: à lege autem tua longe facti ſunt.

151 Prope es tu Domine: & omnes viæ tuæ veritas.

152 Initio cognovi de teſtimoniis tuis: quia in æternum fundâſti ea.

RESCH.

VIde humilitatem meam, & eripe me: quia legem tuam non ſum oblitus.

154 Judica judicium meum, & redime me: propter eloquium tuum vivifica me.

155 Longe à peccatoribus ſalus: quia juſtificationes tuas non exquiſierunt.

156 Miſericordiæ tuæ multæ Domine: ſecundùm judicium tuum vivifica me.

157 Multi qui perſequuntur me, & tribulant me: a teſtimoniis tuis non declinavi.

158 Vidi prævaricantes, & tabescebam : quia eloquia tua non custodierunt.

159 Vide quoniam mandata tua dilexi Domine : in misericordia tua vivifica me.

160 Principium verborum tuorum veritas : in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.

SCHIN.

PRincipes persecuti sunt me gratis : & à verbis tuis formidavit cor meum.

162 Lætabor ego super eloquia tua : sicut qui invenit spolia multa.

163 Iniquitatem odio habui, & abominatus sum : legem autem tuam dilexi.

164 Septies in die laudem dixi tibi : super judicia justitiæ tuæ.

165 Pax multa diligentibus legem tuam : & non est illis scandalum.

166 Expectabam salutare tuum Domine : & mandata tua dilexi.

167 Custodivi anima mea testimonia tua : & dilexit ea vehementer.

168 Servavi mandata tua & testimonia tua : quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

TAU.

APpropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine : juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

170 Intret postulatio mea in conspectu tuo : secundùm eloquium tuum eripe me.

171 Eructabunt labia mea hymnum : cùm docueris me justificationes tuas.

172 Pronunciabit lingua mea eloquium tuum : quia omnia mandata tua æquitas.

173 Fiat manus tua ut salvet me : quoniam mandata tua elegi.

174 Concupivi salutare tuum Domine : & lex tua meditatio mea est.

175 Vivet anima mea & laudabit te : & judicia tua adjuvabunt me.

176 Erravi sicut ovis quæ periit : quære servum tuum Domine, quia mandata tua non sum oblitus.

MATUT.

Psal. *Lat.* 119. *Heb.* 120.

AD Dominum cùm tribularer clamavi : & & exaudivit me.

2 Domine libera animam meam à labiis iniquis : & à lingua dolosa.

3 Quid detur tibi : aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam ?

4 Sagittæ potentis acutæ : cum carbonibus desolatoriis.

5 Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est : habitavi cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea.

6 Cum his qui oderunt pacem eram pacificus : cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.

Psal. *Lat.* 120. *Heb.* 121.

LEvavi oculos meos in montes : unde veniet auxilium mihi.

2 Auxilium meum à Domino :

no: qui fecit cœlum & terram.

3 Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.

4 Ecce non dormitabit neque dormiet: qui custodit Israel.

5 Dominus custodit te: Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.

6 Per diem sol non urit te: neque luna per noctem.

7 Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

8 Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum: ex hoc nunc & usque in sæculum.

Psal. *Lat.* 121. *Heb.* 122.

LÆtatus sum in his quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus.

2 Stantes erant pedes nostri: in atriis tuis Jerusalem.

3 Jerusalem quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipsum.

4 Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini.

5 Quia illic sederunt sedes in judicio: sedes super domum David.

6 Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem: & abundantia diligentibus te.

7 Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.

8 Propter fratres meos & proximos meos: loquebar pacem de te.

9 Propter domum Domini Dei nostri: quæsivi bona tibi.

Psal. *Lat.* 122. *Heb.* 123.

AD te levavi oculos meos: qui habitas in cœlis.

2 Ecce sicut oculi servorum: in manibus dominorum suorum.

3 Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

4 Miserere nostri Domine, miserere nostri: quia multùm repleti sumus despectione.

5 Quia multùm repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, & despectio superbis.

Psal. *Lat.* 123. *Heb.* 124.

NIsi quia Dominus erat in nobis dicat nunc Israel: nisi quia Dominus erat in nobis.

2 Cùm exurgerent homines in nos: fortè vivos deglutîssent nos.

3 Cùm irascceretur furor eorum in nos: forsitan aqua absorbuisset nos.

4 Torrentem pertransivit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

5 Benedictus Dominus: qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

6 Anima nostra sicut passer: erepta est de laqueo venantium.

7 Laqueus contritus est: & nos liberati sumus.

8 Adjutorium nostrum in nomine Domini: qui fecit cœlum & terram

Psal. *Lat.* 124. *Heb.* 125.

QUI confidunt in Domino ſicut mons Sion : non commovebitur in æternum, qui habitat in Jeruſalem.

2 Montes in circuitu ejus : & Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

3 Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum : ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas.

4 Benefac Domine bonis : & rectis corde.

5 Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus dum operantibus iniquitatem : pax ſuper Iſrael.

VESPERT.

Psal. *Lat.* 125. *Heb.* 126.

IN convertendo Dominus captivitatem Sion : facti ſumus ſicut conſolati.

2 Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum : & lingua noſtra exultatione.

3 Tunc dicent inter gentes : Magnificavit Dominus facere cum eis.

4 Magnificavit Dominus facere nobiſcum : facti ſumus lætantes.

5 Convertere Domine captivitatem noſtram : ſicut torrens in auſtro.

6 Qui ſeminant in lacrymis : in exultatione metent.

7 Euntes ibant & flebant : mittentes ſemina ſua.

8 Venientes autem venient cum exultatione : portantes manipulos ſuos.

Psal. *Lat.* 126. *Heb.* 127.

NISI Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

2 Niſi Dominus cuſtodierit civitatem : fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.

3 Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere : ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.

4 Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum : Ecce hæreditas Domini, Filii : merces fructus ventris.

5 Sicut ſagittæ in manu potentis : ita filii excuſſorum.

6 Beatus vir qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis : non confundetur cùm loquetur inimicis ſuis in porta.

Psal. *Lat.* 127. *Heb.* 128.

BEati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.

2 Labores manuum tuarum quia manducabis : beatus es, & bene tibi erit.

3 Uxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.

4 Filii tui ſicut novellæ olivarum : in circuitu menſæ tuæ.

5 Ecce, ſic benedicetur homo : qui timet Dominum.

6 Benedicat tibi Dominus ex Sion : & videas bona Jeruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.

7 Et videas filios filiorum tuorum & pacem ſuper Iſrael.

Pſal

Psal. *Lat.* 128. *Heb.* 129.

SÆpe expugnaverunt me à juventute mea : dicat nunc Israel.

2 Sæpe expugnaverunt me à juventute mea : etenim non potuerunt mihi.

3 Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores : prolongaverunt iniquitatem suam.

4 Dominus justus, concidit cervices peccatorum : confundantur & convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.

5 Fiant sicut fœnum tectorum : quod priusquam evellatur, exaruit.

6 De quo non implevit manum suum qui metit : & sinum suum qui manipulos colligit.

7 Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini super vos : benediximus vobis in nomine Domini.

Psal. *Lat.* 129. *Heb.* 130.

DE profundis clamavi ad te Domine : Domine exaudi vocem meam.

2 Fiant aures tuæ intendentes : in vocem deprecationis meæ.

3 Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit ?

4 Quia apud te propitiatio est : & propter legem tuam sustinui te Domine.

5 Sustinuit anima mea in verbo ejus : speravit anima mea in Domino.

6 A custodia matutina usque ad noctem : speret Israel in Domino.

7 Quia apud Dominum misericordia : & copiosa apud eum redemptio.

8 Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.

Psal. *Lat.* 130. *Heb.* 131.

DOmine non est exaltatum cor meum : neque elati sunt oculi mei.

2 Neque ambulavi in magnis : neque in mirabilibus super me.

3 Si non humiliter sentiebam : sed exaltavi animam meam.

4 Sicut ablactatus est super matre sua : ita retributio in anima mea.

5 Speret Israel in Domino : ex hoc nunc & usque in sæculum.

MATUT.

Psal. *Lat.* 131. *Heb.* 132.

MEmento Domine David : & omnis mansuetudinis ejus.

2 Sicut juravit Domino : votum vovit Deo Jacob.

3 Si introiero in tabernaculum domûs meæ : si ascendere in lectum strati mei.

4 Si dedero somnum oculis meis : & palpebris meis dormitationem.

5 Et requiem temporibus meis : donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.

6 Ecce audivimus eam in Ephrata : invenimus eam in campis sylvæ.

7 Introibimus in tabernaculum ejus: adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus.

8 Surge Domine in requiem tuam: tu & arca ſanctificationis tuæ.

9 Sacerdotes tui induantur juſtitiam: & ſancti tui exultent.

10 Propter David ſervum tuum: non avertas faciem Chriſti tui.

11 Juravit Dominus David veritatem; & non fruſtrabitur eum: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

12 Si cuſtodierint filii tui teſtamentum meum: & teſtimonia mea hæc quæ docebo eos.

13 Et filii eorum uſque in ſæculum: ſedebunt ſuper ſedem tuam.

14 Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem ſibi.

15 Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo quoniam elegi eam.

16 Viduam ejus benedicens benedicam: pauperes ejus ſaturabo panibus.

17 Sacerdotes ejus induam ſalutari: & ſancti ejus exultatione exultabunt.

18 Illuc producam cornu David: paravi lucernam chriſto meo.

19 Inimicos ejus induam confuſione: ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.

Pſal. *Lat.* 132. *Heb.* 133.

ECce quàm bonum & quàm jucundum: habitare fratres in unum.

2 Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam: barbam Aaron.

3 Quod deſcendit in oram veſtimenti ejus: ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.

4 Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem: & vitam uſque in ſæculum.

Pſal. *Lat.* 133. *Heb.* 134.

ECce nunc benedicite Dominum: omnes ſervi Domini.

2 Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domûs Dei noſtri.

3 In noctibus extollite manus veſtras in ſancta: & benedicite Dominum.

4 Benedicat te Dominus ex Sion: qui fecit cœlum & terram.

Pſal. *Lat.* 134. *Heb.* 135.

LAudate nomen Domini: laudate ſervi Dominum.

2 Qui ſtatis in domo Domini: in atriis domûs Dei noſtri.

3 Laudate Dominum quia bonus Dominus: pſallite nomini ejus, quoniam ſuave.

4 Quoniam Jacob elegit ſibi Dominus: Iſrael in poſſeſſionem ſibi.

5 Quia ego cognovi quòd magnus eſt Dominus: & Deus noſter præ omnibus diis.

6 Omnia quæcunque voluit Dominus fecit, in cœlo & in terra: in mari, & in omnibus abyſſis.

7 Educens nubes ab extremo terræ: fulgura in pluviam fecit.

8 Qui

8 Qui producit ventos de thesauris suis: qui percussit primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus.

9 Et misit signa & prodigia in medio tui Ægypte: in Pharaonem & in omnes servos ejus.

10 Qui percussit gentes multas: & occidit reges fortes.

11 Seon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan: & omnia regna Chanaan.

12 Et dedit terram eorum hæreditatem: hæreditatem Israel populo suo.

13 Domine nomen tuum in æternum: Domine memoriale tuum in generatione & generationem.

14 Quia judicabit Dominus populum suum: & in servis suis deprecabitur.

15 Simulacra gentium argentum, & aurum: opera manuum hominum.

16 Os habent & non loquentur: oculos habent & non videbunt.

17 Aures habent & non audient: neque enim est spiritus in ore ipsorum.

18 Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.

19 Dominus Israel benedicite Domino: domus Aaron benedicite Domino.

20 Domus Levi benedicite Domino: qui timetis Dominum benedicite Domino.

21 Benedictus Dominus ex Sion: qui habitat in Jerusalem.

VESPERT.

Psal. *Lat.* 135. *Heb.* 136.

CONfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia ejus.

2 Confitemini Deo deorum: quoniam in æternum misericordia ejus.

3 Confitemini Domino dominorum: quoniam in æternum misericordia ejus.

4 Qui fecit mirabilia magna solus: quoniam in æternum misericordia ejus.

5 Qui fecit cœlos in intellectu: quoniam in æternum misericordia ejus.

6 Qui firmavit terram super aquas: quoniam in æternum misericordia ejus.

7 Qui fecit luminaria magna: quoniam in æternum misericordia ejus.

8 Solem in potestatem diei: quoniam in æternum misericordia ejus

9 Lunam & stellas in potestatem noctis: quoniam in æternum misericordia ejus.

10 Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum: quoniam in æternum misericordia ejus.

11 Qui eduxit Israel de medio eorum: quoniam in æternum misericordia ejus.

12 In manu potenti & brachio excelso: quoniam in æternum misericordia ejus.

13 Qui divisit mare rubrum in divisiones: quoniam in æternum misericordia ejus.

14 Et eduxit Israel per medium ejus: quoniam in æternum misericordia ejus.

15 Et excussit Pharaonem & virtutem ejus in mari rubro : quoniam in æternum misericordia ejus.

16 Qui traduxit populum suum per desertum : quoniam in æternum misericordia ejus.

17 Qui percussit reges magnos : quoniam in æternum misericordia ejus

18 Et occidit reges fortes : quoniam in æternum misericordia ejus.

19 Seon regem Amorrhæorum : quoniam in æternum misericordia ejus.

20 Et Og regem Basan : quoniam in æternum misericordia ejus.

21 Et dedit terram eorum hæreditatem : quoniam in æternum misericordia ejus.

22 Hæreditatem Israel servo suo : quoniam in æternum misericordia ejus.

23 Quia in humilitate nostra memor fuit nostri : quoniam in æternum misericordia ejus.

24 Et redimit nos ab inimicis nostris : quoniam in æternum misericordia ejus.

25 Qui dat escam omni carni : quoniam in æternum misericordia ejus.

26 Confitemini Deo cœli : quoniam in æternum misericordia ejus.

27 Confitemini Domino dominorum : quoniam in æternum misericordia ejus.

Psal. *Lat.* 136. *Heb.* 137.

SUper flumina Babylonis illic sedimus & flevimus : cùm recordaremur Sion.

2 In salicibus in medio ejus : suspendimus organa nostra.

3 Quia illic interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos : verba cantionum.

4 Et qui adduxerunt nos : hymnum cantate nobis de canticis Sion.

5 Quomdoo cantabimus canticum Domini : in terra aliena ?

6 Si oblitus fuero tui Jerusalem : oblivioni detur dextera mea.

7 Adhæreat lingua mea faucibus meis : si non meminero tui.

8 Si non proposuero Jerusalem : in principio lætitiæ meæ.

9 Memor esto Domine filiorum Edom : in die Jerusalem.

10 Qui dicunt, Exinanite, exinanite : usque ad fundamentum in ea.

11 Filia Babylonis misera : beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.

12 Beatus qui tenebit : & allidet parvulos tuos ad petram.

Psal. *Lat.* 137. *Heb.* 138.

COnfitebor tibi Domine in toto corde meo : quoniam audisti verba oris mei.

2 In conspectu Angelorum psallam tibi : adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

3 Super misericordia tua & veritate tua : quoniam magnificâsti super omne nomen sanctum tuum.

4 In quacunque die invocavero te, exaudi me : multiplicabis in anima mea virtutem.

5 Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ : quia audierunt omnia verba oris tui.

6 Et cantent in viis Domini : quoniam magna eſt gloria Domini.

7 Quoniam excelſus Dominus : & humilia reſpicit ; & alta à longe cognoſcit.

8 Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me ! & ſuper iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam, & ſalvum me fecit dextera tua.

9 Dominus retribuet pro me : Domine miſericordia tua in ſæculum, opera manuum tuarum ne deſpicias.

MATUT.

Pſal. *Lat.* 138. *Heb.* 139.

DOmine probâſti me, & cognoviſti me : tu cognoviſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam.

2 Intellexiſti cogitationes meas de longé : ſemitam meam & funiculum meum inveſtigâſti.

3 Et omnes vias meas prævidiſti : quia non eſt ſermo in lingua mea.

4 Ecce tu Domine cognoviſti omnia, noviſſima & antiqua : tu formâſti me & poſuiſti ſuper me manum tuam.

5 Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me : confortata eſt, & non potero ad eam.

6 Quò ibo à ſpiritu tuo ? Et quo à facie tua fugiam ?

7 Si aſcendero in cœlum tu illic es : ſi deſcendero in infernum ades.

8 Si ſumpſero pennas meas diluculó : & habitavero in extremis maris.

9 Etenim illuc manus tua deducet me : & tenebit me dextera tua.

10 Et dixi, Forſitan tenebræ conculcabunt me : & nox illúminatio mea in deliciis meis.

11 Quia tenebræ non obſcurabuntur à te : & nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ ita & lumen ejus.

12 Quia tu poſſediſti renes meos : ſuſcepiſti me de utero matris meæ.

13 Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es : mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit nimis.

14 Non eſt occultatum os meum à te quod feciſti in occulto : & ſubſtantia mea in inferioribus terræ.

15 Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur : dies formabuntur & nemo in eis.

16 Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus : nimis confortatus eſt principatus eorum.

17 Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur : exurrexi, & adhuc ſum tecum.

18 Si occideris Deus peccatores : viri ſanguinum declinate à me.

19 Quia dicitis in cogitatione : accipient in vanitate civitates tuas.—

20 Nonne qui oderunt te Domine oderam : & ſuper inimicos tuos tabeſcebam ?

21 Perfecto odio oderam illos: inimici facti sunt mihi.

22 Proba me Deus, & scito cor meum: interroga me, & cognosce semitas meas.

23 Et vide si via iniquitatis in me est: & deduc me in via æterna.

Psal. *Lat* 139. *Heb.* 140.

ERipe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me.

2 Qui cogitaverunt iniquitates in corde: totâ die constituebant prælia.

3 Acuerunt linguas suas sicut serpentis: venenum aspidum sub labiis eorum.

4 Custodi me Domine de manu peccatoris: & ab hominibus iniquis eripe me.

5 Qui cogitaverunt supplantare gressus meos: absconderunt superbi laqueum mihi.

6 Et funes extenderunt in laqueum: juxta iter scandalum posuerunt mihi.

7 Dixi Domine ô Deus meus es tu: exaudi Domine vocem deprecationis meæ.

8 Domine Deus virtus salutis meæ: obumbrasti super caput meum in die belli.

9 Non tradas me Domine à desiderio meo peccatori, cogitaverunt contra me: ne derelinquas me, ne forte exaltentur.

10 Caput circuitus eorum: labor labiorum ipsorum operiet eos.

11 Cadent super eos carbones: in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent.

12 Vir linguosus non dirigetur in terra: virum injustum mala capient in interitu.

13 Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum.

14 Veruntâmen justi confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo.

Psal. *Lat.* 140. *Heb.* 141.

DOmine clamavi ad te, exaudi me: intende voci meæ cùm clamavero ad te.

2 Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

3 Pone Domine custodiam ori meo: & ostium circumstantiæ labiis meis.

4 Non declines cor meum in verba malitiæ: ad excusandas excusationes in peccatis.

5 Cum hominibus operantibus iniquitatem: & non communicabo cum electis eorum.

6 Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

7 Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum: absorpti sunt juncti petræ judices eorum.

8 Audient verba mea quoniam potuerunt: sicut crassitudo terræ erupta est super terram.

9 Dissipata sunt ossa nostra secus infernum: quia ad te Domine, Domine oculi mei, in te speravi, non auferas animam meam.

10 Custodi me à laqueo quem statuerunt mihi: & a scandalis operantium iniquitatem.

11 Cadent in reticulo ejus peccatores: singulariter sum ego donec transeam.

VESPERT.

Psal. *Lat.* 141. *Heb.* 142.

VOce meâ ad Dominum clamavi: voce meâ ad Dominum deprecatus sum.

2 Effundo in conspectu ejus orationem meam: & tribulationem meam ante ipsum pronuncio.

3 In deficiendo ex me spiritum meum: & tu cognovisti semitas meas.

4 In via hac qua ambulabam: absconderunt laqueum mihi.

5 Considerabam ad dexteram, & videbam: & non erat qui cognosceret me.

6 Periit fuga à me: & non est qui requirat animam meam.

7 Clamavi ad te Domine: dixi, Tu es spes mea: portio mea in terra viventium.

8 Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum nimis.

9 Libera me à persequentibus me: quia confortati sunt super me.

10 Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo: me expectant justi, donec retribuas mihi.

Psal. *Lat.* 142. *Heb.* 143.

DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam: in veritate tua exaudi me in tua justitia.

2 Et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

3 Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

4 Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi, & anxiatus est super me spiritus meus: in me turbatum est cor meum.

5 Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

6 Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

7 Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.

8 Non avertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum.

9 Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speravi.

10 Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

11 Eripe me de inimicis meis, Domine ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

12 Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua.

13 Educe, de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes inimicos meos.

14 Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

MATUT.

Psal. *Lat.* 143. *Heb.* 144.

BEnedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium: & digitos meos ad bellum.

2 Mi-

2 Misericordia mea & refugium meum : susceptor meus & liberator meus.

3 Protector meus, & in ipso speravi : qui subdit populum meum sub me.

4 Domine quid est homo quia innotuisti ei ? Aut filius hominis quia reputas eum ?

5 Homo vanitatis similis factus est : dies ejus sicut umbra prætereunt.

6 Domine inclina cœlos tuos, & descende : tange montes & fumigabunt.

7 Fulgura coruscationem, & dissipabis eos : emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.

8 Emitte manum tuam de alto, eripe me & libera me de aquis multis : & de manu filiorum alienorum.

9 Quorum os loquutum est vanitatem : & dextera eorum dextera iniquitatis.

10 Deus canticum novum cantabo tibi : in psalterio decachordo psallam tibi.

11 Qui das salutem regibus : qui redemisti David servum tuum, de gladio maligno eripe me.

12 Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os loquutum est vanitatem : & dextera eorum dextera iniquitatis.

13 Quorum filii sicut novellæ plantationes : in juventute sua.

14 Filiæ eorum compositæ circumornatæ ut similitudo templi.

15 Promptuaria eorum plena : eructantia ex hoc in illud.

16 Oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis : boves eorum crassa.

17 Non est ruina maceriæ neque transitus : neque clamor in plateis eorum.

18 Beatum dixerunt populum cui hæc sunt : beatus populus cujus Dominus Deus ejus.

Psal. *Lat.* 144. *Heb.* 145.

EXaltabo te Deus meus rex : & benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

2 Per singulos dies benedicam tibi : & laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

3 Magnus Dominus, & laudabilis nimis : & magnitudinis ejus non est finis.

4 Generatio & generatio laudabunt opera tua : & potentiam tuam pronunciabunt.

5 Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt.

6 Et virtutem terribilium tuorum dicent : & magnitudinem tuam narrabunt.

7 Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt : & justitiâ tuâ exultabunt.

8 Miserator & misericors Dominus : patiens & multum misericors.

9 Suavis Dominus universis : & miserationes ejus super omnia opera ejus.

10 Confiteantur tibi Domine omnia opera tua : & sancti tui benedicant tibi.

11 Gloriam regni tui dicent : & potentiam tuam loquentur.

12 Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam : & gloriam magnificentiæ regni tui.

13 Regnum tuum regnum omnium sæculorum: & dominatio tua in omni generatione & generationem.

14 Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: & sanctus in omnibus operibus suis.

15 Allevat Dominus omnes qui corruunt: & erigit omnes elisos.

16 Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das escam illorum in tempore opportuno.

17 Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione.

18 Justus Dominus in omnibus viis suis: & sanctus in omnibus operibus suis.

19 Prope est Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate.

20 Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & salvos faciet eos.

21 Custodit Dominus omnes diligentes se: & omnes peccatores disperdet.

22 Laudationem Domini loquetur os meum: & benedicat omnis caro nomini sancto ejus in sæculum & in sæculum sæculi.

Psal. *Lat.* 145. *Heb.* 146.

LAuda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea: psallam Deo meo quàmdiu fuero.

2 Nolite confidere in principibus: in filiis hominum in quibus non est salus.

3 Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

4 Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus: spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt.

5 Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patientibus: dat escam esurientibus.

6 Dominus solvit compeditos: Dominus illuminat cæcos.

7 Dominus erigit elisos: Dominus diligit justos.

8 Dominus custodit advenas, pupillum, & viduam suscipiet: & vias peccatorum disperdet.

9 Regnavit Dominus in sæcula: Deus tuus Sion, in generationem & generationem.

VESPERT.

Psal. *Lat.* 146. *Heb.* 147.

LAudate Dominum quoniam bonus est psalmus: Deo nostro sit jucunda decoraque laudatio.

2 Ædificans Jerusalem Dominus: dispersiones Israelis congregabit.

3 Qui sanat contritos corde: & alligat contritiones eorum.

4 Qui numerat multitudinem stellarum: & omnibus eis nomina vocat.

5 Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus: & sapientiæ ejus non est numerus.

6 Suscipiens mansuetos dominus: humilians autem peccatores usque ad terram.

7 Præcinite Domino in confessione: psallite Deo nostro in cithara.

8 Qui operit cœlum nubibus & parat terræ pluviam.

9 Qui producit in montibus fœ-

fœnum: & herbam servituti hominum.

10 Qui dat jumentis escam ipsorum: & pullis corvorum invocantibus eum.

11 Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.

12 Beneplacitum est Domino super timentes eum: & in eis qui sperant super misericordia ejus.

13 Lauda Jerusalem Dominum: lauda Deum tuum Sion.

Psal. *Lat.* 147.

14 Quoniam confortavit seras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te.

15 Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te.

16 Qui emittit eloquium suum terræ: velociter currit sermo ejus.

17 Qui dat nivem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit.

18 Mittit chrystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

19 Emittit verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus ejus, & fluent aquæ.

20 Qui annunciat verbum suum Jacob: justitias & judicia sua Israel.

21 Non fecit taliter omni nationi: & judicia sua non manifestavit eis.

PSAL. 148.

LAudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelsis.

2 Laudate eum omnes Angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus.

3 Laudate eum sol & luna: laudate eum omnes stellæ & lumen.

4 Laudate eum cœli cœlorum: & aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.

5 Quia ipse dixit & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.

6 Statuit ea in æternum & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit.

7 Laudate Dominum de terra: dracones & omnes abyssi.

8 Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum ejus.

9 Montes, & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.

10 Bestiæ & universa pecora: serpentes & volucres pennatæ.

11 Reges terræ & omnes populi: principes & omnes judices terræ.

12 Juvenes & virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum est nomen ejus solius.

13 Confessio ejus super cœlum & terram: & exaltavit cornu populi sui.

14 Hymnus omnibus sanctis ejus: filiis Israel populo appropinquanti sibi.

PSAL. 149.

CAntate Domino canticum novum: laus ejus in Ecclesia sanctorum.

2 Lætetur Israel in eo qui fecit eum: & filii Sion exultent in rege suo.

3 Laudent nomen ejus in choro: in tympano & psalterio psallant ei.

4 Quia

4 Quia beneplacitum est Domino in populo suo : & exaltabit mansuetos in salutem.

5 Exultabunt sancti in gloria : lætabuntur in cubilibus suis.

6 Exultationes Dei in gutture eorum : & gladii ancipites in manibus eorum.

7 Ad faciendam vindictam in nationibus : increpationes in populis.

8 Ad alligandos reges eorum in compedibus : & nobiles eorum in manicis ferreis.

9 Ut faciant in eis judicium conscriptum : gloria hæc est omnibus sanctis ejus.

PSAL. 150.

LAudate Dominum in sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus.

2 Laudate eum in virtutibus ejus : laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

3 Laudate eum in sono tubæ : laudate eum in psalterio & cithara.

4 Laudate eum in tympano & choro : laudate eum in chordis & organo.

5 Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis : omnis spiritus laudet Dominum.

FOR-

FORMULÆ PRECUM
IN USUM
NAVIGANTIUM.

¶ *Officium Matutinum & Veſpertinum in uſum Navigantium, idem erit cum eo quod habetur in Libro precum Publicarum.*

¶ *Duarum quoque ſequentium Precationum in Regiis Navibus quotidianus uſus erit.*

O Æterne Deus qui ſolus expandis Cœlos, & æſtum Maris compeſcis: qui aquas certis limitibus circumſcripſiſti, donec dies & nox non ſint amplius; dignare nos famulos tuos una cum Claſſe cui operam noſtram navamus, in omnipotentem & clementiſſimam tutelam tuam recipere. Nos tutos præſta à periculo maris & ab hoſtium violentia; ut ſimus præſidium clementiſſimo Regi noſtro *WILLIELMO* & Regnis ſuis; & tutamen Navigantium ad procuranda negotia ſua legitima; ut inſulæ noſtræ Incolæ tibi Deo noſtro in pace & quiete ſervire queant, nos vero redeamus incolumes, benedictiones terræ, & laborum noſtrorum fructus percepturi, & gratâ memoriâ miſerationes tuas recolentes, laudemus & glorificemus ſanctum Nomen tuum, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Collecta.

ACTiones noſtras ſingulas Domine clementiſſime tuo favore præveni, & perpetuo auxilio proſequere, ut in omnibus operibus noſtris in te incœptis, continuatis & finitis, ſanctum Nomen tuum glorificemus, & tandem miſeratione tuâ vitam æternam conſequamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Precationes in Maris Procellis à Navigantibus uſurpandæ.*

O Potentiſſime & glorioſiſſime Domine Deus, quo jubente venti flant, & undas Maris commovent; quique illius ſerventem æſtum cohibes, nos Creaturæ tuæ, & miſeri peccatores, ad te clamamus opem tuam implorantes in ſummis quibus urgemur anguſtiis: ſerva Domine, alioqui perimus. Confitemur nos tui Dei noſtri oblitos, dum in tuto navigaremus, & tranquilla omnia haberemus; & verbi tui pacatam vocem audire, & mandatis tuis obſequi noluiſſe. Jam verò quàm terribilis ſis in cunctis mirabilibus tuis perſpectum habemus, ſummus Deus ſupra omnia tremendus: Ideóque divinam Majeſtatem tuam adoramus,

ramus, potentiam tuam agnoſcentes, & bonitatis tuæ opem implorantes. Adeſto Domine, & ſerva nos propter miſericordiam tuam in Jeſu Chriſto Filio tuo Domino noſtro. *Amen.*

¶ *Aut hæc.*

O Glorioſiſſime & clementiſſime Domine Deus, qui in cœlis habitas, ſed inferiora hæc omnia intueris, Reſpice nos, quæſumus, & exaudi nos ad te clamantes de profundis, & de faucibus mortis hujus jamjam nos vocaturæ. Serva Domine, alioqui perimus, vivens, vivens ipſe confitebitur tibi. Mitte vocem mandati tui ad corripiendum ſævientes ventos, & tamultuans Mare, ut his anguſtiis liberi vivamus tibi ſerviturí, & nomen tuum glorificemus omnibus diebus vitæ noſtræ. Exaudi Domine & ſerva nos, propter infinita merita Servatoris ac Domini noſtri benedicti Filii tui Jeſu Chriſti. *Amen.*

¶ *Precatio dicenda ante commiſſum navale prælium cum quovis hoſte.*

O Potentiſſime & glorioſiſſime Domine Deus, Domine exercituum qui omnia regis & Imperio tuo ſubjicis; ſedes ſuper ſolio rectè judicans; ideóque ad divinam tuam Majeſtatem confugimus in hac noſtra neceſſitate, ut ipſe velis cauſam cognoſcere & judicare inter nos & hoſtes noſtros. Excita virtutem tuam Domine, adeſto & adjuva nos; quia non ſemper iis victoriam tribuis, qui viribus præſtant, ſed ſervare potes ſeu magno ſeu parvo numero. Ne ſinas peccata noſtra clamorem attollere contra nos ad vindictam, ſed nos miſeros famulos tuos veniam ſupplíciter exorantes, & opem implorantes, exaudias, ſiſque nobis propugnaculum à facie Inimici. Oſtende te noſtrum eſſe Servatorem & potentem liberatorem, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Breves quædam Orationes in uſum eorum qui non poſſunt præſentes adeſſe & intereſſe cæterorum Precibus, prohibente Prælio, aut Tempeſtate.*

¶ *Precationes Generales.*

DOmine miſerere noſtri peccatorum, & ſerva nos propter miſericordiam tuam.

Tu ille magnus Deus, qui condidiſti, quique tegis univerſa: ô libera nos propter Nomen tuum.

Tu magnus ille Deus, ſupra omnia tremendus: ô ſerva nos ut te celebremus.

¶ *Speciales Precationes habito reſpectu ad hoſtem.*

TU Dominus juſtus es ac potens; ô tuere cauſam noſtram à facie Inimici.

O Deus turris fortitudinis omnibus qui ad te confugiunt; ſerva nos à violentia hoſtis.

O Domine exercituum, pugna pro nobis, ut tibi gloriam tribuamus.

Ne patere nos ſub pondere peccatorum noſtrorum & hoſtium violentiæ demergi.

Surge ô Domine, adjuva nos, & libera nos propter Nomen tuum.

¶ *Breves*

¶ *Breves Precationes reſpectu habito ad tempeſtatem.*

TU Domine qui maris æſtum ſævientem ſedas, audi, exaudi, ac ſerva nos, ne pereamus.

O benedicte ſervator, qui ſervaſti diſcipulos tuos in media tempeſtate jamjam perituros, audi & ſerva nos quæſumus.

Domine miſerere noſtri.
Chriſte miſerere noſtri.
Domine miſerere noſtri.
Domine exaudi nos.
Chriſte exaudi nos.

Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus miſereatur noſtri, & ſervet nos nunc & ſemper. *Amen.*

PAter noſter, *&c.* Quia tuum eſt regnum, potentia & gloria in ſæcula ſæculorum.

¶ *Imminente periculo, quatquat à nauticis laboribus abſque Navis periculo vacare poterunt, ii convocabuntur omnes, & peccatorum ſuorum humilem edent Confeſſionem coram Deo: In qua unuſquiſque ſerio attendat, ad ſingula ea peccata quarum accuſabit eum Conſcientia, dicens prout ſequitur.*

OMnipotens Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, rerum omnium Conditor, hominum omnium Judex, confitemur ac deploramus multiplicia peccata & ſcelera noſtra, quæ toties flagitioſè admodum commiſimus, cogitatione, verbo, & opere contra divinam tuam Majeſtatem, iram atque indignationem tuam adverſus nos juſtiſſimè provocantes. Serio nos pœnitet, & ex animo dolemus ob ejuſmodi delicta noſtra; eorum recordatio nobis acerba eſt, onus autem intolerabile. Miſerere noſtri, miſerere noſtri, Pater ſummè miſericors; propter Filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum præteritorum omnium veniam concede: Da etiam ut in poſterum ſemper tibi ſerviamus & placeamus in novitate vitæ; ad Nominis tui honorem & gloriam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum Presbyter, ſi ullus adſit in Navi, hanc abſolutionem pronunciabit.*

OMnipotens Deus, Pater noſter cœleſtis qui ex ſumma miſericordia peccatorum remiſſionem promiſit iis omnibus qui ſeriò atque ex animo pœnitentes cum vera fide ad eum ſe convertunt, veſtri miſereatur, peccata veſtra vobis omnia condonet, ab iiſque vos liberet, vos confirmet & roboret in omni bono voſque perducat ad vitam æternam per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Gratiarum Actiones poſt Tempeſtatem.

PSAL. 66.

JUbilate Deo omnis terra, pſalmum dicite nomine ejus: date gloriam laudi ejus.

Dicite Deo, Quam terribilia ſunt opera tua Domine? In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, & pſallat tibi: pſalmum dicat nomini tuo.

Venite

Venite & videte opera Dei: terribilis in conſiliis ſuper filios hominum.

Qui convertit mare in aridam, in flumine pertranſibunt pede: ibi lætabimur in ipſo.

Qui dominatur in virtute ſua in æternum, oculi ejus ſuper gentes reſpiciunt: qui exaſperant, non exaltentur in ſemetipſis.

Benedicite gentes Deum noſtrum: & auditam facite vocem laudis ejus.

Qui poſuit animam meam ad vitam: & non dedit in commotionem pedes meos.

Quoniam probâſti nos Deus: igne nos examinâſti, ſicut examinatur argentum.

Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro: impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.

Tranſivimus per ignem & aquam: & eduxiſti nos in refrigerium.

Introibo in domum tuam in holocauſtis: reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.

Et locutum eſt os meum: in tribulatione mea.

Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum: offeram tibi boves cum hircis.

Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum: quanta fecit animæ meæ.

Ad ipſum ore meo clamavi: & exaltavi ſub lingua mea.

Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo: non exaudiet Dominus.

Propterea exaudivit Deus: & attendit voci deprecationis meæ.

Benedictus Deus: qui non amovit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me.

Gloria Patri, &c.

PSAL. 107.

COnfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

Dicant qui redempti ſunt à Domino, quos redemit de manu inimici: & de regionibus congregavit eos.

A ſolis ortu & occaſu: ab Aquilone & mari.

Erraverunt in ſolitudine in inaquoſo: viam civitatis habitaculi non invenerunt.

Eſurientes & ſitientes: anima eorum in ipſis defecit.

Et clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur: & de neceſſitatibus eorum eripuit eos.

Et deduxit eos in viam rectam: ut irent in civitatem habitationis.

Confiteantur Domino miſericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum.

Quia ſatiavit animam inanem: & animam eſurientem ſatiavit bonis.

Sedentes in tenebris & umbra mortis: vinctus in mendicitate & ferro.

Quia exacerbaverunt eloquia Dei: & conſilium Altiſſimi irritaverunt.

Et humiliatum eſt in laboribus cor eorum: infirmati ſunt, nec fuit qui adjuvaret.

Et clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur: & de neceſſitatibus eorum liberavit eos.

Et eduxit eos de tenebris & umbra mortis: & vincula eorum diſrupit.

Confiteantur Domino miſericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum.

Quia contrivit portas æreas: & vectes ferreos confregit.

Suſcepit

Suſcepit eos de via iniquitatis eorum: propter injuſtitias enim ſuas humiliati ſunt.

Omnem eſcam abominata eſt anima eorum: & appropinquaverunt uſque ad portas mortis.

Et clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur: & de neceſſitatibus eorum liberavit eos.

Miſit verbum ſuum & ſanavit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum.

Confiteantur Domino miſericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum.

Et ſacrificent ſacrificium laudis: & annuncient opera ejus in exultatione.

Qui deſcendunt mare in navibus: facientes operationem in aquis multis.

Ipſi viderunt opera Domini: & mirabilia ejus in profundo.

Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ: & exaltati ſunt fluctus ejus.

Aſcendunt uſque ad cœlos, & deſcendunt uſque ad abyſſos: anima eorum in malis tabeſcebat.

Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius: & omnis ſapientia eorum devorata eſt.

Et clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur: & de neceſſitatibus eorum eduxit eos.

Et ſtatuit procellam ejus in auram: & ſiluerunt fluctus ejus.

Et lætati ſunt quia ſiluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorum.

Confiteantur Domino miſericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum.

Et exultent eum in Eccleſia plebis: & in cathedra ſeniorum laudent eum.

Poſuit flumina in deſertum: & exitus aquarum in ſitim.

Terram fructiferam in ſalſuginem: à malitia inhabitantium in ea.

Poſuit deſertum in ſtagna aquarum: & terram ſine aqua in exitus aquarum.

Et collocavit illic eſurientes: & conſtituerunt civitatem habitationis.

Et ſeminaverunt agros, & plantaverunt vineas: & fecerunt fructus nativitatis.

Et benedixit eis, & multiplicati ſunt nimis: & jumenta eorum non minoravit.

Et pauci facti ſunt: & vexati ſunt à tribulatione malorum & dolore.

Effuſa eſt contemptio ſuper principes: & errare fecit eos in invio, & non in via.

Et adjuvit pauperem de inopia: & poſuit ſicut oves familias.

Videbunt recti & lætabuntur: & omnis iniquitas oppilabit os ſuum.

Quis ſapiens, & cuſtodiet hæc: intelliget miſericordias Domini?

Gloria Patri, *&c.*

Sicut erat in principio, *&c.*

Collecta pro Gratiarum Actione.

O Summum benedicte & glorioſiſſime Domine Deus, bonitatis & miſericordiæ infinitæ, nos viles tuæ Creaturæ, quas condidiſti & conditas ſervaſti, animas noſtras ſuſtentans, & jam nos eripiens e faucibus mortis, præſentes denuo adſumus magna cum animi demiſſione coram divina tua Majeſtate, ut offeramus tibi ſacrificium laudis & Gratiarum Actionis, quoniam odiſti nos in adverſis clamantes, & oratio-

nem

pem noſtram non rejeciſti quam effudimus coram te in magnis anguſtiis noſtris; etiam cùm omnia periiſſe crederemus, Navem, bona, nos ipſos, tunc miſericorditer nos reſpexiſti, & nos mirandum in modum liberatos voluiſti, pro quibus jam in tuto collocati omnimodam laudem ac gloriam ſancto Nomini tuo tribuimus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Aut hoc.*

O Potentiſſime & clementiſſime Domine Deus, miſericordia tua durat in ſæcula ſuper omnia opera tua; eam verò præcipue ſuper nos extendiſti, quos adeo potenter ac mirabiliter defendiſti. Oſtendiſti terribilia ac mirabilia nobis in profundo, ut compertum haberemus quàm fis Deus fortis ac benignus; quam potens paratùſque ad adjuvandum eos qui in te confidunt. Manifeſtum nobis feciſti ventos etiam & mare imperio tuo ſubjici & mandatis obſequi; ut ab iis etiam diſcamus auſcultare voci tuæ & facere voluntatem tuam. Itaque nomini tuo benedicimus, & gloriam tribuimus propter hanc miſericordiam tuam in nobis ſervandis, qui tantum non periimus. Fac etiam quæſumus, ut accepti beneficii ſenſu non minus jam afficiamur, quàm pridem commoti fuimus periculo. Et da nobis corda ſemper parata ad teſtandam gratitudinem, non verbis modò ſed etiam vivendi ratione, & ſanctorum mandatorum tuorum diligentiori obſervatione. Hanc benignitatem tuam quæſumus erga nos perpetuam eſſe velis, ut quos ſalvos feciſti, tibi in ſanctitate & juſtitia ſerviamus omnibus diebus vitæ noſtræ, per Jeſum Chriſtum, & Servatorem noſtrum. *Amen.*

¶ *Hymnus Laudis & Gratiarum Actionis poſt periculoſum Tempeſtatem.*

VEnite confitemini Domino quia bonus eſt: & in ſæculum miſericordia ejus.

Magnus Dominus & laudabilis nimis, dicant qui redempti ſunt à Domino: quos redemit ab immani rabie maris.

Miſerator & miſericors Dominus: longanimis & multum miſericors.

Non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis: neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuit nobis.

Quoniam ſecundùm altitudinem cœli à terra: corroboravit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe.

Tribulationem & dolorem invenimus: appropinquavimus uſque ad portas mortis.

Undæ maris propè nos operuerant: propè pertranſiit anima noſtra aquam intolerabilem.

Sonuit mare: & ſpiritus procellæ exaltabit fluctus ejus.

Aſcendimus uſque ad Cœlos, & deſcendimus uſque ad abyſſos: anima noſtra in malis tabeſcebat.

Et clamavimus ad te Domine: & de neceſſitatibus noſtris eduxiſti nos.

Benedictum ſit nomen tuum, qui non ſpreviſti precem ſervorum: ſed audiviſti clamorem noſtrum & ſalvaſti nos.

Emiſiſti verbum tuum: & ſtatuiſti procellam in oram.

Confiteantur Domino miſeri-

cordiæ

cordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum.

Laudetur Dominus totâ die: Dominus adjutor noſter qui infundit bona ſua ſuper nos.

Ipſe Deus noſter à quo ſalutare noſtrum: Dominus Deus per quem morti excepti fuimus.

Tu Deus lætificaſti nos operibus manuum tuarum: & in laude tua exultabimus:

Benedictus Dominus Deus: qui facit mirabilia ſolus.

Et benedictum nomen Majeſtatis ejus in æternum: & dicat unuſquiſque noſtrûm. *Amen,* ¶ *Amen.*

Gloria Patri, *&c.*

2 *Cor.* xiij. 14.

GRatia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus, ſit cum omnibus nobis, nunc & ſemper. *Amen.*

Poſt reportatam Victoriam & ab hoſte liberationem.

¶ *Pſalmus aut Hymnus laudis ac Gratiarum Actionis poſt Victoriam.*

NIſi quia Dominus erat in nobis dicamus nunc: niſi quia Dominus erat in nobis, cùm exurgerent homines in nos.

Vivos deglutiſſent nos: cum iraſceretur furor eorum in nos.

Imò aqua abſorbuiſſet nos, torrentem pertranſiſſet anima noſtra: pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem.

Benedictus Dominus Deus: qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Dominus erexit: cornu ſalutis nobis.

Nec enim in gladio noſtro vicimus, & brachium noſtrum non ſalvavit nos: ſed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuiſti in nobis.

Stetit à nobis Dominus: Deus cooperuit capita noſtra, & ſuſtentavit in prælio.

Stetit à nobis Dominus: Dominus proſtravit inimicos noſtros, & confregit inſurgentes in nos.

Non nobis igitur Domine, non nobis: ſed Nomini tuo da gloriam.

Fecit nobis magna Dominus: Dominus fecit nobis magna, in quibus lætamur.

Adjutorium noſtrum in Nomine Domini: qui fecit cœlum & terram.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Finito hoc Hymno, poterit cantare,* Te Deum.

Dein hæc Collecta.

OMnipotens Deus, totius Orbis Moderator, in cujus manu ſunt potentia & virtus quibus nemo poteſt reſiſtere, Benedicimus & magnificamus magnum & glorioſum Nomen tuum ob felicem hanc victoriam cujus gloriam totam tibi tribuimus, qui unicus es victoriarum largitor. Da etiam quæſumus, ut hâc victoriâ utamur ad gloriam tuam, Evangelii tui incrementum, Principis noſtri honorem, & quantum quidem in nobis eſt, ad totius generis humani utilitatem

&

& commodum. Inſuper concede quæſumus, ut tanti beneficii memoria mentibus noſtris adeo infixa hæreat, ut verè gratos nos ob illud præbeamus, idque teſtatum faciamus vitâ & moribus, humiliter, ſanctè & obſequenter in conſpectu tuo ambulando omnibus diebus noſtris, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: cui unà tecum & cum Spiritu ſancto, pro omnibus beneficiis tuis, præſertim verò pro hâc victoria ac liberatione, ſit omnis gloria & honor in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

2 *Cor.* xiij. 14.

GRatia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus, ſit cum omnibus nobis, nunc & ſemper. *Amen.*

In Funeribus mortuorum inter Navigandum.

¶ *Officium Liturgiæ Sacræ poterit uſurpari; Si ſolummodò pro his verbis* (Mortuum ejus Corpus humo mandamus, *&c.*) *dicatur.*

Itaque mortuum ejus corpus profundo corrumpendum mandamus, carnis Reſurrectionem, (quum Mare reddet mortuos ſuos) & vitam futuri ſæculi expectantes, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui cùm venturus eſt, reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundùm operationem virtutis ſuæ quâ etiam poſſit ſubjicere ſibi omnia.

FORMA & MODUS

Faciendi, Ordinandi, & Conſecrandi

Epiſcopos, Presbyteros, ac *Diaconos;*

JUXTA RITUM

ECCLESIÆ ANGLICANÆ.

PRÆFATIO.

CUivis ſacras Scripturas & veteres Scriptores accuratè perlegenti perſpicuum eſt, jam inde à temporibus Apoſtolorum varios in Eccleſiâ Chriſti Miniſtrorum Ordines extitiſſe, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos. *Quæ quidem Munia tanti ſemper tamque reverenter habita ſunt, ut nemini tanquam jus faſve fuerit ulli eorum ſe immiſcere niſi prius vocato, examinato & probato, pro eoque habito qui dotibus eſſet idoneis præditus ad illud ritè obeundum; idque poſt approbationem & admiſſionem à legitima Poteſtate, cum oratione publica & manuum impoſitione. Quapropter ut iidem ſacri Ordines ſervari, uſurpari reverentiamq; debitam in poſtremum conſequi valeant in Eccleſiâ* Anglicanâ; *Nemo pro legitimo Epiſcopo, Presbytero, aut Diacono habebitur, neque cuiquam ullo horum munerum fungi licebit niſi ſiquis vocatus, examinatus, probatus, atque admiſſus ad illa fuerit, juxta ſequentem formulam, aut ſanè Epiſcopalem Ordinationem, ſive Conſecrationem prius habuerit.*

Neque quiſquam ad Diaconatus Ordinem admittetur, (niſi impetratâ Diſpenſatione) qui non attigerit annum ætatis Viceſimum Tertium. Si quis autem Presbyter ordinabitur, eum oportebit annum Viceſimum Quartum compleviſſe. Annum vero Trigeſimum ſuperabit, omnis Ordinandus ſeu Conſecrandus in Epiſcopum.

Epiſcopus autem, cùm vel ipſe, aut ex aliorum ſufficiente teſtimonio Compertum habuerit, virum aliquem probè honeſteque atque inculpate vitam inſtituiſſe, eumque poſt examinationem ac probationem, linguam Latinam callere, atque in ſacris Scripturis ſufficienter eruditum eſſe, illum temporibus in Canone præſtitutis, aut verò (re ita poſtulante) aliquâ aliâ Die Dominicâ aut Feriâ, poterit ad Diaconatum admittere coram Eccleſiâ, juxta Modum & Formulam ſequentem.

Forma

Forma & Modus

Ordinandi DIACONOS.

¶ *DIE ad hoc, ab Epiſcopo conſtitutâ, poſt Preces Matutinas, habebitur Concio aut Exhortatio, qua quid ſit eorum Munus atque Officium qui ſunt ad Diaconatum admittendi, ediſſeretur; quamque neceſſarius ſit hic Ordo in Eccleſiâ Chriſti, ut & quanti eos facere debeat populus in hocce ſuo Munere.*

¶ *Ante omnia, Archidiaconus aut qui illius vices obibit, Epiſcopo in Cathedra ſedenti juxta Menſam Domini, eos, qui in Diaconos cupiunt Ordinari, ſingulos decentem veſtem induto, præſentabit in hæc verba.*

REverende in Chriſto Pater, hos præſentes viros præſento tibi ad Diaconatus Officium admittendos.

Epiſcopus.

VIde ut quos nobis præſentas, viri ſint cùm doctrinâ tum moribus idoneis inſtructi ad Miniſterium ſtum ritè obeundum, ad honorem Dei, & Eccleſiæ ædificationem.

Archidiaconus reſpondebit.

IN eos inquiſivi, eos etiam examinavi, mihique videntur ita comparati.

Tum Epiſcopus ad Plebem.

FRatres ſi cui veſtrum compertum eſt, quenquam ex hiſce viris, qui jam nobis præſentantur ad Diaconatus Ordinem admittendi, ullo impedimento teneri aut notabili aliquo crimine laborare, quo minus eum fas ſit ad hoc onus admitti, prodeat in Nomine Dei, & illud quicquid ſit criminis aut impedimenti palam faciat.

¶ *Quod ſi crimen aut impedimentum aliquod inſigne objiciatur, ab illius Ordinatione (cui crimen aut impedimentum ejuſmodi fuerit objectum) ſuperſedebit Epiſcopus, uſque dum ab objecto crimine ſe purgaverit.*

¶ *Tum Epiſcopus (iis qui digni viſi fuerint qui ordinentur, ſacri cœtus precibus commendatis) una cum Clero & Plebe tum præſente, Litaniam cum Precibus cantabit aut recitabit in hunc modum.*

Litania & Suffragia.

PAter de cœlis Deus, miſerere nobis, *&c.*

ut hiſce famulis tuis ad Diaconatus, (*Presbyteratus*) Ordinem nunc admittendis benedicere,

dicere, & ſuper eos gratiam tuam effundere digneris; ut Munus ſuum rité obeant, ad Eccleſiæ tuæ ædificationem, & ſancti tui Nominis gloriam.

¶ *Tum cantabitur aut recitabitur Officium ſacræ Communionis, cum Collecta, Epiſtola, & Evangelio, prout ſequitur.*

OMnipotens Deus, cujus divinâ providentiâ factum eſt ut varii ſint Miniſterii ordines in Eccleſiâ tuâ conſtituti, quique ſancti tui Spiritus afflatu in Apoſtolorum tuorum mentem induxiſti, ut S. *Stephanum* Protomartyrem deligerent qui Diaconorum albo cum Cæteris adſcriberetur, hos famulos tuos qui jam ad illud ipſum Munus ac Miniſterium vocantur, benigne reſpice: Eos ita reple doctrinæ veritate, vitæque innocentiâ exorna, ut tibi in hoc Officio cum verbis tum probis exemplis fidelem navent operam, ad Nominis tui gloriam & Eccleſiæ tuæ ædificationem, per merita Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui unà tecum & cum Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Epiſtola. 1 *Tim.* iij. 8.

OPortet Diaconos ſimiliter eſſe pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes: habentes myſterium fidei in conſcientia pura. Et hi autem probentur Primùm: & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes. Mulieres ſimiliter pudicas, non detrahentes, ſobrias, fideles in omnibus. Diaconi ſint unius uxoris viri: qui filiis ſuis bene præſint, & ſuis domibus. Qui enim bene miniſtraverint, gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in fide quæ eſt in Chriſto Jeſu.

Aut Act. Apoſt. vj. 2.

COnvocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum dixerunt, non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonii, ſeptem, plenos Spiritu ſancto & ſapientiâ, quos conſtituamus ſuper hoc opus: Nos vero orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus. Et placuit ſermo eorum coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu ſancto, & Philippum, & Prochorum, & Niconorum, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum, advenam Antiochenum. Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum: & orantes, impoſuerunt eis manus. Et verbum Domini creſcebat, & multiplicabatur numerus diſcipulorum in Jeruſalem valde: multa etiam turba ſacerdotum obediebat fidei.

¶ *Priuſquam autem prælegatur Evangelium, Epiſcopus ſedens in Cathedra Juramentum de Primatu Regis, & contra poteſtatem & authoritatem omnium Principum extraneorum, unicuique Ordinando curabit adminiſtrari.*

Jura-

Juramentum de Primatu Regis.

EGO A. B. *plane prorſuſque teſtificor profiteorque ex conſcientiâ, Quod Regia Majeſtas unicus ſit hujuſce Regni Supremus Moderator atque omnium aliarum Ditionum ac Regionum Majeſtatis ſuæ, tam in Rebus vel cauſis Spiritualibus ſive Eccleſiaſticis, quam in Secularibus. Quodque nulli Principi extraneo, Perſonæ, Præſulî, Statui aut Poteſtati ſit aut competat ulla Juriſdictio, Poteſtas, Superioritas, Præeminentia vel Authoritas Eccleſiaſtica, aut Spiritualis in hoc Regno. Ideoque prorſus repudio omnes Juriſdictiones, Poteſtates, Superioritates, & Authoritates extraneas, iiſque planè renuncio, & polliceor in poſterum me fidem & verum Allegantiam Regiæ Majeſtati, Hæredibus & Succeſſoribus ejus legitimis ſervaturum; necnon adjuturum atque tuiturum pro virili omnes Juriſdictiones, privilegia, præeminentias & Authoritates Majeſtati Regiæ conceſſas, & ad ipſum, Hæredes & Succeſſores ſuos pertinentes aut unitas & annexas Coronæ Imperiali hujuſce Regni; ſic me Deus adjuvet, & quæ hoc libro continentur.*

¶ *Tum ſingulos ordinandos ad hunc modum coram populo interrogabit.*

NUM perſuaſum habetis vos intus Spiritus ſancti inſtinctu moveri ut hoc Munus atque miniſterium in vos ſuſcipiatis, operam Deo navaturi ad illius gloriam & Eccleſiæ ædificationem promovendam?

Reſp.

Ita perſuaſum habeo.

Epiſcopus.

NUM arbitramini vos verè vocari ſecundum Domini noſtri Jeſu Chriſti voluntatem & rectam hujus regni conſtitutionem, ad miniſterium Eccleſiæ?

Reſp.

Arbitror.

Epiſcopus.

SIncere ne atque ex animo creditis omnes tum V. Teſtamenti tum N. Teſtamenti Scripturas Canonicas?

Reſp.

Eas credo.

Epiſcopus.

NUM diligenter eas prælegetis populo congregato in ea Eccleſia, cui miniſtrandi Munus vobis demandabitur.

Reſp.

Diligenter prælegam.

Epiſcopus.

DIaconi Officium eſt in ea Eccleſia cui miniſtrandi Munus ipſi demandabitur, ut adſit Presbytero ſacra peragenti, maximè verò Cœnam Domini celebranti, ut ſit adjutor in ea diſtribuendâ. Quin & ipſi incumbit ſacram ſcripturam, Homiliaſque in Eccleſiâ prælegere: Pueros in doctrina Catechetică inſtituere: Infantes abſente Presbytero, baptizare; nec non concionari, ſi ad id fuerit admiſſus ab Epiſcopo. Præterea ejus Officii eſt, ubi ita conſtitutum fuerit, inquirere in ægrotos, pauperes & infirmos Parochiæ, de eorum ſtatu Parochum certiorem facere, eorúmque nomina & domicilia indicare, ut parochianorum alio-

rumve illius exhortationibus permotorum, eleemosynis ſubleventur: Eſtiſne hæc omnia alacriter & ex animo præſtituri?

Reſp.

Ea ſum præſtiturus juvante Deo.

Epiſcopus.

NUM omnem adhibebitis diligentiam ut veſtri familiarúmque veſtrarum mores ad normam Doctrinæ Chriſti inſtituantur, utque tum eos tum illos quantum in vobis erit Eccleſiæ Chriſti præbeatis exempla ſalutaria?

Reſp.

Adhibebo Domino adjuvante.

Epiſcopus.

NUM Ordinario veſtro reverenter præſtabitis obſequium, ut & præcipuis Eccleſiæ miniſtris quorum Curæ, atque Regimini ſubjecti eſtis, piis eorum admonitionibus alacriter, atque ex animo obtemperantes?

Reſp.

Dabo operam Domino adjuvante.

¶ *Tunc Epiſcopus ſingulis humiliter genu flectentibus ſucceſſive manu impoſitâ dicet.*

ACcipe poteſtatem fungendi officio Diaconi in Eccleſia Dei, quod Officium tibi committitur, In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. *Amen.*

¶ *Tum Epiſcopus unicuique eorum Novum Teſtamentum tradet, dicens.*

ACcipe poteſtatem prælegendi Evangelium in Eccleſia Chriſti, & illud prædicandi, ſi ad id fueris admiſſus ab ipſo Epiſcopo.

¶ *Tum aliquis eorum juſſus ab Epiſcopo leget.*

Evangelium, Luc. xij. 35.

SInt lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum quando revertatur à nuptiis, ut cùm venerit & pulſaverit, confeſtim aperiant ei. Beati ſervi illi quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita invenerit: beati ſunt ſervi illi. Hoc autem ſcitote quoniam ſi ſciret Paterfamilias quâ horâ fur veniret, vigilaret utique & non ſineret perfodi domum ſuam. Et vos eſtote parati: quia quâ horâ non putatis, filius hominis veniet.

¶ *Tum Epiſcopus perget in Officio Communionis, atque omnes Ordinati manebunt, & ſacram Synaxim participabunt eodem die cum Epiſcopo.*

¶ *Sacrâ Cœna celebratâ poſt ultimam Collectam, & immediatè ante Benedictionem, quæ ſequuntur Collectæ recitabuntur.*

OMnipotens Deus, bonorum omnium largitor, qui pro ſumma indulgentia tua hos famulos tuos ad Diaconatus Officium

cium in Eccleſia tua aſſumere dignatus es: Da quæſumus, ut ſint modeſti, humiles & in miniſterio perſeverantes, ut ſe ſemper paratos præſtent ad omnia diſciplinæ ſpiritualis munia obeunda, utque bonæ conſcientiæ teſtimonio muniti & in Chriſto Filio tuo firmi & corroborati, ita ſe gerant in hoc inferiori Officio, ut digni reperiantur qui ad ſuperiora Eccleſiæ miniſteria admittantur, per eundem Jeſum Chriſtum Filium tuum Servatorem noſtrum, cui gloria & honor in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

ACtiones noſtras ſingulas Domine clementiſſimo tuo favore præveni, & perpetuo auxilio proſequere, ut in omnibus operibus noſtris in te incœptis, continuatis & finitis, ſanctum Nomen tuum glorificemus: & tandem miſeratione tuâ vitam æternam conſequamur; per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

PAX Dei, quæ ſuperat omnem intellectum, conſervet corda veſtra & mentes veſtras, in cognitione, & amore Dei, & Filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri: & favor Omnipotentis Dei, Patris, filii & Spiritus ſancti, vobis adſit, ſemperque vobiſcum maneat. *Amen.*

¶ *Hic vero denunciandum eſt Diacono, quòd debeat manere in Officio Diaconi per annum integrum, (niſi ob cauſas idoneas aliter Epiſcopo viſum fuerit) ut fiat perfectius & earum rerum peritus, quæ ad Eccleſiaſticam adminiſtrationem attinent. In qua adminiſtratione ſi fidelem ac diligentem ſe præſtiterit, à Dioceſano poterit ad Presbyteratus Ordinem admitti temporibus juxta Canonem conſtitutis; aut (re ita poſtulante) alia aliqua Dominicâ, aut Feſtâ die, coram Eccleſia juxta modum & formam ſequentem.*

Forma & Modus Ordinandi
PRESBYTEROS.

¶ *Die ab Epiſcopo conſtitutâ, poſt Preces Matutinas habebitur Concio aut Exhortatio, quâ quid ſit eorum Munus atque Officium, qui ſunt in Presbyteros Ordinandi, ponetur ob oculos, quamque ſit neceſſarius hic Ordo in Eccleſia Chriſti, ut & quanti eos facere debeat populus in hocce ſuo Munere.*

¶ *Ante omnia Archidiaconus aut eo abſente, alius ad illius Munus obeundum conſtitutus, Epiſcopo in Cathedra ſedenti juxta Menſam Domini, eos qui die illâ ſunt ad Presbyteratus Ordinem admittendi, ſingulos decentem veſtem indutos, præſentabit, ac dicet;*

REverende in Chriſto Pater, hos præſentes viros præſento tibi, ad Preſbyteratûs Ordinem admittendos.

¶ *Epiſcopus.*

VIde ut quos nobis præſentas idonei ac digni ſint, cum ob eruditionem, tum ob piam converſationem, qui Miniſterium ſuum rite obeant, ad honorem Dei & Eccleſiæ illius ædificationem.

¶ *Reſpondebit Archidiaconus.*

IN eos inquiſivi; eos etiam examinavi, mihique videntur ita comparati.

¶ *Tunc Epiſcopus dicet Populo:*

PLebs Chriſti, hi ſunt quos Deo annuente, in ſacrum Presbyteratûs Ordinem aſſumere hodie nobis animus eſt. Quippe poſt debitam in eos factam inquiſitionem, nihil occurrit quod impediat quominus ad Officium ſuum atque miniſterium ritè vocentur, ſintque ad illud idonei. Verum ſi cui veſtrum compertum eſt quemquam eorum ullo impedimento teneri aut aliquo notabili Crimine laborare, quominus eos fas ſit ad ſanctum hoc Miniſterium admitti, prodeat ille in Nomine Dei, & illud quicquid ſit criminis aut impedimenti palam faciat.

¶ *Tum ſi crimen aut impedimentum aliquod inſigne objiciatur, illius Ordinationi cui crimen aut impedimentum ejuſmodi fuerit objectum, ſuperſedebit Epiſcopus, uſque dum ab objecto crimine ſe purgaverit.*

¶ *Tum Epiſcopus (iis qui digni viſi fuerint, qui Ordinentur, ſacri Cœtus precibus commendatis) unà cum Clero & Plebe tum præſente, Litaniam cum precibus cantabit aut recitabit prout habetur in Formula Diaconos Ordinandi, excepto, quod in Suffragio proprio ibi addito, vox* (Diaconatus) *omittetur in cujus locum ſubjicietur vox* (Presbyteratus.)

¶ *Tum cantabitur aut recitabitur Officium pro ſacra Communione, cum Collectâ, Epiſtola, & Evangelio, prout ſequuntur.*

OMnipotens Deus, bonorum omnium largitor, qui ſancto tuo Spiritu varios in Eccleſia Miniſterii Ordines inſtituiſti, hos famulos tuos ad Preſbyteratus Officium nunc vocatos benigne reſpice, eoſque ita reple doctrinæ veritate, & vitæ innocentiâ exorna, ut tibi in hoc officio tum verbis tum exemplis probis fidelem navent operam, ad Nominis tui gloriam, & Eccleſiæ tuæ ædificationem; per merita Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui unà tecum, & cum Spiritu tuo vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Epiſtola. Epheſ. iv. 7.

UNicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. Propter quod dicit, aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. (Quod autem aſcendit, quid eſt niſi, quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ. Qui deſcendit

deſcendit ipſe eſt, & qui aſcendit ſupra omnes cœlos ut adimpleret omnia.) Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas ; alios autem paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus Miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti : Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.

¶ *Deinde legetur pro Evangelio pars Capitis Noni Evangelii ſecundum S.* Mattheum.

Evangelium. S. Mat. ix. 36.

VIdens Jeſus turbas, miſertus eſt eis, quia erant vexati & errantes, ſicut oves non habentes Paſtorem. Tum dicit Diſcipulis ſuis, meſſis quidem multa, operarii autem pauci, rogate ergo Dominum meſſis ut mittat operarios in meſſem ſuam.

Aut S. Joan. x. 1.

AMen, amen, dico vobis, qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde ; ille fur eſt & latro. Qui autem intrat per oſtium : paſtor eſt ovium. Huic oſtiarius aperit : & oves vocem ejus audiunt : & proprias oves vocat nominatim & educit eas. Et cum proprias oves emiſerit, ante eas vadit : & oves illum ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus. Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo : quia non noverunt vocem alienorum. Hoc proverbium dixit eis Jeſus ; Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum, Jeſus, Amen, amen, dico vobis, quia ego ſum oſtium ovium. Omnes quotquot venerunt ante me, fures ſunt & latrones : ſed non audierunt eos oves. Ego ſum oſtium, per me ſiquis introierit, ſalvabitur ; & ingredietur & paſcua inveniet. Fur non venit, niſi ut furetur & mactet & perdat. Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant. Ego ſum Paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Mercenarius autem & qui non eſt paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit ; & lupus rapit, & diſpergit oves. Mercenarius autem fugit ; quia mercenarius eſt : & non pertinet ad eum de ovibus. Ego ſum paſtor bonus : & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ. Sicut novit me Pater, & ego cognoſco Patrem : & animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili : & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus Paſtor.

¶ *Tum Epiſcopus ſedens in Cathedra juramentum de Primatu Regis, eorum unicuique adminiſtrabit prout ſuperius habetur in Formula Ordinandi Diaconos.*

¶ *Quo facto eos affabitur in hunc modum.*

AUdiviſtis fratres, cùm in privato examine tum in ea exhortatione, quæ jam ad

vos directa est, ut & in sacris lectionibus ex Evangelio & scriptis Apostolorum desumptis, quantæ dignitatis quantique momenti sit Officium hoc ad quod vocamini. Atque vos etiam nunc iterum exhortamur in Nomine Domini nostri Jesu Christi ut sitis memores quanta sit dignitas, quantúmque momentum officii ac muneris ad quod vocamini; nempe quod sitis nuncii, Speculatores & Dispensatores Domini, ad familiam illius instituendam, monendam & pascendam; ad quærendas oves Christi huc illuc dispersas, ejusque filios in medio hujus mundi nequam, quo salutem æternam per Christum consequantur.

Memoriæ igitur vestræ semper insideat quantus thesaurus Curæ vestræ committatur. Sunt enim oves Christi quas morte suâ redemit. & propter quas sanguinem suum effudit. Ecclesia & Cœtus cui debetis ministrare sponsa ejus est atque corpus: & si negligentiâ vestrâ aliquid damni aut detrimenti patiatur ea Ecclesia, aut illius membrum aliquod, nostis culpæ ejusmodi gravitatem & horrendum quod ei imminet supplicium, Quapropter in vobismetipsis perpendite, quis sit ministerii vestri scopus quoad filios Dei & sponsam atque Corpus Christi: Et attendite ne sit in labore Curâ ac diligentiâ vestrâ, ulla intermissio, usquedum pro viribus operam dederitis juxta quod tenemini, eos omnes, qui curæ vestræ vel jam committuntur vel sunt deinceps committendi, adducatis ad eum consensum in fide ac cognitione Dei, & ad eam ætatis in Christo maturitatem ac perfectionem, quæ nullum locum relinquat in medio vestri, seu erroribus in Religione, seu vitiis in vivendi ratione.

Cùm igitur adeò excellens, adeóque difficile sit Munus illud vestrum, animadvertitis quantâ diligentiâ quantóque affectu in illud vobis sit incumbendum, tam & vos præbeatis obsequentes & gratos erga Dominum qui vos ad tantam dignitatem evexit, quam ut caveatis ne aut ipsi Deum offendatis, aut in causa sitis ut ipsum alii offendant, quanquam hoc propositum hancque voluntatem ex vobis habere non valeatis. Siquidem ea voluntas, eaque sufficientia à Deo est. Id igitur officii vobis necessariò incumbit ut à Deo Spiritum suum sanctum obnixè petatis. Quandoquidem verò tantum opus, utpote quod in salute versatur animorum, ad optatum finem aliter perduci nequit quàm doctrinâ atque exhortationibus ex sacrâ Scripturâ desumptis unà cum vitâ quæ illis respondeat; perpendite quàm gnaviter Scripturæ sint vobis legendæ & addiscendæ, quámque diligenter ad normam earundem Scripturarum exigendi mores vestri & vestrarum maximè familiarum. Atque eâ ipsa de causâ, quam procul à vobis amovendæ (quoad fieri poterit) omnes hujus sæculi Curæ, atque solicitudines.

Speramus vos hæc jamdiu perpendisse, atque attentè apud vos considerasse planéque statuisse vos totos Deo juvante, consecrare huic muneri ad quòd ipsi placuit vos vocare. Adeò ut quantum quidem in vobis erit,

erit, in hoc unum incumbatis, omnéſque Curas veſtras atque omnia ſtudia impendatis: Deum autem Patrem per interceſſionem unius Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, indeſinenter orabitis ut Spiritus ſancti opem cœleſtem conſequamini; ut per continuam lectionem ac meditationem Scripturarum ad maturitatem Miniſterii veſtri deveniatis, & in eo corroboremini; utque enixè adnitamini in ſanctimoniâ progreſſus facere, ac præſtare ut in eadem progrediantur etiam illi qui vos attingunt aliquâ neceſſitudine, eos inſtituendo in normâ & doctrinâ Chriſti, ut ſitis exempla piâ, & typi ſalutares quos populus ſequatur atque imitetur.

Jam verò ut hæc plebs Chriſtiana hîc congregata perſpectum habeat, quodnam ſit propoſitum veſtrum, quæve mens circa ea de quibus agitur inpræſentiarum ut promiſſum quod eſtis daturi vos magis magiſque adſtringat ad munus veſtrum ritè obeundum, vos plane & abſque ulla ambiguitate reſpondebitis ad quæſtiones quas vobis proponemus in nomine Dei & ejus Eccleſiæ.

SUggeritne vobis animus, vos vere vocari ſecundùm voluntatem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac morem hujus Eccleſiæ Anglicanæ ad Presbyteratus Ordinem Miniſterium?

Reſponſio.

Suggerit.

Epiſcopus.

NUM perſuaſum habetis Scripturis ſacris ſufficienter contineri omnem doctrinam neceſſariò requiſitam ad ſalutem æternam per fidem in Jeſum Chriſtum? Num etiam apud vos decreviſtis ex iiſdem Scripturis documenta deſumere quibus plebem vobis concreditam inſtituatis, neque quicquam docere (tanquam neceſſariò ad ſalutem æternam requiſitum) niſi quod perſuaſum habeatis ex Scripturis poſſe inferri & probari?

Reſp.

Sic perſuáſum habeo, ſicque decrevi auxiliante Dei gratiâ.

Epiſcopus.

NUM igitur fidelem veſtram operam adhibituri eſtis in doctrinâ & Sacramentis, atque Diſciplina Chriſti adminiſtrandis, juxta quod præcepit Dominus; proutque in hac Eccleſia, & in hoc regno receptum eſt ſecundum Dei mandatum. Ita ut Plebem Curæ munerique veſtro commiſſam docturi ſitis ut ei ſe ſubmittant, eamque cum omni diligentia obſervent?

Reſp.

Id Deo favente diligenter curabo.

Epiſcopus.

NUM parati erectique eritis ad propulſandas & amoliendas omni cum fide atque diligentiâ omnes falſas & peregrinas doctrinas, quæ verbo Dei adverſantur; & admonendum hortandúmque cùm privatim tum publice tam ægrotos quàm bene valentes intra ſuum quiſque diſtrictum, pro neceſſitatis exigentiâ, proque datâ occaſione?

Reſp.

Etiam auxiliante Domino.

Epiſcopus.

ERitis ne aſſidui in orationibus, & in legendis ſacris Scripturis, & in iis ſtudiis quæ harum

harum intelligentiam juvare poſſunt, mundi & carnis ſolicitudinibus ſepoſitis ?

Reſp.

Ea conabor præſtare, mihi opitulante Domino.

Epiſcopus.

NUM diligentem operam adhibebitis in formandis exornandiſque cùm vobiſmetipſis tùm familiis veſtris juxta doctrinam Chriſti, ut vos ipſos & eas, quantum in vobis erit, exempla bona & typos ſalutares Eccleſiæ Chriſti præbeatis ?

Reſp.

Adhibebo operam, mihi opitulante Domino.

Epiſcopus.

NUM fovebitis & promovebitis pro viribus veſtris, quietem, pacem & charitatem inter omnes Chriſtianos, inter eos potiſſimum quorum cura vobis demandatur aut demandabitur.

Reſp.

Hoc præſtabo, mihi opitulante Domino.

Epiſcopus.

NUM Ordinario veſtro reverenter præſtabitis obſequium ut & præcipuis Eccleſiæ Miniſtris, quorum Curæ atque regimini ſubjecti eſtis, piis eorum admonitionibus alacriter atque ex animo obtemperantes, voſque piis eorum decretis ſubmittentes ?

Reſp.

Faciam, mihi opitulante Domino.

¶ *Tum Epiſcopus ſtans, dicet,*

DEus Omnipotens, qui vobis dedit hæc omnia præſtare velle, vobis etiam largiatur virtutem ad ea præſtanda, ut quod incepit in vobis opus ſuum perficiat, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Hic peractis, cætus monebitur ut hæc ſecretò in ſuis orationibus petat à Deo, ei propterea ſupplicando humillime. Atque ut detur locus his precibus. ſilentium per aliquod tempus ſervabitur.*

¶ *Poſtea cantabitur aut recitabitur ab Epiſcopo Hymnus*, Veni Creator Spiritus, *omnibus Ordinandis genu flectentibus: Epiſcopo præeunte, Presbyteris autem aliiſque qui adſunt, alternis reſpondentibus.*

VEni Creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita ;
Imple ſuperna gratiâ
Quæ tu Creaſti pectora.
Qui Paracletis diceris,
Donum Dei altiſſimi ;
Fons vivus, ignis, charitas
Et ſpiritalis Unctio.
Tu ſeptiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus.
Tu ritè promiſſum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen ſenſibus,
Infunde amorem cordibus ;
Infirma noſtri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hoſtem repellas longius,
Pacemque dones protinus ;
Ductore ſic te prævio,
Vitamus omne noxium.
Per te ſciamus da Patrem,
Noſcamus atque Filium ;
Te utriuſque Spiritum,
Credamus omni tempore.
Sit laus Patri cum Filio,
Sancto ſimul Paracleto ;
Nobiſque mittat Filius,
Chariſma Sancti Spiritus. Amen.

¶ *His*

¶ *His peractis Epiſcopus ſic orabit & dicet.*

Oremus.

OMnipotens Deus ac Pater cœleſtis, qui ex immenſa tua Charitate tuâque erga nos bonitate dediſti nobis charum & prædilectum Jeſum Chriſtum Filium tuum unigenitum, ut eſſet Redemptor noſter & Author vitæ æternæ; qui poſtquam morte ſua Redemptionem noſtram perfecit, poſtque ſuam in Cœlum Aſcenſionem, in orbem univerſam miſit Apoſtolos ſuos, Prophetas, Evangeliſtas, Doctores, & Paſtores quorum laboribus ac Miniſterio gregem ingentem coegit per omnes mundi regiones diffuſum, ad æternas ſancti Nominis tui laudes enarrandas: Pro his tantis æternæ tuæ bonitatis beneficiis, & propterea quod hos præſentes famulos tuos vocare dignatus es, ad hoc idem munus ac miniſterium, ad ſalutem generis humani inſtitutum, tibi gratias agimus ex animo quam maximas; te laudamus, te adoramus, tibique humillimè ſupplicamus per eundem Filium tuum benedictum, ut omnibus hic ſeu alibi ſanctum Nomen tuum invocantibus, concedere digneris, ut indeſinenter gratum erga te animum exhibeamus, pro his aliiſque omnibus beneficiis tuis, utque indies progrediamur in cognitione ac Fide in te & in Filium tuum per ſanctum tuum Spiritum. Ita ut non modo per hos Miniſtros tuos, ſed per eos etiam ſuper quos Miniſtri tui conſtituerentur, ſanctum Nomen tuum in æternum glorificetur, & benedictum illud regnum tuum amplietur, per eundem Filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui vivit & regnat tecum in unitate ejuſdem ſancti Spiritus in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Hac finitâ oratione, Epiſcopus, cum Presbyteris ibi præſentibus manus ſuas imponent unicuique ſucceſſivè ad Presbyteratum Ordinando, humiliter in genua provoluto, Epiſcopo dicente:*

ACcipe Spiritum ſanctum ad Officium & opus Presbyterii in Eccleſia Dei, quod tibi committitur per impoſitionem manuum noſtrarum. Quorum remittis peccata, remittuntur, & quorum retines peccata, retinentur. Et eſto fidelis verbi Dei & ſanctorum ejus Sacramentorum Diſpenſator, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. *Amen.*

¶ *Poſt hæc Epiſcopus uniquique in genua provoluto Sacra Biblia in manum tradet, dicens,*

ACcipe poteſtatem prædicandi verbum Dei, & adminiſtrandi ſancta Sacramenta in Eccleſia in qua fueris ad hæc legitime conſtitutus.

¶ *His peractis Symbolum Nicænum cantabitur aut recitabitur: deinde Epiſcopus perget in officio ſacræ Communionis. Quam unà participabunt omnes Ordinati, manentes in eodem loco, ubi manus ipſis fuerunt impoſitæ, uſque dum ſacræ Cœnæ communicaverint.*

Sacrâ

Sacrâ verò Cœnâ celebrata poſt ultimam Collectam, & immediate ante benedictionem hæ Collectæ dicentur:

PAter ſummè miſericors, te ſupplices rogamus, ut in hos famulos tuos effundas cœleſtem tuam benedictionem ut juſtitiâ induantur, eóſque ſucceſſus habeat verbum tuum quod per os ipſorum proferetur, ut nunquam ſit fruſtra. Da etiam ut gratia nobis concedatur ad ea, quæ propoſituri ſunt ex ſanctiſſimo verbo tuo deprompta, aut cum eo concordantia, audienda & excipienda tanquam media nos ad ſalutem deducentia; ut dictis factiſque gloriam tuam, & regni tui incrementum quæramus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

ACtiones noſtras ſingulas Domine clementiſſimo tuo favore præveni, & perpetuo auxilio proſequere, ut in omnibus operibus noſtris in te incœptis, continuatis & finitis, ſanctum Nomen tuum glorificemus, & tandem miſeratione tuâ vitam æternam conſequamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

PAX Dei, quæ ſuperat omnem intellectum conſervet corda veſtra & mentes veſtras, in cognitione & amore Dei, & Filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri; & favor Omnipotentis Dei Patris, Filii, & Spiritus ſancti, vobis adſit, ſempérque vobiſcum maneat. *Amen.*

¶ *SI autem uno eodemque die alii ad Diaconatus, alii ad Presbyteratus* Ordinem *admittantur, prius præſentabuntur Diaconi, deindè Preſbyteri. Et ſatis fuerit ſi ſemel recitetur Litania pro utriſque. Ambæ Collectæ uſurpabuntur, pro Diaconis primò, deindè etiam pro Presbyteris. Epiſtola erit* Epheſ. iv. 7. *uſque ad* 14. *ut ſupra in hoc Officio. Poſtquam ſtatim Juramentum Primatûs præſtabunt, Examinabuntur & Ordinabuntur (prout ſupra præſcriptum eſt) qui ſunt ad Diaconatum admittendi. Tum prælecto ab aliquo eorum Evangelio (quod deſumetur aut ex* S. Mat. ix. 36. *ut ſupra in hoc Officio, aut ex* S. Luc. xij. 35. *uſque ad* 39. *ut anteà in Forma pro* Ordinandis Diaconis.) *Et ii qui ſunt ad Presbyteratum admittendi, præſtabunt etiam Juramentum Primatûs, Examinabuntur, & Ordinabuntur, prout ſupra in hoc Officio, præſcriptum habetur.*

Forma Ordinandi vel Conſecrandi

ARCHIEPISCOPUM AUT EPISCOPUM.

¶ *Quæ quidem Conſecratio ſemper celebranda eſt die Dominica aut aliquo die Feſto.*

¶ *Rebus omnibus in Eccleſiâ peractis atque ritè diſpoſitis poſt Preces Matutinas, Archiepiſcopus aut alius Epiſcopus ad id conſtitutus ordietur ab Officio Sacræ Communionis, in quo hæc erit.*

Collecta.

OMnipotens Deus, qui per Jeſum Chriſtum Filium tuum ſanctis tuis Apoſtolis, multa excellentia dona largitus es, quique illis in mandatis dediſti, ut gregem paſcerent, Gratiam largire quæſumus, omnibus Epiſcopis, Eccleſiæ tuæ Paſtoribus, ut diligenter verbum tuum prædicent, utque piam illius Diſciplinam ritè adminiſtrent. Plebi autem da ut obſequenter ei ſe ſubmittant, ſicque omnes æternæ gloriæ coronam conſequantur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Alius autem Epiſcopus leget Epiſtolam,* 1 Tim. iij. 1.

FIdelis ſermo: ſiquis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Oportet enim Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem: ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum: ſed ſuæ domui bene præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Siquis autem domui ſuæ præeſſe neſcit: quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit? Non Neophytum: ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat Diaboli. Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab iis qui foris ſunt: ut non in opprobrium incidat, & in laqueum Diaboli.

¶ *Aut hoc, loco Epiſt.* Act. xx. 17.

AMileto autem mittens Epheſum, vocavit majores natu Eccleſiæ. Qui cùm veniſſent ad eum, & ſimul eſſent, dixit eis. Vos ſcitis à prima die qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter

qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, ſerviens Domino cum omni humilitate & lacrymis, & tentationibus quæ mihi acciderunt ex inſidiis Judæorum : quomodo nihil ſubtraxerim vobis utilium quominus annunciarem vobis, & docerem vos publicè & per domos, teſtificans Judæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Et nunc ecce alligatus ego Spiritu : vado in Jeruſalem : quæ in ea ventura ſint mihi ignorans. Niſi quod Spiritus ſanctus per omnes Civitates mihi proteſtatur, dicens quoniam vincula & tribulationes Jeroſolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretioſiorem quàm me, dummodo conſummem curſum meum & miniſterium verbi quod accepi à Domino Jeſu teſtificari Evangelium gratiæ Dei. Et nunc ecce ego ſcio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes per quos tranſivi prædicans Regnum Dei. Quapropter conteſtor vos hodierna die quia mundus ſum à ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi, quominus annunciarem omne conſilium Dei vobis. Attendite vobis & univerſo gregi in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit in ſanguine ſuo. Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi. Et ex vobis ipſis exurgent viri loquentes perverſa ut abducant diſcipulos poſt ſe. Propter quod vigilate, memoriâ retinentes, quoniam per triennium nocte & die non ceſſavi, cum lacrymis monens unumquemque veſtrûm. Et nunc commendo vos Deo & verbo gratiæ ipſius, qui potens edificare, & dare hæreditatem in ſanctificatis omnibus. Argentum & aurum, aut veſtem nullius concupivi. Sicut ipſi ſcitis quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt miniſtraverunt manus iſtæ. Omnia oſtendi vobis quoniam ſic laborantes, oportet ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe verbi Domini Jeſu, (quoniam ipſe dixit) Beatius eſt magis dare quàm accipere.

¶ *Tum alius Epiſcopus leget Evangelium.* S. Joan. xxj. 15.

DIcit Simoni Petro Jeſus, Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei, etiam Domine : tu ſcis quia amo te. Dicit ei, Paſce agnos meos. Dicit ei iterum, Simon Joannis, diligis me? ait illi etiam Domine ; tu ſcis quia amo te. Dicit ei iterum, Paſce agnos meos. Dicit ei tertiò, Simon Joannis, amas me? Contriſtatus eſt Petrus quia dicit ei tertiò, amas me? Et dixit ei, Domine, tu omnia noſti : tu ſcis quia amo te. Dicit ei, Paſce oves meas.

¶ *Aut hoc,* S. Joan. xx. 19.

CUM ergo ſerò eſſet die illo, una Sabbathorum, & fores eſſent clauſæ ubi erant diſcipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jeſus, & ſtetit in medio, & dicit eis, Pax vobis. Et cùm hæc dixiſſet, oſtendit eis manus, & latus. Gaviſi ſunt Diſcipuli viſo Domino. Dixit ergo eis iterum

Pax

Pax vobis: ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixiſſet, inſufflavit: & dicit eis accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.

¶ *Aut hoc, S.* Mat. xxiij. 19.

ACcedens Jeſus locutus eſt eis, dicens, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in Nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti, dicentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis, & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.

¶ *Poſt Evangelium, Symbolum Nicænum, & Concionem Sacram, Electus Epiſcopus Suparo, vulgo* Rochetto, *indutus, à duobus Epiſcopis præſentabitur illius Provinciæ Archiepiſtopo (aliive Epiſcopo ad hoc per legitimam commiſſionem conſtituto) Archiepiſcopo ſedente in Cathedrâ juxta ſacram Menſam, Epiſcopiſq; qui illum præſentant, dicentibus:*

REverendiſſime in Chriſto Pater, hunc pium atque eruditum virum vobis præſentamus in Epiſcopum Ordinandum atque Conſecrandum.

¶ *Tum Archiepiſcopus Mandatum Regium jubebit exhibere, illudque curabit prælegi. Juramentum autem de agnoſcendo Primatu Regio ſingulis in Epiſcopos electis adminiſtrabitur, prout habetur in formula Diaconos ordinandi, ut & poſteà juramentum obedientiæ Archiepiſcopo debitæ juxta ſequentem Formulam.*

Juramentum Obedientiæ Archiep. debitæ.

IN *Dei Nomine, Amen. Ego* N. *Electus Epiſcopus Eccleſiæ ſediſque* N. *profiteor polliceorque omnimodam reverentiam & obedientiam debitam Archiepiſcopo atque Eccleſiæ Metropoliticæ* N. *debitam & Succeſſoribus ſuis, ſic me Deus adjuvet per Jeſum Chriſtum.*

¶ *Hoc Juramentum omittetur in Conſecratione Archiepiſcopi.*

¶ *Tum Archiepiſcopus cœtum ad orandum exhortabitur, in hæc verba.*

FRatres, Scriptum eſt in Evangelio ſecundum S. *Lucam* quod Servator noſter Jeſus Chriſtus per totam noctem in orationibus perſeveraverit, priuſquam eligeret ac mitteret duodecim Apoſtolos ſuos. Scriptum eſt etiam in *Actibus ſanctorum Apoſtolorum*, Diſcipulos qui Antiochiæ degebant, jejuniis ac orationibus vacaſſe antequam Paulo & Barnabæ manus imponerent, eoſque mitterent. Chriſti Servatoris igitur Apoſtolorumque ſuorum exemplum ſecuti, ante omnia, orationi incumbamus, antequam virum hunc admittamus qui nobis eſt præſentatus, eúmque mittamus ad opus ad quod ipſum à Spiritu ſancto vocatum eſſe confidimus.

¶ *Tum recitabitur Litania, ut ſuperius in Formula Diaconos Ordi-*

Ordinandi; excepto tantummodo, quod poſt hunc locum (ut omnes Epiſcopos, Presbyteros) *proprium Suffragium quod ibi habetur omittetur, hoc ſequente Suffragio in ipſius locum ſubſtituto.*

UT huic fratri noſtro Electo benedicere, & ſuper ipſum gratiam tuam cœleſtem effundere digneris, ut officium ſuum ad quod vocatur ritè obeat, ad Eccleſiæ tuæ ædificationem, & Nominis tui honorem, laudem ac gloriam.

Reſponſio.

Te rogamus audi nos.

¶ *Tum recitabuntur Orationes ſequentes.*

OMnipotens Deus, omnium bonorum largitor, qui per ſanctum Spiritum tuum varios in Eccleſia Miniſterii Ordines inſtituiſti, famulum tuum ad opus & Miniſterium Epiſcopi nunc vocatum, benignè reſpice, eúmque ità reple doctrinæ veritate, vitæque innocentiâ exorna, ut tibi in hoc officio dictis factiſque fidelem navet operam, ad Nominis tui gloriam, & Eccleſiæ tuæ ædificationem & rectam gubernationem, per merita Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui unà tecum & cum Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Tum Archiepiſcopus in Cathedra ſedens, eum qui in Epiſcopum Conſecrandus eſt, ſic alloquetur.*

FRater, quandoquidem Scriptura ſacra ut & antiqui Canones monent ne cito manus imponamus, ullúmque admittamus ad regimen in Eccleſia Chriſti quam non minore pretio, quam ſui ipſius ſanguinis effuſione acquiſivit. Priuſquam te admittam ad hanc adminiſtrationem, te examinabo in quibuſdam articulis ut præſens Cœtus compertum habeat, & conteſtari poſſit quo pacto te gerere in hoc officio apud te ſtatueris.

NUM perſuaſum habes te verè vocari ad hanc adminiſtrationem ſecundum voluntatem Domini noſtri Jeſu Chriſti ac hujus Regni morem?

Reſponſio.

Ita perſuaſum habeo.

Archiepiſcopus.

NUM perſuaſum habes Scripturis ſacris ſufficienter contineri omnem doctrinam neceſſariò requiſitam ad ſalutem æternam, per fidem in Jeſum Chriſtum; Num etiam apud te decreviſti, ex iiſdem ſacris Scripturis documenta deſumere, quibus plebem tibi commiſſam inſtituas; neque quicquam tenere aut docere tanquam neceſſariò ad ſalutem æternam requiſitum, niſi quod perſuaſum habeas ex Scripturis poſſe inferri ac probari?

Reſponſio.

Ita perſuaſum habeo, ſicque decrevi auxiliante Dei gratiâ.

Archiepiſcopus.

NUM igitur fidelem iiſdem ſacris Scripturis dabis operam, & Deum invocando rogabis, ut tibi veram earum intelligentiam concedat; ita ut harum operâ potens ſis docere & exh
& iis q
eóſque
Ita fa
NU
p
ni cum
omnes
ctrinas
ſantur;
tum p
monere
Ita ap
mihi op
NU
&
negabis,
vivens i
ſum in c
norum
ut is qu
tur, nihi
de te?
Ita fa
Domino.
NUM
bis
quietem,
inter om
immorige
xios intra
riges, &
ritate qu
Dei, qua
da eſt ex
tutione?
Ita faci

& exhortari in ſacrâ doctrinâ, & iis qui contradicunt reſiſtere, eóſque coarguere?

Reſponſio.

Ita faciam juvante Deo.

Archiepiſcopus.

NUM apud te conſtituiſti propulſare & amoliri omni cum fide atque diligentiâ omnes falſas & peregrinas doctrinas quæ verbo Dei adverſantur; alioſque cùm privatim tum publicè ad illud ipſum monere ac hortari?

Reſponſio.

Ita apud me facere conſtitui, mihi opitulante Domino.

Archiepiſcopus.

NUM omnem impietatem & ſæcularia deſideria abnegabis, ſobriè, & juſtè, & piè vivens in hoc ſeculo, ut teipſum in omnibus exemplum bonorum operum aliis præbeas, ut is qui ex adverſo eſt vereatur, nihil habens malum dicere de te?

Reſponſio.

Ita faciam mihi opitulante Domino.

Archiepiſcopus.

NUM fovebis & promovebis quantum in te erit, quietem, Caritatem & Pacem inter omnes; inquietos vero, immorigeros & crimini obnoxios intra tuam Dioceſim, corriges, & plectes pro ea authoritate quam habes ex verbo Dei, quæque tibi committenda eſt ex hujus Regni conſtitutione?

Reſponſio.

Ita faciam juvante Deo.

Archiepiſcopus.

NUM fidelis eris in Ordinandis & mittendis aliis, iiſque manus imponendo.

Reſponſio.

Ero Deo adjuvante.

Archiepiſcopus.

NUM teipſum manſuetum præbebis, & miſericordem propter Chriſtum erga pauperes & egenos, atque omnes peregrinos auxilio deſtitutos?

Reſponſio.

Præbebo Deo adjuvante.

¶ *Tum Archiepiſcopus ſtans dicet,*

DEus omnipotens Pater noſter cœleſtis, qui tibi dedit hæc omnia præſtare velle, tibi etiam largiatur virtutem ad ea præſtanda, ut perfecto quod incœpit in te bono opere, perfectus & inculpatus reperiaris in die nòviſſimo, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum Electo in Epiſcopum reliqua Epiſcopalia, veſtimenta induto & genibus flexis, Hymnus,* Veni, Creator Spiritus, *ſuper ipſum cantabitur aut recitabitur, incipiente Archiepiſcopo, Epiſcopis autem, cum aliis præſentibus, alternis reſpondentibus prout habetur in ſequentibus.*

VEni Creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita;
Imple ſupernâ gratiâ, *&c.*

¶ *Quo*

¶ *Quo finito, Archiepiſcopus dicet,*

Domine exaudi orationem noſtram.

Reſponſio.

Et clamor noſter ad te perveniat.

Oremus.

OMnipotens Deus, ac Pater ſummè miſericors, qui ex immensâ tuâ bonitate Jeſum Chriſtum charum, & prædilectum Filium tuum unigenitum dediſti ut eſſet Redemptor noſter & Author vitæ æternæ; qui poſtquam morte ſuâ Redemptionem noſtram perfecit, poſt quam ſuam in cœlos Aſcenſionem, dona ſua abundè ſuper homines effudit, aliis factis Apoſtolis, aliis Prophetis, aliis verò Evangeliſtis, aliis Paſtoribus ac Doctoribus, ad ædificationem & conſummationem Eccleliæ ſuæ, huic famulo tuo gratiam eam largire quæſumus, qua ſemper paratus ſit Evangelium illud tuum annunciare, quod eſt noſtræ tecum reconciliationis jucundus nuncius, & eâ uti authoritate quæ ipſi conceſſa eſt, non ad deſtructionem ſed ad ſalutem, non ad damnum ſed ad auxilium; ita ut tanquam fidelis diſpenſator & prudens qui in tempore familiæ tuæ demenſum ſuum diſtribuat, in æternum gaudium tandem admittatur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui unà tecum & cum Spiritu ſancto vivit & regnat unus Deus, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

¶ *Tum Archiepiſcopus & Epiſcopi qui aderunt, Electo in Epiſcopum coram ipſis in genua provoluto, manus imponent, Archiepiſcopo dicente,*

ACcipe Spiritum ſanctum ad Officium & opus Epiſcopi in Eccleſia Dei, quod jam tibi committitur per impoſitionem manuum noſtrarum; in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Ac memento ut exſuſcites gratiam Dei quæ data eſt tibi per hanc manuum noſtrarum impoſitionem. Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & ſobrietatis.

¶ *Tum Archiepiſcopus ipſi tradet Sacra Biblia, dicens,*

ATtende lectioni, exhortationi & doctrinæ. Ea meditare quæ hoc libro continentur. In his eſto diligens, ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. Attende tibi & doctrinæ, inſta in illis. Hoc enim faciens & teipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt. Eſto gregi Chriſti, Paſtor, non lupus, paſce oves illius, ne devores. Infirmas ſuſtenta, ægrotantes ſana, confractas alliga, abactas reduc, quæ perierant require. Eſto ita miſericors ne ſis æquo remiſſior. Ita Diſciplinam adminiſtra, ne obliviſcaris miſericordiam. Ut cum ſummus Paſtor apparuerit, Coronam immarceſſibilem accipias, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *Tum Archiepiſcopus perget in Officio Sacræ Communionis; quicum jam Conſecratus Epiſcopus (unà cum aliis) Cœnæ Domini communicabit.*

¶ Et

¶ *Et pro ultima Collectâ, immediate ante benedictionem, hæ recitabuntur Orationes.*

PAter ſummè miſericors, effunde quæſumus in hunc famulum tuum Cœleſtem tuam benedictionem, eúmque ita reple ſancto Spiritu tuo, ut verbum tuum prædicans, non ſolum aſſiduus & vehemens ſit in corripiendo, ſupplicando, & redarguendo, cum omni patientiâ & doctrinâ, verum etiam ſit exemplum ſalutare fidelium, in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate, in puritate, ut fideliter curſu ſuo conſummato, accipiat in die noviſſimo, coronam Juſtitiæ quæ ipſi repoſita eſt à Domino juſto Judice, qui vivit & regnat unus Deus cum Patre & Spiritu ſancto, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

ACtiones noſtras ſingulas Domine clementiſſimo tuo favore præveni, & perpetuo auxilio proſequere, ut in omnibus operibus noſtris in te incœptis, continuatis & finitis, ſanctum Nomen tuum glorificemus, & tandem miſeratione tuâ vitam æternam conſequamur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

PAX Dei, quæ ſuperat omnem intellectum conſervet corda veſtra & mentes veſtras, in cognitione & amore Dei, & Filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri; & favor Omnipotentis Dei Patris, Filii & Spiritus ſancti, vobis adſit, ſempérque vobiſcum maneat. *Amen.*

FORMULA

FORMULA PRECUM
CUM
GRATIARUM ACTIONE
Quotannis Usurpanda
Quinto *NOVEMBRIS.*

FORMULA PRECUM
Quotannis Usurpanda
Trigesimo *JANUARII.*

FORMULA PRECUM
CUM
GRATIARUM ACTIONE
Quotannis Usurpanda
Trigesimo Nono *MAII.*

MARIA R.

VOlumus ac jubemus, Ut hæ tres Orationum & Officiorum Formulæ in Quintum Novembris, *Trigesimum* Januarii, *& Vigesimum Nonum* Maii, *designatæ, absque morâ Excudantur ac Vulgentur, & ut in posterum adjiciantur Libro Publicarum Precum quotannis diebus istis usurpandæ, in omnibus Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, ac Sacellis; in omnibus Sacellis Collegiorum & Aularum utriusque Universitatis nostræ; ut & Collegiorum nostrorum* Eatonensis *&* Wintoniensis, *& in omnibus Ecclesiis Parochialibus ac Sacellis Regni nostri* Angliæ, *ac Principatus* Walliæ, *& oppidi* Berwick *ad* Tweedam,

Datum in Aula nostra *Whitehall*, Mensis *Octobris* die Sextâ, 1692. Anno Regni Nostri Quarto.

Jussu Regiæ Majestatis.
NOTTINGHAM

FORMULA PRECUM
CUM
GRATIARUM ACTIONE
Quotannis Uſurpanda
Quinto *NOVEMBRIS*,
OB

Ereptos Regem *Jacobum* I. & Tres Ordines Regni: maximè Proditoriæ ac Cruentæ cædi Nitrati pulveris, quæ ipſis parabatur: Ob fœlicem quoque Adventum *Gulielmi* noſtri Regis iſto quaſi die, ad liberandum Eccleſiam noſtram, Populúmque hujus Regni.

¶ *Idem erit officium in omnibus cum eo quod eſt in uſu Feſtis diebus; niſi ubi aliter tantum eſt in ſequentibus.*

¶ *Si dies iſte incidat in Dominicam, Collecta illius Dominicæ tantum, ſuo loco addetur huic Officio.*

¶ *Preces Matutinæ incipient ab his ſententiis.*

MIſerator & miſericors Dominus: longanimis & multum miſericors. *Pſal.* ciij. 8.

Non in perpetuum iraſcetur: neque in æternum comminabitur. *Verſ.* 9.

Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis: neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis. *Verſ.* 10.

¶ *Pro Pſalmo* Venite, exultemus, *ſequens Hymnus recitabitur aut cantabitur, Presbytero primo, Clerico autem & Plebi alternis reſpondentibus.*

COnfitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia ejus. *Pſal.* cvij. 1.

Dicant qui redempti à Domino, quos redemit de manu inimici. Verſ. 2.

Sæpe expugnaverunt me à juventute meâ: dicat nunc Iſrael. *Pſal.* cxxix. 1.

Sæpe expugnaverunt me à juventute meâ: & non prævaluerunt contra me. Verſ. 2.

Clanculum rete ſuum poſuerunt, ut immerito me deſtruerent: imò immerito animæ meæ foveam foderunt. *Pſal.* xxxv. 7.

Laqueum paraverunt pedibus meis & incurvaverunt animam meam: foderunt ante faciem

meam

meam foveam: & inciderunt in eam. Pſal. lvij. 8.

Magnus Dominus noſter & magna virtus ejus: imò ſapientiæ ejus non eſt finis. *Pſal.* cxlvii. 5.

Suſcipiens manſuetos Dominus: humilians autem peccatores uſque ad terram. Verſ. 6.

Fiat manus tua ſuper virum dextræ tuæ: & ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi. *Pſal.* lxxx. 18.

Et non diſcedemus à te, vivificabis nos: & nomen tuum invocabimus, Verſ. 19.

Gloria Patri, & Filio, &c. *Sicut erat in Principio,* &c.

¶ *Pſalmi proprii,* lxiv. cxxiv. cxxv.

¶ *Lectiones propriæ,* { *Prior,* 2 Sam. xxij. *Te Deum.* *Poſterior,* Act. [illegible]ij. *Jubilate.*

¶ *Suffragiis poſt Symbolum, hæc inſerentur ac dicentur pro Rege.*

Presbyter.

Domine ſalvum fac Regem.

Populus.

Qui ſperat in te.

Presbyter.

Mitte Illi auxilium de ſancto.

Populus.

Et perpetuo eum potenter defende.

Presbyter.

Nihil prævaleant inimici in eum.

Populus.

Filius iniquitatis non appropinquet ad nocendum ei.

¶ *Loco primæ Collectæ ad Matutinas, hæ duæ Collectæ dicentur.*

OMnipotens Deus, qui omnibus ſæculis potentiam & miſericordiam tuam patefeciſti, Eccleſiam tuam miraculoſe, & benignè liberando ac juſtos piòſque Reges & Respublicas profitentes ſanctam & æternam veritatem tuam protegendo adverſus nefarias conſpirationes, & pravas molitiones inimicorum; ex animo tibi gratias agimus, & gloriam tribuimus pro admiranda illa & potenti liberatione *Jacobi* Regis noſtri clementis defuncti, Reginæ, Principis, & univerſæ ſtirpis Regiæ, ut & Nobilium Cleri, & Plebis hujuſce Regni, tum Comitia celebrantium; qui omnes perquam barbarè & immaniter ac ſupra quam quod unquam in retro actis ætatibus auditum eſt, tanquam oves ad [illegible]nem Pontificiorum perfidia deſtinati erant. Ab immani iſta conjuratione non meritum noſtrum, ſed miſeratio tua, non noſtra, ſed una tua providentia nos liberavit. Atque adeò non nobis Domine, non nobis, ſed Nomini tuo tribuatur omnis honor & gloria, in omnibus Eccleſiis ſanctorum, à generatione in generationem, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

QUas rependimus ſincero animo gratias, Clementiſſime Pater, ſint tibi gratæ & acceptæ, quòd hilaritate & lætitiâ corda noſtra repleviſti, & poſtquam à te afflicti ſuimus, quod canticum novum oribus noſtris indidiſti, Regem, qui nunc ſuper nos regnat, iſto

quaſi

quasi die adducendo ad liberandum Ecclesiam Populúmque hujus Regni à Pontificiâ Tyrannide & Dominatione Arbitrariâ. Sapientiam & æquitatem Providentiæ Tuæ adoramus, quæ nobis in extremo constitutis periculo tempestive adeò subvenit, cunctáisque inimicorum nostrorum molitiones irritas reddidit. Da quæsumus ut mentes nostræ afficiantur vividâ & perenni recordatione eorum quæ tunc & ab isto tempore huccusque nostri gratia effecisti, ne de bonitate tuâ immensâ æque ac immeritâ adeò arroganter sentiamus, ut vanâ spe allecti obsequium tibi debitum persolvere obliviscamur; verum clementia tua nos ducat ad Pœnitentiam, Zelúmque ulteriorem, & diligentiam in nobis excitet ad Religionis nostræ, quam mirandum in modum servasti, officia exequenda. Veritas & Justitia, Fraterna Dilectio & Charitas, Pietas & Devotio, Concordia & Unanimitas, cunctæque virtutes ita inter nos vigeant, ut sæculi nostri sint Firmamentum, ac Ecclesiam hanc laudem constituant super terram. Hæc omnia supliciter petimus propter benedictum nostrum Dominum ac Servatorem. *Amen.*

¶ *In fine Litaniæ (quæ semper die isto recitabitur) post Collectam* (Infirmitates nostras, *&c.*) *dicetur hoc quod sequitur.*

OMnipotens Deus, Pater cœlestis qui benignâ tuâ providentiâ, & summa erga nos misericordiâ, inimicorum nostrorum malitiæ, & molitionibus obviam iviſti, revelato & profligato horrendo ac nefario eorum facinore, quod in diem istum moliti erant, ut tum illud perpetrarent, adversus Regem & Statum universum hujus Regni, ad Politiam & Religionem legibus apud nos constitutas penitus evertendas; & isto præterea die servum tuum, nunc Regem nostrum ad hoc regnum non sine miraculo incolumen adduxisti, ut nos ex hostium insidiis ereptos conservaret, quæ adversus leges & Religionem parabantur. Animo perquam demisso laudamus ac magnificamus gloriosum nomen tuum pro benigna, & infinita illa tua erga nos bonitate, in utraque liberatione exhibitâ Profitemur id misericordiæ tuæ, tuæ uni misericordiæ acceptum referendum, quod tum non excisi fuerimus. Quippe peccata nostra ad Cœlum contra nos clamabant; & iniquitates nostræ te ad ultionem juste provocabant. Sed non fecisti nobis secundum peccata nostra, neque secundum iniquitates nostras retribuisti nobis: neque nos tradidisti prout merebamur, in prædam inimicis nostris; sed misericorditer nos ab eorum malitia liberasti, & à morte & ruina immunes præstitisti. Fac Domine ut hujus tuæ bonitatis meditatio, in nobis veram pœnitentiam operetur, ne nobis sit iniquitas in ruinam, in nobis etiam fidem vivam & charitatem in omni sanctâ obedientiâ fructuosam magis magisque adaugeto, ut propensio illa tua, erga nos una cum luce Evangelii sit nobis, & posteris nostris perpetua; idque propter charissimum Filium tuum Jesum Christum,

Mediatorem & Advocatum noſtrum unicum. *Amen.*

¶ *Pro Oratione* [Tempore Belli ac Tumultuum] *dicetur hæc quæ ſequitur.*

DOmine qui hodiè inſidias nobis ſtructas patefeciſti, & nos ab iis non ſine miraculo liberaſti; Perge porrò noſter potens protector eſſe, inimicos autem noſtros qui ſanguine delectantur diſperge, eorum conſilia infatua ac diſſipa; ſuperbiam deprime, malitiam extingue, & artificia confunde. WILLELMI Regis noſtri clementis, ut & eorum omnium qui ſub eo munere aliquo publico funguntur, manus judicio & juſtitia corrobora, ad eos omnes operarios iniquitatis exſcindendos qui religionem convertunt in rebellionem, & fidem in factionem; ne unquam nobis prvæaleant, aut de nobis triumphent in ruinam Eccleſiæ tuæ apud nos: ſed Princeps noſter clementiſſimus & Regna illius in vera illa tua Religione cuſtodiantur, & in ejuſdem profeſſione miſericordi tua bonitate protegantur; adeò ut nos omnes tibi ſervire & gratias meritas referre in ſancta Eccleſia tua valeamus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

¶ *In Officio Sacræ Communionis, pro Collectâ diei, ſequens Collecta dicetur.*

ÆTerne Deus, & potentiſſime Protector noſter, nos indigni famuli tui præſentes adſumus coram majeſtate tuâ, agnoſcentes potentiam tuam, ſapientiam & bonitatem in Rege, & tribus Ordinibus hujus Regni dum Comitia celebrarent ſervandis & eripiendis ab exitio quod iis die iſto paratum erat. Da quæſumus, ut ingentem illam tuam miſericordiam cæteráſque tuas miſerationes erga nos grato ſinceróque animo ſentiamus; præſertim inſignem Tuam Clementiam, quâ recens iſtum maximè diem inclytum reddidiſti. Nomini tuo benedicimus ob fœlicem Regis noſtri adventum, & quod proſtrato nefario adverſariorum molimine, ſuper Solium hujus Regni Gubernatorem collocaſti. Te obteſtamur ut protectionem Tuam ipſi & univerſæ ſtirpi Regiæ continuare digneris ab omnibus proditionibus, & conſpirationibus. Cuſtodi eos in fide, timore & amore tui; proſpera Regnum illius diuturnâ fœlicitate hîc in terris, & eum corona poſthac gloriâ ſempiternâ in Regno Cœlorum, per Jeſum Chriſtum Servatorem & Redemptorem noſtrum unicum. *Amen.*

Epiſtola. Rom. xiij. 1.

OMnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris; time, non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt: vindex in iram, ei qui malum agit. Ideò neceſſi-

neceſſitati ſubditi eſtote: non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ideò enim & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum: cui vectigal vectigal: cui timorem timorem: cui honorem honorem.

Evangelium. S. Luk. xix. 51.

FActum eſt autem dum complerentur dies aſſumptionis ejus, & ipſe faciem ſuam firmavit ut iret in Jeruſalem. Et miſit Nuncios ante conſpectum ſuum: & euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum ut pararent illi. Et non recœperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jeruſalem. Cum vidiſſent autem Diſcipuli ejus Jacobus & Joannes dixerunt. Domine, vis dicimus ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos? Et converſus increpavit illos, dicens; Neſcitis cujus ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare. Et abierunt in aliud caſtellum.

¶ *Poſt Symbolum Apoſtolorum, ſi non habeatur Concio, prælegetur una aliqua ſex Homiliarum contra Rebellionem.*

¶ *Legenda eſt hæc ſententia ad Offertorium.*

S. *Matth.* vij. 2.

OMnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines; ita & facite illis. Hæc eſt enim Lex & Prophetæ.

Poſt Orationem pro Eccleſiâ Militante dicetur hæc quæ ſequitur.

DEus cujus Nomen eſt magnificum in univerſa terra & Gloria ſuper cœlos, qui iſto quaſi die, haud abſque miraculo Eccleſiam Statumque hujus Regni ſervaſti ab occultis machinationibus Conjuratorum Papiſticæ Factionis, eorúmque internali malitiâ: eodémque quaſi die inchoaſti opus inclytum liberationis noſtræ, ab immani Tyrannide & injúrià eorundem crudelium inimicorum, qui ſanguinem ſitiunt. Glorioſæ Tuæ Majeſtati benedicimus, eandemque adoramus cum ob priorem, tum ob mirificam iſtam Benignitatem tuam erga Eccleſiam populúmque hujus Regni, qua nuper Religionem noſtram & Privilegia conſervaſti. Te quoque ſuppliciter rogamus, ut iteratis Tuis beneficiis ita pie afficiamur ut renovetur & augeatur in nobis ſpiritus amoris & gratitudinis erga te, cuiſoli opus hoc acceptum debemus. Inſuper augeatur in nobis ſpiritus placidæ ſubmiſſionis & obſequii erga clementem noſtrum Regem, cujus fœlici miniſterio uſus es, fervidique zeli erga Religionem noſtram quam nunc rurſus è periculo liberaſti & nobis poſteriſque noſtris in benedictionem ſtabiliſti. Hæc autem rogamus propter Jeſum Chriſtum. *Amen.*

FORMULA PRECUM PUBLICARUM CUM JEJUNIO Quotannis Uſurpanda.

Trigeſimo JANUARII, QUI EST

Dies Martyrii *CAROLI* Regis, ejus Nominis Primi; ad Divinam miſericordiam implorandum, ut à nobis aut poſteris noſtris Deus non exigat pœnas ſacri & innocui illius Sanguinis, & aliorum Criminum quibus ipſe infenſus nos & Regem noſtrum tradidit in manus crudelium & male feriatorum hominum.

¶ *Si dies iſte inciderit in Dominicam aliquam, Officium hoc, una cum Jejunio, ſequenti die, Celebrabitur.*

¶ *Et Dominica proximâ ante prefatum diem inter Matutinas, immediatè poſt Symbolum Nicenum, oportet Monitionem dari ut Dies iſte præfatus cum debitâ obſervatione celebretur.*

¶ *Officium idem erit in omnibus cum Officio pro diebus Feſtis conſueto; niſi ubi poſteà aliter præſcriptum fuerit.*

Ordo Precum Matutinarum.

¶ *Miniſter incipiet ab una aliqua harum ſententiarum.*

TIbi autem Domino Deo noſtro miſericordia & propitiatio quia receſſimus à te: & non audivimus vocem Domini Dei noſtri, ut ambularemus in lege ejus quam poſuit nobis. *Dan.* ix. 9, 10.

Corripe nos Domine, verumtamen in judicio: & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas nos. *Jer.* x. 24.

Non intres in judicium cum ſervis tuis: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Pſal. cxliij. 2.

¶ *Pro Pſalmo*, Venite exultemus, *ſequens Pſalmus alternis recitabitur, à Presbytero, & à Clerico & Populo.*

JUſtus es Domine: & rectum judicium tuum. *Pſal.* cxix. 137.

Et

Et tu juſtus es in omnibus, quæ venerunt ſuper nos: quia veritatem feciſti, nos autem impiæ egimus. Neh. ix. 33.

Mei penè moti ſunt pedes: penè effuſi ſunt greſſus mei. *Pſal.* lxxij. 2.

Quia zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. Verſ. 3.

Aſtiterunt Reges Terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum: & adverſus Chriſtum ejus. *Pſal.* 2. 2.

Quoniam cogitaverunt unanimiter: ſimul adverſus eum teſtamentum diſpoſuerunt. Pſal. lxxxij. 5.

Quoniam audivit vituperationem multorum commorantium in circuitu. In eo dum convenirent ſimul âdverſum eum: accipere animam conſiliati ſunt. *Pſal.* xxx. 15.

Locuti ſunt adverſum eum linguâ doloſâ: & ſermonibus odii circumdederunt eum: & expugnaverunt gratis. Pſal. cviij. 2.

Etenim homo pacis illius in quo ſperavit, qui edebat panes ejus: magnificavit ſuper illum ſupplantationem. *Pſal* xl. 9.

Retribuebant illi mala pro bonis: ſterilitatem animi ejus. Pſal. xxxiv. 12.

Conſilium fecerunt in unum; dicentes Deus dereliquit eum, perſequimini & comprehendite eum: quia non eſt quia eripiat. *Pſal.* lxx. 9. 11.

Spiritus oris noſtri Chriſtus Domini captus eſt in inſidiis eorum: de quo diximus in umbrâ illius vivemus in gentibus. Lam. iv. 29.

Ingreſſus eſt hoſtis & inimicus per portas Jeruſalem: dicentes quando morietur, & peribit nomen ejus. *Verſ.* 12. *Pſal.* xl. 6.

Verbum iniquum conſtituatur adverſum eum: & nunc quod dormit, non reſurgat. Verſ. 8.

Surrexerunt teſtes iniqui adverſus illum: quæ ignorabat objiciebant illi. *Pſal.* xxxiv. 11.

Propter peccata populi, & iniquitates ſacerdotum ejus: fuderunt in medio Jeruſalem ſanguinem juſtorum. Lam. iv. 13.

In Conſilio eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea: quia in furore ſuo occiderunt virum, *Gen.* xlix. 6.

Virum dexteræ: tuæ filium hominis quem confirmaſti tibi. Pſal. lxxix. 18.

Viſus eſt oculis inſipientium mori: & æſtimata eſt afflictio exitus illius. *Sapient.* 3. 2.

Inſenſati vitam ejus æſtimabant inſaniam, & vitam ejus ſine honore: Ille autem eſt in pace. Sapient. v. 4. iij. 3.

Et ſi coram hominibus tormenta paſſus eſt: ſpes tamen illius immortalitate plena eſt. *Sapient.* iij. 4.

Ecce quomodo computatus eſt inter filios Dei: & inter ſanctos ſors illius eſt. Sapient. v. 5.

Verum Deus ultionum Domine, Deus ultionum Domine: benigne fac Domine in bonâ voluntate tua Sion. *Pſal.* xciv. 1. & 51. 18.

Propitius eſto, Domine populo tuo Iſrael, quem redemiſti: & ne reputes ſanguinem innocentem in medio populi tui Iſrael. Deut. xxj. 8.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam noſtram: & cum viris ſanguinum vitam noſtram. *Pſ.* xxv. 9.

Libera nos de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis noſtræ: &

exultabat lingua noſtra juſtitiam tuam. Pſal. 50. 15.

Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es; neque habitabit juxta te malignus. *Pſal.* v. 4.

Perdes omnes qui loquuntur mendacium: virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus. Verſ. 6.

Quomodo facti ſunt in deſolationem, ſubito defecerunt: & perierunt propter iniquitatem ſuam. *Pſal.* lxxij. 19.

Velut ſomnium ſurgentium Domine in civitate tuâ imaginem eorum ad nihilum redegiſti. Verſ. 19.

Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine Deus Omnipotens: juſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſæculorum. *Apoc.* xv. 3.

Juſtus es Domine: & rectum judicium tuum. Pſal. cxix. 139.

Gloria Patri, & Filio, *&c.*
Sicut erat in principio, &c.

¶ *Pſalmi Proprii,* ix. x. xj.

¶ *Lection.* § *Prior,* 2 Sam. i.
Propriæ, ¿ *Poſter. S.* Mat. xxvij.

¶ *Pro prima Collecta ad Matutinas, hæ duæ proximè ſequentes recitabuntur.*

POtentiſſime Deus, terribilis in judiciis tuis, & admirande in iis quæ operaris erga filios hominum, qui in gravi tuâ indignatione, permiſiſti ut Clementiſſimi Principis noſtri defuncti vita, die iſto per manus iniquorum ablata ſit: Nos humiles famuli tui, animo demiſſo confitemur, peccata hujus Gentis cauſam fuiſſe immiſſi in nos graviſſimi illius Judicii. Aſt Deus clementiſſime, cùm requires ſanguinem, noli effuſi ſanguinis illius innocentis crimen, (quod nihil expiare poteſt præter ſanguinem Filii tui) noli crimen illud populo hujus Regionis imputare, nec unquam ſanguis ille requiratur à nobis aut poſteris noſtris. Propitius eſto, propitius eſto populo tuo, quem redemiſti; & ne iraſcaris nobis in æternum, ſed parce nobis propter miſericordiam tuam, per merita Filii tui Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

BEnedicte Deus, in cujus oculis Sanctorum tuorum mors pretioſa eſt; Nomen tuum magnificamus pro ubertate illa gratiæ, quam Principi noſtro defuncto Martyri tuo, largitus es, qua factus eſt idoneus qui tam alacriter premeret veſtigia benedicti Magiſtri & Servatoris ſui, conſtanter & miti animo barbaras omnes contumelias perpetiendo, & tandem ad ſanguinem uſque reſiſtendo; & tum etiam illud ipſum exemplum ſequutus, orando pro ſuis interfectoribus. Benedicta ſit apud nos in æternum memoria illius, ut patientiæ & charitatis ipſius exemplum imitemur. Ac concede ut noſtra hæc Regio immunis ſit ab ultione ſanguinis illius, ut & miſericordia tua in delictorum noſtrorum condonatione glorificetur; quæ omnia petimus propter Jeſum Chriſtum. *Amen.*

¶ *In*

¶ *In fine Litaniæ (quæ ſemper die iſto recitabitur) poſt Collectam* (Infirmitates noſtras ſupplices quæſumus, &c.) *dicendæ ſunt hæ tres Collectæ.*

PReces noſtras quæſumus Domine, clementer exaudi, & illis omnibus parce qui tibi peccata ſua confitentur, ut quos conſcientia delictorum accuſat, indulgentia propitiationis tuæ abſolvat, per Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

POtentiſſime Deus, & Pater miſericors, qui omnium hominum miſereris, & nihil eorum odiſti quæ condidiſti, qui non vis mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur ab iniquitate ſua, & ſalvus fiat; delicta noſtra clementer condona nobis; excipe & conſolare nos, qui laboramus & fatiſcimus ſub onere peccatorum noſtrorum. Tuum eſt ſemper miſereri, tu unus peccata potes condonare: nobis igitur parce, Domine, parce Populo tuo quem redemiſti. Ne intres in judicium cum famulis tuis, qui ſumus vilis cinis & pulvis & miſeri peccatores: ſed ita iram tuam averte à nobis qui vilitatem noſtram humiliter agnoſcimus, & quos verè delictorum noſtrorum pœnitet, ſicque feſtina ad adjuvandum nos in hoc mundo, ut tecum æternum vivamus in futuro, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

COnverte nos miſericors Domine & convertemur. Propitius eſto Domine, propitius eſto populo tuo, qui ad te convertitur in lacrymis, jejuniis & precibus. Quia tu es Deus miſericors & plenus miſerationum, longanimis, & multæ miſericordiæ. Tu parcis cùm pœnas meremur, & in ira tua de miſericordia cogitas. Parce populo tuo miſericors Domine, parce: & ne des hæreditatem tuam in opprobrium. Exaudi nos Domine, quia multa eſt miſericordia tua: & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice nos; per merita & mediationem Filii tu benedicti Jeſu Chriſti Domini noſtri. *Amen.*

¶ *In Officio Sacræ Communionis, immediatè poſt Precationem pro Rege* [Omnipotens Deus cujus Regnum æternum, *&c.*] *pro Collecta Diei dicendæ ſunt hæ duæ.*

Potentiſſime Deus, *&c.*
Benedicte Deus, in cujus, *&c.*

Ut inter Matutinas.

Epiſtola. 1 S. *Pet.* ij. 13.

SUbjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive Regi quaſi præcellenti, ſive ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia ſic eſt voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſervi Dei. Omnes honorate. Fraternitatem diligite. Deum timete. Regem honorificate. Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bo-

nis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis. Hæc eſt enim gratia, ſi propter Deſ conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens injuſtè: Quæ eſt enim gloria, ſi peccantes, & colaphizati ſuſtertis? Sed ſi benefacientes patientes ſuſtinetis; hæc eſt gratia apud Deum, in hæc enim vocati eſtis: quia Chriſtus paſſus eſt pro nobis vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.

Evangelium. S. *Mat.* xxj. 33.

HOmo erat Pater-familias qui plantavit vineam, & ſepem circundedit ei, & fodit in eâ torcular, & ædificavit Turrim, & locavit eam agricolis: & peregrè profectus eſt, cum autem tempus fructuum appropinquaſſet, miſit ſervos ſuos ad Agricolas, ut acciperent fructum ejus. Et Agricolæ apprehenſis ſervis ejus alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidaverunt. Iterum miſit alios ſervos plures prioribus, & fecerunt ſimiliter. Noviſſimè autem miſit ad eos Filium ſuum, dicens, Verebuntur fortè Filium meum. Agricolæ videntes Filium, dixerunt intra ſe. Hic eſt hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus, & apprehenſum eum ejecerunt extra vineam, & occiderunt. Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet Agricolis illis? Aiunt illi malos malè perdet: & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus ſuis.

¶ *Poſt Symbolum* Nicenum *loco Concionis prælegentur prima & ſecunda pars Homiliæ contra Rebellionem & Contumaciam, publica autoritate editæ; aut à Miniſtro qui ſacra peragit, quam ipſe ſuper idem Argumentum compoſuerit, concio habebitur.*

¶ *Legenda eſt hæc Sententia ad Offertorium.*

S. Matth. vij. 12.

OMnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, ita & facite illis: hæc eſt enim lex & Prophetæ.

¶ *Poſt Orationem* (Pro univerſo ſtatu Eccleſiæ Chriſti, &c.) *hæ duæ Collectæ ſequentes dicentur.*

DOmine Pater noſter cœleſtis, qui non plectis nos pro meritis peccatorum noſtrorum, ſed in medio judiciorum tuorum miſericordiæ etiam recordatus es, favori tuo ſingulari acceptum ſerimus, quod, licet pro magnis multiplicibuſque delictis noſtris quibus iram tuam provocavimus, permiſeris ut unctus tuus die iſto, incideret in manus hominum violentorum, & ſanguinem ſitientium, & ab iis barbare interficeretur, nos tamen non dereliquiſti perpetuò tanquam oves ſine Paſtore; ſed benigna illa tua providentiâ, coronæ illius hæredem indubitatum Regem *Carolum* II. Dominum noſtrum tunc temporis clementiſſimum non ſine miraculo immunem præſtitiſti adverſus ſanguinarios inimicos

ſuos

uos ipſum cooperiens tegmine alarum tuarum, uſque dum eorum tranſierit iniquitas: ipſumque opportuno præſtitutóque tuo tempore reduxiſti, ut ſederet in pace ſuper ſolio Parentis, & ut ea authoritate in nos uteretur quam ſpeciali gratiâ tuâ illi commiſiſti; pro his magnis & ineffabilibus beneficiis tuis ſumma cum animi demiſſione, atque ex intimo corde tibi gratias agimus, ſupplicantes ut benignam protectionem tuam univerſæ Regiæ Proſapiæ perpetuam eſſe velis, Clementiſſimóque noſtro Domino Williel-mo concedas diuturnum proſperumque Regnum ſuper nos. Sic nos populus tuus agemus tibi gratias ſempiternas, & laudem tuam indeſinenter patefaciemus á generatione in generationem, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

DA nobis, quæſumus Domine, ut hujus mundi curſus ita pacificè tua gubernatione dirigatur, ut Eccleſia tua tibi tranquillâ devotione cum gaudio ſerviat, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

Ordo pro Veſpertinis Precibus.

¶ *Hymnus qui pro Pſalmo* Venite exultemus, *ſubſtitutus eſt, hic etiam uſurpabitur ante proprios Pſalmos,*

Juſtus es Domine, *&c.*

¶ *Pſal. prop.* lxxix. xciv. lxxxv.

¶ *Lectiones propriæ,* { *Prior*, Jer. xij. *aut* Dan. ix. *uſque ad v.* 22. *Poſterior*, Heb. xj. *v.* 32. *&* xij. *ad v.* 7.

¶ *Loco primæ Collectæ Precibus Veſpertinis adhibeantur duæ iſtæ quæ ſequuntur.*

OBenedicte Domine Deus, qui omnia ſapientiâ tua non tantum gubernas & dirigis juſtitiæ tuæ maximè convenienter, ſed voluntatem tuam ita perficis, ut fieri non poſſit quin agnoſcamus te juſtum eſſe in omnibus viis tuis, & ſanctum in omnibus operibus; nos populus tuus multiplicium peccatorum rei coram te procidimus, confitentes quòd recta fuerunt judicia tua, cùm permitteres, ut Die iſto, homines crudeles, filii Belial, manus ſuas cruentarent ſanguine uncti tui: nempe nos ipſi judicia iſta ſuper nos adduximus irâ tuâ diu multumque in nos flagitiis noſtris provocatâ; propterea igitur humiliamus nos ipſos hic coram te, miſericordiam tuam ſuper ea omnia implorantes; & ut velis hanc Gentem noſtram à ſanguinibus liberare ſupplicantes, ab eo maximè qui die iſto, effuſus eſt: avertas etiam à nobis & à poſteris noſtris ea omnia judicia quibus obnoxios peccata noſtra nos jure merito reddiderunt. Hæc concede propter ſuperabundantia merita Filii tui Servatoris noſtri Jeſu Chriſti. *Amen.*

BEnedicte Deus, juſte atque potens, qui permiſiſti ut cha-

charissimus famulus tuus venerandus Princeps noster defunctus die isto, violentis improborum contumeliis traditus fuerit, ab ipsis protervè habendus & tandem interficiendus; quanquam tam fœdum facinus non nisi cum horrore atque attoniti cogitare valemus, attamen gratissimis animis commemoramus glorias gratiæ tuæ, quæ tum in Uncto tuo emicuerunt, quem memorabili exemplaris patientiæ, mansuetudinis ac charitatis mensurâ donare dignatus es, etiam horâ mortis in conspectu crudelium inimicorum suorum. Et quamvis siveris illos eò usque violentiæ progredi, ut eum interfecerint, & solium ipsius occupaverint, attamen Filium ejus ad quem jure hæreditario pertinebat, ingenti misericordiâ servasti incolumem & tandem mirabili providentiâ reducem super illud collocasti ut veram tuam Religionem apud nos denuò instauraret, & pacem constitueret. Pro quibus Nomini tuo gloriam tribuimus, per Jesum Christum benedictum Dominum nostrum. *Amen.*

¶ *Immediatè post Collectam* [Tenebras nostras illumina, *&c.*] *hæ tres proximè sequentes adhibeantur,*

Preces nostras, quæsumus, *&c.*

Potentissime Deus, & Pater misericors, *&c.*

Converte nos, Misericors Domine, *&c.*

Prout in Matutinis.

¶ *Immediatè ante Orationem S. Chrysostomi, hæc Collecta dicitur.*

OMnipotens & sempiterne Deus, cujus justitia sicut montes Dei, & judicia sicut abyssus multa; & qui barbara illa cæde, in sacram personam Uncti tui, Principis nostri defuncti, die isto commissâ, nos docuisti vel Regum maximos, vel hominum optimos violentæ æque ac naturali morti esse obnoxios; hinc etiam doce nos dies nostros ita computare ut ad sapientiam animum nostrum adjiciamus. Ac concede ut neque splendor ullius rei magnæ, neque imaginatio ullius boni in nobis, avertant oculos nostros à nobis, quominus eos conjiciamus in nos ipsos tanquam in pulverem & cinerem peccato etiam inquinatum; sed ut beati hujus Martyris tui exemplum sequuti, progrediamur ad præmium supernæ vocationis nobis propositum, in fide & patientiâ, in humilitate & mansuetudine; in mortificatione & abnegatione nostri ipsorum: in charitate & constanti perseverantiâ usque ad finem. Et hæc omnia propter Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum; cui tecum & cum Spiritu Sancto, sit omnis honor & gloria in sæcula sæculorum. *Amen.*

FORMULA

FORMULA PRECUM
CUM
GRATIARUM ACTIONE

Ad Deum Omnipotentem, pro eo quòd finem impoſuerit Vegrandi Rebellioni, Reſtituto Rege, Regiâque familiâ, & Reſtaurato Gubernio ſive Regimine, quod per aliquam multos annos interciſum fuerat. Quæ inenarrabilia beneficia miraculosè abſoluta, & completa erant Vigeſimo nono Die *Maii*, Anno Domini 1660.

In cujus rei memoriam Statutum eſt authoritate Parlamenti, ut dies iſte quotannis in perpetuum ſanctus obſervetur.

¶ *Statutum Parlamentarium factum* 12 *& confirmatum* 13 *Regis* Caroli *Secundi pro obſervando* 29. *Die* Maii *quotannis, utpote die publicæ Gratiarum Actioni præſtituto, oportet legi publicitùs in omnibus Eccleſiis inter matutinas immediatè poſt Symbolum Nicenum Die Dominicâ proximâ ante præfatum quemlibet* 29. *Diem* Maii, *unà cum monitione ut Dies iſte præfatus cum debitâ obſervatione celebretur.*

¶ *Officium idem erit in omnibus, cum Officio pro diebus Feſtis, niſi ubi in hoc Officio aliter præſcriptum eſt.*

¶ *Si dies iſte inciderit in diem Aſcenſionis aut Pentecoſtes, addendæ erunt propriis locis Collectæ hujus Officii feſtorum iſtorum Officiis: Si verò in feriam ſecundam, aut tertiam poſt Pentecoſten, aut in Dominicam Trinitatis, Pſalmi proprii, prout hic aſſignantur in hunc diem, pro Pſalmis juxta conſuetum ordinem uſitatis erunt inſuper uſurpandi, & Collectæ addendæ ut prius; Et in omnibus hiſce caſibus cætera hujus Officii omittenda ſunt. Quòd ſi inciderit in aliam quamvis Dominicam, hoc totum Officium uſurpandum erit, prout ſequitur, ex integro: Et quodcunque feſtum inciderit in hunc ſolemnem diem Gratiarum Actionis, ſequens Hymnus, qui pro Pſalmo* Venite Exultemus *ſubſtitutus eſt, conſtanter uſurpabitur.*

¶ *Preces Matutinæ ab hiſce ſententiis incipient.*

TIbi Domino Deo noſtro miſericordia & propitiatio, quia receſſimus à Te & non audivimus vocem Domini Dei noſtri, ut ambularemus in lege ejus, quam poſuit nobis per ſervos ſuos Prophetas. *Dan.* ix. 9, 10.

Summæ

Summæ benignitatis est Jehovæ quod non sumus absumpti, quod non finiuntur miserationes ejus. *Lam.* iij. 22.

¶ *Pro Psalmo* Venite Exultemus, *recitabitur aut cantabitur Hymnus sequens alternis à Presbytero, atque à Clerico & Populo.*

Misericordias Domini in æternum cantabo: in generationem & generationem annunciabo veritatem tuam in ore meo. *Psal.* lxxxix. 1.

Memoriam fecit mirabilium suorum: misericors & miserator Dominus. *Psal.* cx. 24.

Quis loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes ejus. *Psal.* cvi. 2.

Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates ejus. *Psal.* cxj. 2.

Suscipiens mansuetos Dominus: humilians autem peccatores usque ad terram. *Psal.* cxlvij. 6.

Faciet misericordiam Dominus: & judicium omnibus injuriam patientibus. *Psal.* ciij. 6.

Non in perpetuum irascetur: neque in æternum comminabitur. *Vers.* 9.

Non secundùm peccata nostra fecit nobis: neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis. *Vers.* 10.

Quoniam secundùm altitudinem Cœli à Terra: corroboravit misericordiam suam super timentes se. *Vers.* 11.

Quomodo miseretur Pater filiorum: misertus est Dominus timentibus se. *Vers.* 13.

Quoniam probasti nos Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. *Ps.* lxvj. 9.

Imposuisti homines super capita nostra; transivimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium. *Vers.* 11.

Quantas ostendisti nobis tribulationes multas & malas? & conversus vivificasti nos: & de abyssis terræ iterum reduxisti nos. *Psal.* lxxj. 18.

Quia in humilitate nostra memor fuisti nostri, & redemisti nos ab inimicis nostris: quoniam in æternum misericordia Tua. *Psal.* cxxxvj. 23, 24.

Benedixisti Domine terram Tuam: avertisti captivitatem Jacob. *Psal.* lxxxv. 1.

Deus noster, misericordia ejus prævenient nos: Deus ostendit nobis super inimicos nostros. *Psal.* lix. 10.

Ipsi obligati sunt & ceciderunt: nos autem surreximus & erecti sumus. *Psal.* xx. 8.

Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem: expulsi sunt nec potuerunt stare. *Psal.* xxxvj. 12.

Dominus memor fuit nostri & benedixit nobis: benedixit domui Israel, benedixit domui Aaron. *Psal.* cxv. 12.

Benedixit omnibus qui timent Dominum: pusillis, cum majoribus. *Vers.* 13.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum. *Psal.* cvij. 21.

Et sacrificent sacrificium laudis: & annuncient opera ejus in exultatione. *Vers.* 22.

Neque occultemus à filiis nostris in generatione altera: narrantes laudes Domini & virtutes ejus, & mirabilia ejus quæ fecit. *Psal.* lxxviij. 4.

Ut cognoscat generatio altera, filii qui nascentur & exurgent: ne fiant sicut Patres eorum

rum generatio prava & exaſperans. *Verſ.* 6, 9.

In Eccleſiis benedicite Deo Domino: de fontibus Iſrael. *Pſal.* lxviij. 26.

Benedictus ſit Dominus quotidie: proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum. *Verſ.* 19.

Conſumetur nequitia peccatorum: & diriges juſtum. *Pſal.* vij. 9.

Exultent, & lætentur ſuper Te omnes quærentes Te: & dicant ſemper, Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare Tuum. *Pſal.* xl. 19.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in Principio, &c.

¶ *Pſalmi proprii*, cxxiv, cxxvj, cxxix, cxviij.

¶ *Lectiones propriæ*, *Prior*, 2 Sam. xix. 9. vel Num. xvj. Te Deum. *Poſterior*, *Epiſtola S.* Judæ. Jubilate Deo.

¶ *Suffragia proximè à Symbolo Apoſtolico hæc ſunto.*

Presbyter.

Oſtende nobis Domine miſericordiam Tuam.

Reſponſio.

Et ſalutare Tuum da nobis.

Presbyter.

Domine ſalvum fac Regem.

Reſponſio.

Qui ſperat in te.

Presbyter.

Mitte illi auxilium de ſancto Tuo.

Reſponſio.

Et potenter eum defende.

Presbyter.

Nihil prevaleant inimici in eum.

Reſponſio.

Filius iniquitatis non appropinquet ad nocendum ei.

Presbyter.

Miniſtri Tui induantur juſtitia.

Reſponſio.

Et ſancti Tui exultent.

Presbyter.

Da Pacem Domine in diebus noſtris.

Reſponſio.

Quia non eſt alius, qui pugnet pro nobis, niſi Tu Deus noſter.

Presbyter.

Eſto nobis Domine turris fortitudinis.

Reſponſio.

A facie inimicorum noſtrorum.

Presbyter.

Domine exaudi orationem noſtram.

Reſponſio.

Et Clamor noſter ad Te perveniat.

¶ *Pro prima Collecta ad Matutinas hæ duæ ſequentes dicentur.*

OMnipotens Deus, qui famulis Tuis arx fortitudinis, & propugnaculum es adverſus hoſtes ipſorum, Tibi laudem & Gratiarum Actiones, tribuimus pro miraculoſa horum Trium Regnorum liberatione à Vegrandi illa rebellione omnibuſque miſeriis & oppreſſionibus exinde conſecutis, ſub quibus tam diu congemuerant. Benignitati Tuæ acceptum ferimus quòd ipſis præda facti non fuimus; Obſecrantes ut favores illos Tuos perpetuos nobis eſſe velis, ut palam ſit omnibus Te ſervatorem noſtrum & Potentem Liberatorem eſſe, per Jeſum

sum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

O Domine Deus salutis nostræ, qui super hanc regionem benignitatem tuam supra modum multiplicasti, & à calamitosis nostris confusionibus nos non sine miraculo providentia Tua liberasti, Reddito nobis legitimaisque atque indubitatis juribus ipsius Clementissimo nostro tunc temporis Principe ac Domino Rege *Carolo* Secundo famulo Tuo (omni potentia, omnique malitia inimicorum suorum nequicquam obsistentibus) & in solio hujus Regni collocato; eoque pacto publica liberaque veræ Tuæ Religionis verique Tui Cultus professione, unà cum pristina pace ac prosperitate nostra nobis insimul restituta, ad magnum Cordium nostrorum solatium ac gaudium. Hic jam præsentes adsumus in conspectu Tuo, cum omni debita gratitudine, ineffabilem illam bonitatem Tuam, Die isto nobis præstitam & patefactam agnituri & Sacrificium laudis Magno & Glorioso Nomini Tuo ea propter oblaturi; demisse rogantes, ut accepta Tibi sit sincera hæc, quanquam indigna, nostri ipsorum oblatio; omnimodam obedientiam sanctam, cogitatione, verbo & opere, Divinæ Majestati Tuæ voventes, ac pollicentes, in Te & propter Te, omnem veram ac debitam fidem Uncto tuo nunc super nos in Regem nostrum constituto, & postmodum hæredibus ejus. Quem ut omni incremento gratiæ, honoris & felicitatis in hoc mundo cumules, & in futuro Immortalitate & gloria corones, quæsumus, propter Jesum Christum Dominum & Salvatorem nostrum unicum. *Amen.*

¶ *Recitatâ Litaniâ (quæ semper die isto recitabitur) post Collectam* Infirmitates nostras, *&c. dicatur hoc quod jam sequitur.*

O Mnipotens Deus, qui per omnes ætates Potentiam & misericordiam Tuam manifestam fecisti, Ecclesiam Tuam miraculosè & gratiosè liberando, Regesq; & Status, justos ac religiosos, sanctam Tuam atque æternam veritatem profitentes, usque protegendo ab omnium Inimicorum suorum Conjurationibus malignis, & impiis Machinationibus; Tibi debitas ex intimis Visceribus Gratias & Laudem persolvimus, uti pro multis Tuis magnis, iisque publicè exhibitis Miserationibus, ità præsertim pro insigni illa & admiranda Liberatione, per sapientem Tuam & Clementem Providentiam, isthoc maximè Die, Clementissimo nostro tum temporis Domino ac Regi *Carolo* Secundo, totique Regiæ Prosapiæ, & per illos, & una cum illis, universæ adeò huic Ecclesiæ Reique Publicæ, & omnibus cujuscunque status atque Ordinis utrobique fidelibus, plenè confecta & benignè præstita, ab effera & brutali sacinorosorum & crudelium hominum Rebellione, Usurpatione, ac Tyrannide, & à tristi Confusione ac Ruina exinde insecuta. Ab his omnibus, O Gratiose & Misericors Domine Deus, non meritum nostrum, sed Tua Misericordia, non nostra Prudentia, sed Tua Providentia, non nostrum ipsorum

Brachium,

Brachium, ſed Tua auxiliatrix Dextra, Tuumque Brachium, & Lumen vultus Tui eripuit & liberavit nos, idque quoniam nos peculiari favore complexus es. Quapropter non nobis, Domine, non nobis, verùm Nomini tuo tribuatur omnis Honor, Laus, & Gloria, cum humillima & devotiſſima Gratiarum actione, in omnibus Sanctorum cœtibus. Faxis ô Deus! Benedictus ſit Dominus Deus noſter, qui ſolus facit mirabilia, & benedictum ſit Nomen Majeſtatis ejus in ſæcula, per Jeſum Chriſtum, unicum Dominum, & Servatorem noſtrum. *Amen.*

¶ *In officio Communionis, immediatè ante Lectionem Epiſtolæ, hæ duæ Collectæ recitabuntur, loco Collectæ pro Rege & Collectæ Diei.*

OMnipotens Deus, qui famulis Tuis turris fortitudinis & propugnaculum exiſtis, adverſus hoſtes ipſorum, Tibi Laudem, & Gratiarum Actiones tribuimus pro miraculoſa horum Trium Regnorum liberatione à Vegrandi illa Rebellione, omnibuſq; miſeriis & oppreſſionibus exinde conſecutis, ſub quibus tam diu congemuerant. Benignitati Tuæ acceptum ferimus, quòd ipſis præda facti non ſimus; Obſecrantes, ut favores illos Tuos perpetuos nobis eſſe velis, ut omnibus palam ſit Te ſervatorem noſtrum, & potentem Liberatorem eſſe, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

O Domine Deus ſalutis noſtræ, qui ſuper hanc Regionem benignitatem Tuam ſupra modum multiplicaſti, & à calamitoſis noſtris confuſionibus nos non ſine miraculo providentia Tua liberaſti, Reddito Nobis, legitimiſque atque indubitatis juribus ſuis, Clementiſſimo noſtro tunc temporis, Principe ac Domino Rege *Carolo* Secundo famulo Tuo (omni potentia, omnique malitia inimicorum ſuorum nequicquam obſiſtentibus) & in ſolio hujus Regni collocato; eoque pacto publica liberaque veræ Tuæ Religionis, veriquè Tui cultus profeſſione, unà cum priſtina pace ac proſperitate noſtra, nobis iniſimul reſtituta, ad magnum cordium noſtrorum ſolatium ac gaudium: Quocirca hic jam præſentes adſumus in conſpectu Tuo, cum omni debita gratitudine in ſtabilem illam bonitatem Tuam, Die iſto nobis præſtitam, & pateſactam celebraturi, & ſacrificium laudis Magno & Glorioſo Nomini Tuo eapropter oblaturi; demiſſe rogantes, ut accepta Tibi ſit ſincera hæc, quanquam indigna, noſtri ipſorum oblatio; omnimodam obedientiam ſanctam, cogitatione verbo & opere, Divinæ Majeſtati Tuæ voventes, ac pollicentes in Te & propter Te omnem veram ac debitam fidem Uncto tuo nunc ſuper nos in Regem noſtrum conſtituto, & poſtmodùm hæredibus ejus. Quem ut omni incremento gratiæ, honoris & fœlicitatis in hoc mundo cumules, & in futuro Immortalitate & gloria corones, quæſumus, propter Jeſum Chriſtum Dominum & Salvatorem noſtrum Unicum. *Amen.*

¶ *Epiſtola*, 1 S. Pet. ij. 11–17.

¶ *Evang.* S. Matth. xxij. 16–22.

¶ *In*

¶ *In Offertorio hæc sententia legetur.*

S. *Matth.* vij. 21.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in Cœlis est, ipse intrabit in Regnum Cœlorum.

¶ *Post Orationem pro Universo Statu Ecclesiæ Christi, hâc sequenti Collectâ utendum erit.*

OMnipotens Deus ac Pater Cœlestis, qui ex infinita Tua & ineffabili bonitate adversus nos, extraordinarium & mirabilem in modum, nefaria effrænatorum & præfractorum perduellium consilia elusisti, & subvertisti; qui sub Religionis & sanctissimi Tui Nominis prætextu, hujusce Ecclesiæ & Regni totale Excidium moliti fuerant, & tantum non effectum dederant: sicuti nos hodie cum summa animi devotione gloriosum Nomen tuum veneramur & concelebramus, pro hac Tua infinita Clementia jam pridem nobis exhibita, ita humillime Te obtestamur, ut gratiam & favorem Tuum erga nos continuare digneris, tegendo ac protegendo nos sub umbra alarum Tuarum, ut nequa istiusmodi unquam horrenda calamitas nobis iterato contingat. Hunc in finem emitte Lucem Tuam & Veritatem Tuam, quo [illegible]tegantur hæc Arcana Sa[illegible]æ, hoc Mysterium iniquitatis. Dementa & frustrare cuncta impiorum secreta consilia. Imminue eorum superbiam, mitiga malitiam, & confunde machinationes. Clementissimi Regis nostri *Willielmi*, omniumque quotquot sub illo in authoritate constituti sunt, manus corrobora, cum judicio & justitia, ut exscindant omnes istiusmodi operatores iniquitatis, qui Religionem in Rebellionem, & Fidem in Factionem pervertunt, ut nunquam denuò invalescant adversus nos, neque in Ruinis Monarchiæ atque Ecclesiæ Tuæ, quæ est apud nos, triumphos agant. Serenissimum Dominum Regem nostrum, cum universa Regia stirpe, ab omnimodis Proditionibus & Conjurationibus protege, ac defende. Esto illi Galea salutis, & Arx munitionis contra faciem omnium hostium suorum. Quod ad illos attinet, qui se implacabiles præbent, circunda eos Pudore, ac Confusione, tanquàm Amictu; super ipso autem, posterisque ipsius, corona æternùm floreat. Quo pacto nos populus Tuus, & Oves Pascuæ Tuæ, Tibi Gratias usque & usque agemus, & Laudes Tuas perpetuò depredicabimus, à sæculo in sæculum; per Jesum Christum, Unicum nostrum salvatorem, ac redemptorem, cui Tecum (ô Pater) unà cum Spiritu Sancto sit Gloria in Ecclesia per omne ævum in sæcula sæculorum. *Amen.*

John Slinger.

Studfold House

FINIS

Settle

1895.